# ACTA
# SANCTAE SEDIS

## IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI.

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

**Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia : acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi ; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae : alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.**

**Volumen XXVIII.**

**ROMAE**

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1895-96



**JOHNSON REPEINT CORPORATION JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.**
**111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003 Berkeley Square House, London, W1X6BA**

**First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation**
**Printed in the United States of America**

LITTERAE SSmi D. N. Leonis Xiii ad R. D. Franciscum Picard, Praepositum sodalium Augustinianorum ab assumptione, quibus commendatur eorumdem opera in excitandis orientalibus ad unitatem catholicam instaurandam.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. — Adnitentibus Nobis, Dei auspicio et gratia, ut orientales gentes ad pristinam in Ecclesia catholica dignitatem resurgant, grata quidem ob versatur cogita tioni opera Religiosorum Ordinum qui eamdem in rem laboriose utiliterque iam diu contendunt. Hos inter, sua merito debetur laus isti quoque Sodalitati, cui digne tu praesides. Novimus enim multiplices curas quae sunt a vobis per eas regiones susceptae ; quaeque eo sane fructuosiores eveniunt, quo maiore commendantur et studio divinae gloriae et fraterna erga dissidentes caritate. — Iamvero comprobationis Nostrae nullum videtur argumentum neque iucundius vobis, neque optatius fore, quam si eiusdem studii operaeque vestrae utilitates vel latius in Orientalium bonum deducamus. Idque Nobis admodum placet; quo praesertim movemur proposito, efficiendi ut apud illos tum vetusta ritualis disciplina vigeat, tum etiam, quod causae quam urgemus permagni interest, adolescentis aetatis institutio proba sit et conveniens. Huius rei gratia deliberatum est Nobis, sedes eas quas ad Stamboul in urbe Costantinopoli, et ex adverso ad Kadi-Keuì, ubi Chalcedon fuit, habetis, accessione facta molitionum ampliari ; eatenus scilicet ut loca instruantur sive ad cultum divinum, sive ad docendum omnino apposita.— Quae vos consilia executuri, duplex tenete praescriptum. Alterum, ut in eis ipsis sedibus, praeter administrationem spiritualem quam vobis creditam volumus Latinorum, eamdem Graecorum geratis, sollemniaque officia utroque seorsum ritu apte et decore agenda curetis. Alterum, ut adolescentium commodis et ornamento quam optime consuetis, non solum animorum cultura consuetisque litteris, sed graecae etiam linguae et historiae patriae eruditione impertita. Quorum vero indoles et voluntas spem bonam afferat ad ministeria sacrorum, ii diligentiae vestrae potiorem habebunt partem, ut accuratius ad pietatem, ad doctrinam, ad ritus suos informentur: illud namque ad proposita assequenda praesidium est vel maximum, clerum indigenum rite educi.

Omnia quemadmodum legitimo iure constituantur et rata sint, a Nobis iam est provisum. Vos interea sumite animos ex

benevolentia et fiducia Nostra; quae voluntatis divinae est declaratio : eximiumque in hanc Apostolicam Sedem obsequium quod adhuc probastis, probare alacres pergite atque in dies augete. Hac vobis mente hoc studio laborantibus, aderit certe Deus frugifera ope propitius, neque deerunt, eo aspirante, qui uberiora praesidia ad coepta ipsa, provehenda pii libentes submittant. Votorum sit auspex Apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, universaeque Sodalitati effusa m in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die **II** Iulii anno **MDCccxcv,** Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE SSmi. Domini N. Leonis XIII ad Ordinarios Belgi de causa sociali.

Permoti Nos praecipua quadam in nationem vestram benevolentia, atque complurium rogatu civium adducti, peculiares curas ad catholicos Belgas gravi in re convertimus. Plane intelligitis quo spectemus : ad causam nempe *socialem,* quae ardentius inter ipsos agitata sic sollicitat animos, ut allevationem a Nobis curatiönemque exposcere videatur. Res ardua per se ipsam est, maioribusque apud vos difficultatibus implicita : ad eam tamen accedere non renuimus, qua maxime parte cum religione et cum officio muneris Nostri necessario cohaeret. Nam in hoc pariter institutorum genere, documenta sapientiae christianae, accommodate ad tempora et mores, iam pridem Nobis placuit impertire. Gratumque est commemorare non exiguam bonorum segetem et singulis et civitatibus inde partam, eamdemque spe praecipere in dies ampliorem. Etiam in catholicis Belgis, quorum sollertia ad huiusmodi instituta promovenda alacris in primis fuerat, fructus pro venere; non adeo tamen ut iustae expectationi; tam apta praesertim regione et gente, congruerent. Quidnam rei obstiterit, satis cognitum est. Quum enim ipsi, consiliis licet bonis impulsi, etiam aliis de hisce rebus sentiendi agendique rationem inierint, teneant; propterea factum, ut neque utilità tum expetita vis dimanare potuerit, neque catholicorum concordia integra permanere.—Hos Nos aegre admodum ierimus dissensionis exemplum, novum quidem et male auspi-

catum apud catholicos Belgas; qui felicis animorum ac frugiferae coniunctionis praeclara specimina omni tempore ediderant. Scilicet, ut facta repetamus non longinquae memoriae, luculenter id patuit in ea quaestione quae vocata est *scholaris.* Tunc enim cuiusvis ordinis catholicos quum admirabilis quidam concentus voluntatum generosaque virtus et actuosa inter se devinxisset, eius maxime beneficio concordiae successit res, cum dignitate religionis et adolescentiae salute.

Iamvero pro vestra prudentia, Venerabiles Fratres, videtis ipsi, quam periculosas in offensiones greges vestros, distractis in diversa animis, proclive sit publice et privatim delabi; videtis, quam mature oporteat laborantibus rebus mederi. Nos autem, ut probe novimus quo studio exardescitis restituendae firmandaeque concordiae, vos potissimum ad hoc appellamus officium, tam gloriosum episcopo et sanctum: cuius quidem certiorem eventum vel ipsa suadet reverentia ampla quae dignitati vestrae virtutique istic merito adhibetur. Quamobrem illud videtur optimum factu, vobisque vehementer commendatum volumus, ut simul in congressionem, quam proxime fieri possit, conveniatis. In ea, communicatis inter vos sententiis, licebit causam, quanta est, exploratius pleniusque cognoscere, ac meliora ad componendam praesidia deliberare. = Haec enim causa nomino se modo recte considerantibus praebet. Attinet ea quidem ad bona externa, sed ad religionem moresque in primis attinet, atque etiam cum civili legum disciplina sponte copulatur : ut denique ad iura et officia omnium ordinum late pertineat. Evangelica porro iustitiae et caritatis principia a Npbis revocata, quum ad rem ipsam usumque vitae transferuntur, multiplices privatorum rationes attingere necesse est. Huc accedunt quaedam apud Belgas operum et industriae, dominorum et opificum, omnino propriae conditiones.

Sunt ista magni certe momenti consiliique, in quibus iudicium elaboret ac diligentia vestra, Venerabiles Fratres; neque vero Nostra deesse vobis consilia in re praesenti sinemus. — Ita vobis, congressione peracta, minus operosum erit atque erit tutius, in vestra quemque dioecesi remedia et temperamenta pro hominibus locisque opportuna decernere. Quae tamen ipsa sic a vobis dirigi, civibus idoneis adiuvantibus, oportebit, ut eo amplius valeant inter catholicos totius nationis communiter ; ut videlicet catholicorum actio, iisdem profecta initiis, iisdemque

viis, quoad fieri possit, deducta, explicetur ubique una, propterea eaque et honestate praestet et robore vigeat et solidis redundet utilitatibus. Nequaquam vero id secundum vota fiet, nisi catholici, quod maximopere inculcamus, propriis ipsorum opinionibus studiisque posthabitis, ea studeant unice impenseque velint quaecumque verius ad commune bonum conducere videantur. Hoc est, efficere ut religio honore praecellat suo, virtutemque diffundat insitam, rei quoque civili, domesticae, oeconomicae mirifice salutarem: ut in auctoritatis publicae libertatisque, christiano more, conciliatione, stet incolume a seditione regnum ac tranquillitate munitum : ut bona civitatis instituta, maxime adolescentium scholae, in melius provehantur; meliusque sit commerciis atque artibus, ope praesertim societatum, quae apud vos numerantur vario proposito multae, quaeque augeantur optabile est, modo religione auspice et fautrice. Neque illud est ultimum, efficere ut qua plane decet verecundia obtemperetur summis Dei consiliis, qui in communitate generis humani esse iussit classium disparitatem et quamdam inter ipsas ex amica conspiratione aequabilitatem: ita, neque opifices observantiam et fiduciam ullo modo exuant in patronos, neque ab his quidquam erga illos desit iustae bonitatis curaeque providae. — His praecipuis rerum capitibus commune continetur bonum, cuius adeptioni danda opera est: hinc mortalis vitae conditioni solandae non vana fomenta suppetunt, ac merita parantur vitae caelestis. Quam christianae sapientiae disciplinam si catholici studiosius adamare atque exemplo roborare suo insistant, illud etiam facilius eveniet, quod est in spe, ut qui falsa opinione vel simulata rerum specie decepti, ab aequo rectoque deflexerant, tutelam et ductum Ecclesiae quaerant resipiscentes.

Nemo sane erit catholicus, aeque religionis patriaeque diligens, qui consultis prudentiae vestrae non placide acquiescere velit pleneque obsequi; hoc penitus persuaso, optima quaeque rerum incrementa, si sensim ac moderate inducta, tum vere ad stabilitatem fore maioremque esse in modum profutura. — Interea, quoniam incommodi quod dolemus ea gravitas est, quae cunctationem remedii non patiatur, hoc ipsum a sedatione animorum ducimus inchoandum. Quapropter, Venerabiles Fratres, catholicos Nostro nomine hortemini et admoneatis velimus, ut iam nunc de rebus huiusmodi, sive per conciones sive per ephemerides similiave scripta, omni inter se controversia et disce-

ptatione prorsus abstineant, eoque magis mutuae parcant reprehensione neve ausint legitimae potestatis iudicium praevertere. Tum vero ad optatum rei exitum omnes unis animis et fraternis quam poterunt diligentiam et operam vobiscum conferre nitantur: praecedatque Clerus, cuius maxime est ad novitates opinionum se habere caute, mitigare religione et conciliare animos, de officiis christiani civis commonere.

Illustrem Belgarum gentem singulari Nos caritate et cura iam diu complectimur; vicissim ab ipsa, cuius in anima religio calet avita, obsequii pietatisque complura oblata sunt testimonia. Ista igitur hortamenta et iussa, quibus eumdem animum libuit confirmare, minime dubium quin catholici filii Nostri eadem voluntate accepturi sint religiosissimeque perfecturi. Neque enim profecto id unquam committente ut quando, ex diuturna suae concordiae laude, eo religionis statu publice utuntur, quem sibi talem plus una natio exoptet, hunc ipsi deminuisse improvidi discordia sua et labefactasse videantur. At vero id potius coniunctissime agent ut consilia viresque omnes adversus *Socialismi* pravitatem convertant, a quo mala et damna maxima impendere perspicuum est. Nihil siquidem ille cessat in religionem et in rem publicam turbulenter moliri; humana aeque ac divina miscere iura, atque evangelicae providentiae excidere beneficia quotidie contendit. Calamitatem tantam saepenumero vox Nostra graviterque est persécuta; quod satis testantur praescripta et monita, quae in Litteris ipsis *Rerum novarum* tribuimus. Itaque huc boni omnes, nullo partium discrimine, animos intendat oportet: ut nimirum pro christiana veritate, iustitia, caritate legitime propugnantes, sacras Dei sustineant patriaeque rationes, unde salus et felicitas publica efflorescit.

Quarum rerum fiduciam et expectationem aequum est consilio praecipue sollertiaque vestra Nos velle innixam; propterea larga vobis divinae opis praesidia implorantes, Apostolicam benedictionem vobismetipsis et clero cuiusque ac populo peramanter impertimus.

Dat. Romae apud Sanctum Petrum die x Iulii anno MDCCCXCV Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE SSmi Patris 0. N. Leonis XIII ad Praepositum Societatis Iesu, de provehenda re catholica apud Coptos.

Consiliorum quae ad fovendam in Copiis rem catholicam iamdudum a Nobis sunt instituta, sane gratulamur alumnos Societatis vestrae sese fideles in primis exhibere administros. Id, tametsi nuper in apostolica ad illos epistola testati sumus, libet tamen propriis ad te confirmare litteris, postea quam per te ipsum fusiore notitia accepimus quo cursu religio in natione feratur. Suavissime enimvero affecit animum tum catholicorum constans in fide patrum et fructuosa virtus, tum illa dissidentium voluntas, quae passim non sine effectu increbrescit, unitatis redintegrandae studiosa. Et quoniam coptica propemodum videtur ex eis esse regionibus, quas commonstret Christus *iam albas ad messem,* Nostra sponte fluit ad eumdem *messis dominum* obsecratio, velit ipse providus operarios roborare suos novosque mittere propositi non dissimilis.

Tria nimirum sunt lustra, quum Societatis vestrae homines, voce excitante Nostra et apostolica urgente caritate, ad oras illas prompti et alacres contenderunt. Graves eorum assiduosque labores, in superiore praesertim Aegypto insumptos, bonae admodum utilitates consecutae sunt, praecipue quod attinet ad cleri indigenae rectam institutionem, ad observantiam profectumque christianae vitae in populo. Quibus de rebus si magnam Deo habemus iure optimo gratiam, non minorem ei et habemus et profitemur, quod inde praeterea occultum quiddam manare novimus, plus quam dici possit efficax alienis animis ad sinum Ecclesiae catholicae revocandis. — Verumtamen huius exitus iucundam expectationem diffitendum non est quam vehementer intercipiant aut retardent externae sectae; quippe prudentia saeculi atque opibus abundantes, per eadem loca scholas magno numero aiunt suas, similiaque, fidei periculo et damno commodorum invitamenta multiplicant. Certe quidem, si hac potissimum parte liceret nostris conata adversariorum acriore vi elidere, iam esset plurimum ad laetam coeptorum progressionem effectum. — Sollicitis Nobis eiusdem necessitatis, quae ad curandum valde est laboriosa, tempestivum affert spei solatium, dilecte fili, hoc reputare, quanta Sodales vestri contentione urgere decreverint, ut aetati succrescenti amplior copia fiat educationis omnino incolumis ac salubris. Ex eoque auge-

tur spes, quod ad scholas sustentandas sacrasve extruendas aedes, nonnulla rerum adiumenta aliqui ex ipsis optimatibus gentis copticae, ut compertum habemus, pie sunt liberaliterque impensuri : quorum permoti exemplo alii procul dubio ad eadem beneficientiae consilia sese aeque libentes adiungent. Nos etiam, quantum est facultatis, in idem statuimus conferre opem: ob eamque rem curabimus ad te proferri certam pecuniae vim, quam tu Sodalibus in ea ipsa opera opportune disperties.— Quae quidem subsidia et quae optamus posse Nos deinceps submittere, sic etiam volumus apud Coptos haberi tamquam peculiaris providentiae benevolentiaeque testimonia, quae ipsorum in Nos pietas et fiducia provocavit, quotidie amplius demeretur. Nam per hos ipsos dies allatum est, sancte exarsisse gentis animos ad ea documenta quae in recenti epistola impertimus; fore autem proximis mensibus, ut illinc ad Nos legatio adveniat, quae coram testificetur communem obsequii gratiaeque voluntatem. Ista profecto sunt Nobis gaudio non tenui; neque id tantum catholicorum causa, sed causa item ac plus quodammodo dissidentium, quorum saluti haud parum certe profecturus est vividior illorum spiritus religionis et caritatis. Ex harum porro opportunitate rerum apparet, eos non ita abesse a veri similitudine, qui opinantur, expetitae Orientalium reconciliationis eventum auspicato a Coptis initio futurum.

Vides, dilecte fili, huius quoque amplitudinem campi in quem Societatis vestrae operam providens Deus vocavit: idemque facile intelligis qua opus sit virtute, experrecta, durata, indefessa. Tu igitur cohortari tuos, quae tua est navitas et prudentia, Deo fretus ne desine. At pro Ecclesia sancta et sempiterna populorum salute difficultatibus occurrere laboresque excipere animose, iam vobis est in domesticis laudibus; divinaeque augendae gloriae flammas ipse legifer Pater alumnis suis e caelo novas adspirat. — Nunc tibi, munerum lectissimorum praesidium, Apostolicam habe benedictionem, quam simul Societati universae, in primisque Sodalibus causae Coptorum studentibus animo paterno largimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxxi Iulii anno **MDCccxcv,** Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## HISPALBN.

### IURISDICTIONIS PAROCHIALIS

*Die 26 Ianuarii 1895.*

**Sess. 24 cap. 13 et 18 de reform.**

COMPENDIUM FACTI. In archidioecesi Hispalensi ministerium parochiale, etiam post Tridentinum Concilium, a beneficialis, et capellanis, aliquando amovibilibus, exercebatur, de mandato Archiepiscopi, ad quem cura animarum generalis spectabat. Vide S. Rot. *Decis. 128, n. 5, par. 7;* et *Decis. 397, n. 3, par. 19. tom. 1 Recent.* Archiepiscopus De Lianes, disciplinam Tridentini inducere cupiens, anno 1791 decrevit, ut in posterum, beneficia curata per concursum conferantur, et qui beneficium obtinuissent, iure proprio et perpetuo suum officium exercerent. Et cum Ecclesiae deficerent, statuit ut in una eademque ecclesia, duo, vel plures parochi instituerentur, qui distinctam plebem, distinctis limitibus circumscriptam haberent, sed in eodem templo, per turnum, uti videtur, peragerent parochiales functiones inita inter se concordia, ne unus alteri impedimento esset. Cuius disciplinae, etiam in aliis Hispaniae dioecesibus, ex. gr. in Oriolensi et Derthusiensi, exempla non desunt.

Praestat nonnulla ad literam proferre ex memorato decreto Archiepiscopi De Lianes : « Omnes parochi perpetui et collativi constituuntur, prout a Concilio Tridentino statutum fuit . . . . Provisio eorum per strictum concursum fiet . . . . Quum variis in huius Archiepiscopatus ecclesiis constituti sint duo, tres et plures curati iuxta uniuscuiusque loci incolas et respectu habito ad laborem et servitium, ex quibus nonnulli in filiabus seu auxiliaribus resident, curata beneficia, quae nunc constituuntur, aptiori modo adaptari

procuratur praesenti statui dioeceseos, et quantum fieri potest, attentis circumstantiis, iuxta quod a S. Concilio Tridentino statuitur. Servetur praxis distribuendi paroeciam per animarum censum iis in ecclesiis ubi duo vel tres curati conservantur; et ubi augetur vel minuitur curatorum numerus, duobus vel pluribus remanentibus, fiet nobis approbantibus nova distributio, prout magis expedire videatur».

In civitate vulgo *Jerez de la Frontera* Ecclesia S. Michaelis fuit una ex eis, quibus plures parochi dati sunt. Porro in ea tres parochi et Vicarius perpetuus constituti fuere, singulis assignata distincta fidelium portione.

Haec disciplina in archidioecesi vigebat quando initum fuit Concordatum inter S. Sedem et Hispaniae Reginam anno 1851, et in artic. 26 .conventum fuit : « Parochiis omnibus absque ullo prorsus ad loca, classes et vacationis tempus respectu providebitur publico indicto concursu ; servata norma a S. Concilio Tridentino praescripta ; efformatisque per Ordinarium ternionibus ex concurrentibus approbatis, qui ad Maiestatem Suam deferrentur, ut inter propositos nominare queat. » Anno vero 1859 alia conventio inita, cuius paragraphus decimaseptima sequentis est tenoris : « Si procederà immediatamente alla nuova circoscrizione di parrocchie in conformità alle intelligenze e concerti già passati fra le due potestà. » Huiusmodi tamen dispositio non illico et immediate executioni mandata fuit, quia tempore et consideratione opus erat, ut nova et recta paroeciarum circumscriptio fieri posset.

Hinc Archiepiscopus Hispalensis anno 1865 praemisso concursu, proposuit Gubernio, tres ex approbatis pro unoquoque parochiali beneficio ecclesiae S. Michealis civitatis *Xeresiij* iuxta divisionem ab Archiepiscopo De Lianes peractam, ut Regina unum nominaret ad tramites Concordati anno 1851. Restitit Gubernium duorum vel trium parochorum praesentationi, dixitque unum dumtaxat esse nominandum. Archiepiscopus manus victas non dedit, sed recursum habuit ad *Consilium Status,* et favorabilem obtinuit senten-

tiam, in qua affirmabatur *omnia esse vere beneficia parochialia collativae quorum unumquodque ex propria eiusdem institutione unam repraesentat paroeciam, caput est unius fractionis, apparetque omnino independens etiamsi pro rerum adiunctis in eadem Ecclesia inserviant . . . . . ut autem suppressa dici possent, absolute necessarius foret praevius processus canonicus, quod quidem factum fuisse non constat.* Huic sententiae Gubernium acquievit, parochis suetam pensionem statuit, sed mandavit ut quamprimum, nova circumscriptio paroeciarum fieret, supprimendo minime necessarias. Archiepiscopi Hispalenses Card. Lluch et Gonzalez manus ac opus admoverunt iuxta regulas de communi consensu inter Nuntium Apostolicum et Ministros Reginae praefixas ; praesens pariter suum schema proposuit *( arreglo paroquial ),* sed nondum habuit effectum et apud Gubernium prostat.

Ex tribus nominatis et institutis anno 1865 in ecclesia S. Michaelis, ille qui secundum habuit beneficium mortuus est anno 1874; qui tertium, promotus fuit anno 1875 ; qui primum, nempe Ioachimum Yuste, diem obiit supremum anno 1879. Hisce vacationibus Ordinarius prospexit oeconomos nominando, quibus concessit easdem facultates et iura ac parochis propriis. Sed Gubernium noluit uti tales recognoscere, sustinens in unaquaque ecclesia unum tantum esse debere parochum, eisque intimam coadiutorum pensionem assignavit.

Haec praemittenda erant ad plenam intelligentiam eorum quae sequentur, et in quibus praecipue versatur quaestio.

Anno 1888 Emus Ordinarius Hispalensis generale publicavit edictum, quo indixit concursum ad omnes parochias vacantes, inter quas reperiebatur parochia S. Michaelis civitatis *Jerez de la Frontera.* In edicto cautum erat, concursum non indici pro beneficiis, quae ab oeconomis occupabantur ubi in unica ecclesia plures erant parochi ; quibus oeconomis omnia iura et facultates servabantur. *Pro quibus,* dicebatur, *ad praesens concursus minine indicitur; quin id*

*impediat quominus actuales dictarum paroeciarum oeconomi et qui in posterum ad eiusmodi munus nominati erunt, in-silo officio permaneant, iuxta voluntatem nostram, cum omnibus facultatibus, quibus ex iure et consuetudine gaudent.*

Inter illos qui periculum concursus pro paroecia S. Michaelis subierunt, adfuit diaconus R. D. Salvator Castilla y Rodríguez, qui approbatus et cum duobus aliis propositus Gubernio, ab hoc selectus et nominatus fuit ; eique Ordinarius contulit beneficium curatum *vacans per obitum Domini Ioachimi Yuste, sui ultimi possessoris.*

Immissus in possessionem Rev. Castilla omnia susdeque vertit. Renuit oeconomos et vicarium, uti independentes recognoscere ; se unicum parochum esse contendens, ceteros, ipsius coadiutores, omni parochiali destitutus iurisdictione. Eorum functiones impedire coepit, atque eo devenit, ut denegaret partem illis debitam ex emolumentis, quae antiqua praxi et concordia pro rata portione distribuebantur.

Recurrentibus oeconomis, Emus Ordinarius semel atque iterum scripto monuit parochum Castilla, ut a perturbatione cessaret ; iura oeconomorum recognosceret ; disciplinam a saeculo statutam et in edicto concursus confirmatam, servaret, usquedum nova ordinatio paroeciarum ad exitum perducta esset. At Reverendus Castilla obedire noluit, dictitans anticanonicam esse Archidioecesis Hispalensis in hoc disciplinam ; se defensorem sacrorum canonum, et nullius esse roboris Archiepiscopi decreta affirmans, se unicum esse parochum in ecclesia S. Michaelis, nullumque sua iura imminuere posse. Insuper scripsit Nuntio Apostolico et Regis Ministris, postulans ut solemniter declaratum esset ad eum pertinere ius privative ad omnia; sed responsum accepit, nihil esse innovandum donec nova fieret paroeciarum ordinatio.

Nihilominus R. Castilla in sua sententia stetit : monita Ordinarii sui spernere perrexit ; ita ut scandala et contentiones quotidie crescerent. Tunc Emus Archiepiscopus rem

commisit Vicario Generali, ut processu instituto, iudicialiter procederet. Hoc inchoato, nonnullisque probationibus acceptis, Vicarius opportunum duxit parochum ab officio suspendere. Tunc Rev. Castilla ad Archiepiscopum scriptum dedit promittens mandatis obedire ac nihil contra dioecesanam disciplinam acturum. Ideo ultro progressum non fuit. Sed statim promissionis oblitus ; iterum functiones oeconomorum praepedire voluit; ecclesiae ministros auctoritate Ordinarii constitutos propria auctoritate arcere, ceteraque peragere quae illius contumaciam et rebellionem manifestam reddebant.

Itaque ad tribunal iterum delata fuit quaestio. A Vicario generali accitus parochus, non posse venire asseruit, eo quod infirma detineretur valetudine. Hinc Archipresbyter delegatus fuit ad suscipiendam declarationem R. Castilla, quam facere pro viribus detrectavit. Super his audito Promotore Fiscali, Vicarius Generalis parochum ab officio et beneficio suspendit *ad cautelam,* mandans ut interim emolumenta parochialia in deposito manerent, donec quaestio finita esset. Ad tribunal Rotae de suspensione appellavit Castilla ; quam appellationem Vicarius tantum ad effectum devolutivum admisit, quia nullum irreparabile praeiudicium suspensio ad *cautelam* afferebat, et omnia parochialia emolumenta in deposito retinenda, ut salva illi essent, statutum fuerat. Tribunal tamen Rotae, sententia diei 14 Iulii 1893 admisit appellationem ad utrumque effectum, tam suspensivum quam devolutivum, et iniunxit Vicario generali, ut acta transmitteret. Quod Vicarius sine mora executus est ; sed adhuc sententia super causa principali prolata non fuit.

Interim Rev. Castilla, absque Ordinarii licentia Matritum se contulit, atque ab auctoritate civili decretum obtinuit, in quo declaratur, unum dumtaxat esse parochum in omnibus Hispaniae ecclesiis ac proinde in illa S. Michaelis Xeresii, ceterosque coadiutores esse ab illo dependentes. Ad propria reversus, hac declaratione fretus, unicum se parochum tenacius voluit recognosci,.. et sacrarii ministro, qui viceparochis seu oeconomis et Vicario, ut semper obtempe-

rabat, sacras functiones prohibuit, in scriptis allegans, illum iurisdictionem sibi propriam impedivisse, ac proinde *in excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici, speciali modo reservatam, incidisse.* Admonitus ex mandato Emi Ordinarii, ab Archipresbytero, ne sacerdotem sacristam a missae celebratione prohiberet, respondit: *Factum sufficit ad censuram, quin ulla praevia declaratio necessaria sit, ideoque, dum mihi non constet indubitanter de absolutione, permittere nequeo illum missam celebrare, ne cooperator eiusdem app ar e am.*

Cum res ita se haberent, Emus Archiepiscopus valetudinis causa paulisper residentiam deseruit et in suum locum Decanum Capituli reliquit. Hic, cum R. Castilla a turbandis viceparochis et vicario minime desisteret, iterum mandavit Archipresbytero: moneret R. Castilla, ut a suis perturbationibus cessaret. Sed hic acrius obstitit repetens, viceparochos non esse nisi suos coadiutores pro functionibus parochialibus, atque uti tales ab auctoritate superiori fuisse constitutos. *Necesse habeo,* ita scribebat Archipresbytero, *uti in litteris tua manu et sponsione subscriptis manifestum mihi facias, E fauni Cardinalem Archiepiscopum minime agnoscere meam parochialem et unicam in Ecclesia S. Michaelis iurisdictionem, iuxta fide dignam et authenticam interpretationem auctoritate plenam* . . . . . (forsan auctoritate civili). Aliaque id genus respondit, quibus asserebat Archiepiscopum nihil posse hac in re, quia ius commune immutare non poterat.

Dictis facta congruebant. Viceparochis quodlibet iurisdictionis exercitium impediebat ; aucta sunt scandala, praesertim cum ephemerides contra Archiepiscopum eiusque potestatem scribere coepissent, inter quas acrior erat novus diarius cui titulus *EI Ecònomo,* in quo indecora' scripta prodibant contra ecclesiasticam disciplinam et decreta Decani, atque eo devenerunt ut assererent eum incidisse in excommunicationem maiorem. Communiter ferebatur, horum scriptorum auctorem esse Castilla, atque saltem dictum folium sub illius inspiratione redactum esse. Interim ex litteris Decano mis-

sis constabat R. Castilla in loquendo et agendo quotidie audacia crescere, catholicos anxietate premi, eisque in votis esse ut tanto scandalo finis imponeretur. Tum Decanus, his omnibus collectis, atque accepta informatione ab Archipresbytero, die 25 Augusti 1893, parochum Castilla suspendit *ex informata conscientia,* eumque declaravit incursum in excommunicationem, Romano Pontifici speciali modo reservatam, iuxta dispositionem n. VI Const. *Apostolicae Sedis.*

Iterum R. Castilla ad Rotam Matritensem appellavit, eique appellatione denegata, tum quia agebatur de sententia censurae declaratoria, cum quia extraiudicialiter gesta res fuerat, per modum recursus dictum adiit tribunal, a quo Emus Ordinarius Hispalensis mandatum accepit omnia acta transmittendi. Ordinarius recusavit dicens, omnia S. Sedis iudicio se submissurum. Nihilominus Rotale Tribunal, audito solummodo Castilla, qui Matritum rursus se contulerit, in eius favorem sententiam protulit; acceptando recursum, declarando parochum censuras minime incurrisse, eique reservando omnia iura quae ipsi competere possent ad petendam indemnitatem ab omnibus damnis et detrimentis, quae occasione sententiae Decani ipsi obvenire potuerint; damnavit insuper Decanum ad omnes iudicii expensas, eumque monuit : *ut in poster am omni cura se abstineat ab imponendis censuris cuiuscumque speciei, ob causas, quarum examen et resolutio commissa sit huic Supremo 'Tribunali.*

Rebus ad hunc statum reductis, Emo Archiepiscopo, qui omnia ad S. Congregationem retulit, die 28 Aprilis elapsi anni scriptum fuit, ut prae figeret parocho Castilla congruum terminum ad deducenda iura sua coram S. Congregatione. Interim vero, et usque ad definitivam S. C. sententiam, non auderet se immiscere in administrationem aliarum duarum paroeciarum, iuxta veterem statum in eadem Ecclesia erectarum, nec ullo modo earum rectores turbare, secus ipso facto suspensus maneret a divinis nomine S. C.

Cum iiterae S. Congregacionis Hispalim pervenerunt, Rev. Castilla adhuc Matri ti commorabatur; unde Emus Ar-

chiepiscopus eas Episcopo Matritensi transmisit, ut Rev. Castilla notiñcaret. Hic accitus ad Curiam Episcopalem ire noluit ; et cum officialis Curiae ipsum adivit, ut dictas literas communicaret, R. Castilla eas recipere noluit, dicens se *nihil recipere, neque audire, neque uti notificatum habere velle.* Horum habita notitia, iterum datae sunt litterae Emo Archiepiscopo, ut per decretum, meliori quo fieri posset, legitimo tamen modo, notificandum, mandaret Rev. Castilla ut intra tres dies, coram Curia ecclesiastica se sisteret ad assumendam cognitionem literarum S. Congregationis, sub comminatione suspensionis ipso facto incurrendae, nisi pareret. Tum R. Castilla, decreto cognito, adivit Curiam Matritensem, sed authenticitatem literarum S. Congregationis scripto negavit atque eodem tempore maximam erga S. Congregationem venerationem profitendo, sua iura sustinere et suam agendi rationem defendere conatus est. Et quando Nuntius Apostolicus, per interpositam personam, easdem literas rursus eidem notificandas curavit, testimonium reddens de earum authenticitate, Revñdus Castilla idem responsum dedit.

Dum haec gerebantur, Rota Matritensis iniunxit Vicario generali Hispalensi, I° Ut a Decano Capituli exigeret expensas processus, parocho instante, apud ipsam instructi, atque declararet nullius esse roboris ipsius Decani decretum de excommunicatione a parocho Castilla incursa ; 2° Mandaret rectoribus ecclesiae S. Michaelis Xeresii, qui praeter officia sibi propria, adimpleverunt quae Castilla persolvere debuisset a mense Septembri posterioris anni, ut eidem Castilla traderent parochialia emolumenta, nec solum pro tempore ante Rotae sententiam illum a censura immunem decernentem, sed quae spectant ad tempus quo immunis declaratus ad paroeciam regredi potuit et debuit, sed non est regressus.

Ex his graviter perturbatae conscientiae fidelium et nonnulli supplicem libellum ad SSmum nuperrime miserunt rogantes ut tanto malo consuleret audaciam Castillae reprimendo. Qui cum a turbanda iurisdictione oeconomorum nullo

pacto cessare vellet, Emus Archiepiscopus decretum edidit, in quo declaravit eamdem Castilla suspensionem a divinis ipso facto incurrisse a S. Congregatione illatam, ac die 21 Decembris per Archipresbyterum Xeresii illud Castillae communicavit, eidem mandans ut abstineret ab exercitio ministerii, secus in irregularitatem incideret.

Statim respondere noluit Rev. Castilla, sed postero die adivit Archipresbyterum et coram testibus declaravit, sese uti iuri contrarium, ideoque nullum considerare Archiepiscopi decretum. I° Quia resolutio S. Congregationis omni valore carebat, quatenus non haberet authenticitatis notas quae requiruntur ex dispositione iuris canonici. 2° Quia, admisso etiam authenticam esse dictam resolutionem, ea communicata fuit modo omnino illegali, cum sibi praefixus fuerit terminus ad deducenda iura ante S. Congregationem, quin notae sibi factae sint quaestiones, de quibus agendum erat. 3° Quia, licet authentica, omni vi destituta erat, cum esset omnino opposita Constitutionibus Pontificiis et iuri concordato quod viget in Hispanus. 4° Quia per sententiam Rotae diei 15 Februarii 1894, Archiepiscopus formaliter prohibitus fuit imponere sibi censuras ob quaestiones eidem Rotae cognitioni subiectas. 5° Quia ipse impediens quominus Coadiutores suam usurparent iurisdictionem, neque dictis neque factis alienam iurisdictionem, turbaverat. Concludebat sese nullam considerare suspensionem, tamen ita externe se gerere velle uti si esset vere suspensus, sed sibi reservare facultates quas parochis Benedictus XIV concedit in sua Constitutione - *Nimiam licentiam* - relate ad celebrationem matrimoniorum. - Insuper solemnem protestationem emisit dicens, se nullum et irritum tenere Emi Archiepiscopi decretum ; contra illud ad Rotam appellationem interpositurum, et quicumque in sui locum ab Archiepiscopo suffectus esset, sciret quod ipse numquam eum recognosceret et indemnitatem exigeret ab omni damno et detrimento quod ipsi obveniret.

Inutile tandem non erit advertere R. Castilla post ac-

ceptam communicationem ultimi decreti Archiepiscopalis, Eucharistiam fidelibus ministrasse; missam celebrasse, in confessionario sedisse ac alios sacerdotes delegasse ad conferendum baptisma atque viaticum deferendum infirmis. Quae omnia die vigesima secunda Decembris nuper elapsi commissa fuisse videntur.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Pro parte parochi Castilla observari potest positionem plurium parochorum in una eademque ecclesia non esse omnino iuri canonico conformem, ceu asserunt omnes canonistae, qui una voce clamant, in una ecclesia, unicum esse debere parochum, quia ipse est sponsus Ecclesiae - *Decis. 178 n. 4, p. 11 Recen,* Pluralitatem parochorum de iure prohibitam esse, docet De Luca ( *Dis. 9, n. 5Annot. ad SS. Con. Trid.)* « ne una mulier duos vel plures habeat viros ».

Id quoque suadere videtur lex concursus a SS c Tridentino Concilio praescripta, nam inter concurrentes unus tantum super alios ordinarie excellit ; et in praxi nedum difficile, sed fere impossibile est, duos vel plures haberi prorsus aequales scientia, prudentia, meritis, ceterisque requisitis ad parochiam consequendam necessariis. Ideoque lex concursus clare significat unum tantum debere esse rectorem paroeciae. Et licet admitti velit plures esse posse^ semper, si anarchia vitari vult, unus adesse debet qui inter aequales sit saltem primus, quique propterea erit parochus, seu sponsus ecclesiae. Neque opponere iuvat, aequales ad fugiendam confusionem posse per turnum gubernaculum ecclesiae suscipere ; nam id fieri poterit in iis muneribus, in quibus ratio perpetuitatis deficit, non vero in parochialibus beneficiis quae iure proprio et perpetuo possidentur. Ita docent communiter Doctores innixi *cap. 15 - De Praeb, et Dignit* - quo statuitur « unam ecclesiam non nisi unius sacerdotis esse debere ». Hoc confiirmat Conc. Trid. *Sess. 24 c. 13 De R.;* quare Reifienstuel

*lib. III tit. 3 n. 30,* plures alios citans concludit - « Una ecclesia non nisi unius sacerdotis esse debet . . . . Sicut et unum corpus nequit habere duo capita, alioquin foret monstruosum ».

Quod si haec plurium rectorum in eadem ecclesia positio communiter iuri contraria est retinenda, multo magis id in Hispanus valere debet, ubi lex Tridentina solemnem habuit confirmationem in Concordato, ita ut admittendo plures parochos proprios in una eademque ecclesia, praeter Tridentinam, violaretur etiam lex concordataria. Quod inconveniens non effugit auctoritatem civilem, quae propterea, innixa sanctioni Tridentini et Concordati, declarari minime dubitavit, in ecclesia S. Michaelis unum esse verum et proprium parochum, ceteros sacerdotes simpliciter esse coadiutores.

Et mirabile est, quod ipsa auctoritas ecclesiastica hanc distinctionem agnovisse videtur, nam quando actum fuit de ceteris sacerdotibus ponendis in ecclesia sancti Michaelis, eos solummodo oeconomos nominavit, et, omisso concursu, illis, proprio marte, animarum curam commisit ; ast quando beneficium vere et proprie parochiale conferre debuit, concursum indixit, Gubernio tres proposuit, ac Salvatori Castilla nominato, solemniter institutionem dedit, eumque parochum proprium vocavit. Ex quo clare deduci posse videtur etiam Archiepiscopum admisisse differentiam inter parochum et eoconomos seu viceparochos, quae differentia nonnisi in eo consistere potest, quod sacerdos Castilla iure proprio, ceteri iure coadiutorum exercent curam animarum. Quem rerum statum civilis auctoritas iure optimo recognovit, oeconomis minimam coadiutorum pensionem, parocho vero consuetam congruam assignando.

Quibus positis patet Rev. Castilla impediendo oeconomis S. Michaelis exercitium functionum parochialium, non alienam usurpasse iurisdictionem, sed suo iure usum fuisse. Atque proinde crimen ab eo commissum, eius obstinationem et pervicaciam, in leves auras evanescere, nullamque veram causam dedisse ut suspensione mulctaretur ; atque suspensionem

*ad cautelam,* sententia interlocutoria inflictam, nullius esse valoris.

Quapropter Castilla iure meritoque ab hac suspensione appellasse videtur, ad effectum tam *suspensivum* quam *devolutivum,* cum fundamentum deficiat in quo talis censura innitatur. Et iniuria Vicarius Generalis appellationem tantum *in devolutivo* admittere voluit, eo quod gravamen illatum non erat irreparabile, iuxta decreta per Tridentinum *Sessio 13, cap. 1 De Ref.,* nam eiusmodi dispositio lata fuit ad cohibendam nimiam appellandi licentiam quae haud raro administrationem iustitiae frustraneam reddebat. Sed neque prohibuit, neque prohibere potuit appellationes rationales, secus delesset ius appellationis, quod ipsum Concilium vocat *innocentiae praesidium* - et quoad eam veteres canones omnino servari iubet. -

Insuper, omisso etiam quod docet Suarez *De censuris - Disp. 28* - a suspensione a beneficio semper appellari posse ad utrumque effectum, quod confirmat Cl. D' Annibale - *P. I n. 382, not. 33;* quia huiusmodi suspensio est potius poena quam vere censura. Insuper advertatur,. S. C. Concilii retinuisse ut gravamen irreparabile considerari posse simplicem comminationem carceris, torturae, excommunicationis etc. ; ideoque multo magis hoc dicendum de suspensione ab officio et beneficio in parochum decretam, nam adducit in periculum eius famam, minuit auctoritatem atque ludibrium et aversionis obiectum populo christiano efficit. Et quomodo hoc gravamen a definitiva sententia reparari posset ?

Graviores etiam appellationis causae videntur adesse in sententia secundae suspensionis qua R. Castilla mulctatus fuit *ex informata conscientia;* nec non in sententia declaratoria, qua praemonetur eum incidisse in excommunicationem speciali modo Summo Pontifici reservatam iuxta art. VI. *Const. Apost. Sedis.* Nam huiusmodi declaratio nullius est valoris, quia defuit citatio, ceu docent Reiffenst. *Tit. 39 De Sent. Excom. n. 23,* Thesauro *De Poenis part. 11 fol. 121,* omnesque canonistae, excepto casu in quo crimen sit noto-

riunì vel reus sit contumax, ne sententia *feratur in inauditum, nisi in contumacia* . . . . Atque admisso parumper, declaratoriam sententiam validam fuisse, tamen ab ea semper appellari poterat cum *effectu suspensivo.* Idem Thesauro *Part. I cap. 25* tradit: « Tamen a declaratoria censurae et alterius poenae latae sententiae, ex ipso iure commissae admittitur appellatio, dummodo vere non sit notorium poenam commissam esse.... et per talem appellationem suspenditur, non ipsa poena, sed declaratio, ut interim habeatur pro non declarato . . . . » Et ratio esse posset. Fagnan. *Cap. 39 De Sent. Excom.,* quia declaratio sententiae praesupponit grave delictum, et iudex potest decipi in decernenda existentia criminis, ac proinde per appellationem suspenditur effectus declarationis donec indubitanter probetur crimen commissum fuisse.

Idem dicendum de suspensione '*ex informata conscientia* quae omnino nulla declaranda videtur. Nam hoc iuris extraordinarium remedium proprium est Episcoporum, ita ut non desunt auctores' qui doceant quod si Vicarius Capitularis eo uti velit, a Sancta Sede facultatem implorare debeat. Multo magis id dicendum de Vicario Generali, cui omnes denegant hanc facultatem, et solum paucissimi docent, Vicarium Generalem posse procedere *ex informata conscientia,* sed solum casu in quo expresse et specialiter haec facultas eidem ab Episcopo delegata fuerit. Adeo ut nemo audebit asserere hanc facultatem habuisse Decanum Capituli: qui propterea talem suspensionem ferendo nulliter egit.

Insuper et auctores et S. C. praxis docent, talem suspensionem infligi solummodo ob delicta occulta ; et in casu sine errandi metu asseri potest, Decanum nullam aliam causam habuisse, quam resistentiam Castillae mandato recognoscendi iurisdictionem oeconomorum, quae causa prorsus publica ut notoria omnibus est, et S. C. semper revocavit suspensiones ex informata conscientia ob publicum crimen illatas ut videri potest in una *S. Severini 19 Septem. 1878; S. Agathae Gothorum 26 Februarii 1853; Bosnien, et Sirmien. 20 Decembris 1873* et *Lucionen. 8 Ap. 1848.*

Exploratum pariter in iure est, pendente appellatione ad iudicem superiorem, inferiorem non posse ob eadem crimina, vera vel supposita, novas poenas infligere, secus huiusmodi acta attentata reputantur et nullius valoris, quia iudex inferior caret omni iurisdictione quoad ea quae causam appellatam respiciunt. Hinc cum in casu parochus semper de eodem crimine accusetur, nempe impediendi oeconomis exercitium iurisdictionis, ac resistendi mandatis Ordinarii sui, attentata omnino dicenda sunt, quae pendente lite a Decano facta fuerunt.

DEFENSIO ARCHIEPISCOPI. EX altera parte observandum est, Concilium Tridentinum cum legem concursus ad parochiales dixit, cumque iussit populum in certas propriasque parochias distingui, minime statuisse quod in una eademque Ecclesia duo parochi cum distincto territorio et distincto animarum censu residere non possent. « In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores, proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat sancta synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent. » Ita Concil. Trid. *Sess. 24, c. 13 De Ref.* - Ex quo patet Tridentinos Patres sollicitos quidem fuisse, ut fideles proprium certumque pastorem haberent, non vero decrevisse, ut in una eademque ecclesia unicus resideret parochus. Neque hoc decernere poterant cum probe noverint, ad hoc imparem esse numerum ecclesiarum.

Neque obstare posse videtur quod nonnulli affirmant parochum esse sponsum suae ecclesiae ; et sicut una mulier plures eodem tempore viros habere non potest, ita una ecclesia nequit habere plures parochos. Non verior est sententia quae docet parochum solummodo lato sensu dici posse sponsum suae ecclesiae ; quae denominatio proprie spectat ad Episcopos, quibus honor anuli in signum desponsationis cum sua ecclesia conceditur. Et dato etiam quod parochus vere

et proprie dici posset sponsus suae ecclesiae, id profecto intelligendum de praebenda et beneficio, non vero de fabrica materiali eiusdem ecclesiae.

Ex quibus patet Archiepiscopum De Lianes nihil contra ius fecisse quando decrevit ut in Ecclesia S. Michaelis Xeresii plures parochi résidèrent, inter se independentes quoad iurisdictionem parochialem, inita tantum concordia quoad functionum parochialium celebrationem. Et cum pro his beneficiis consequendis fiat concursus, cumque sint perpetua, plebem habeant distinctam, unusque tantum parochus pro determinata fidelium portione iurisdictionem exerceat, omnia porro concurrunt requisita quae constituunt vera et propria beneficia parochialia. Et quod talia vere sint, observantia fere saecularis probat: imo ipsa laica potestas hoc factum atque beneficiorum naturam cognovit et probavit, quando *Consilium Status* declaravit « omnia esse vera beneficia parochialia collativa, quorum unumquodque ex propria eiusdem institutione unam repraesentat paroeciam, caput est unius fractionis, apparetque omnino independens, etiamsi pro rerum adiunctis in eadem ecclesia inserviant . . . . »

Neque iuvat appellare ad Concordatum anni 1851 ; in ipso enim minime prohibetur quod in una eademque ecclesia plures parochi esse non possint, sed tantum conventum est de modo collationis beneficii et de dote parochis, et coadiutoribus constituenda. In alia vero conventione anni 1859 statutum est, ut nova parochiarum circumscriptio fieret. Et usquedum haec ad effectum non perducatur, antiquum ius viget et nihil est immutandum. Quod optime admisit ipsa saecularis auctoritas, nam quando eidem nota fuit declaratio *Consilii Status* nunc relata, statim regia mandata ad parochos transmisit, atque Episcopos monuit, ut quam primum fieri posset novam parochiarum limitationem proponerent, supprimendo quae necessariae non essent. Itaque donec nova compositio effectum non habeat, uti regularis et legalis considerata fuit illa ab Archiepiscopo De Lianes,peracta. Neque culpae tribuendum est Ordinariis Hispalensibus, si nondum

quae in Concordato statuta sunt executioni mandata minime fuerint, quandoquidem ipsi iam functi sunt officio suo ; et pro civitate Xeresii tres Ecclesias destinarunt ad quas parochi S. Michaelis suam residentiam transferre debent, assignatis cuique plus minusve decem millibus fidelium ;' sed approbatio civilis auctoritatis adhuc desideratur.

Nec factum denegati stipendii oeconomis seu viceparochis prodesse potest D. Salvatori Castilla, quia hoc factum fuit absque Ordinarii consensu, et quando societas in Hispania politico tumultu turbata erat. Quod si postea Gubernium noluit rependere oeconomis nisi infimum coadiutorum stipendium, hoc naturam beneficiorum immutare nequit, eo vel magis, quod Ordinarii semper eos uti veros parochos habuerunt, eisque omnia iura parochialia et attributiones concessore; et nemo contendere poterit laicam, quaecumque sit, potestatem spiritualem iurisdictionem variare posse.

Res est clara, sed clarior evadit si considerentur conditiones appositae in edicto concursus, quae obligant qui concursui se exponit. In illo edicto decernitur quod pro parochiis, in quibus duo vel plures parochi in unica Ecclesia résidèrent, concursus minime indicitur pro iis quae ab oeconomis occupatae essent, et iisdem omnia reservantur iura - *los cuales,* ita edictum, *no se sacan d concurso; sin perjuicio de que los actuales ecónomos de dichas Parroquias y los que nombraremos en lo sucesivo, sigan en calidad de tales, según nuestra voluntad, con todas las atribuciones que según derecho g costumbre vienen gozando hasta el presente.* - Iamvero cum edictum publicatum fuit duo oeconomi erant in Ecclesia S. Michaelis : cur igitur Castilla non vult recognoscere quae illis adeo explicite reservabantur ?

Ast, licet haec non haberentur, omne dubium adimerent literae institutionis Rev. Castilla datae. In eis, conceptis verbis dicitur : - *Cum a nobis, praevio consueto certamine, praesentatus, et a Catholica sua Maiestate nominatus et evectus fueris ad obtinendum beneficium curatum in nostra Ecclesia parochiali S. Michaelis civitatis vulgo Jerez de la*

*Frontera, vacans per obitum D. loachimi Yuste, sui ultimi possessoris. . . . tibi. . . . praedictum beneficium conferimus et te in eo solemniter instituimus.* - Ex his luce meridiana clarius patet D. Castilla successorem esse Dñi loachimi Yuste, qui cum esset unus ex parochis S. Michaelis, talis quoque esse debet Rev. Castilla ; atque ideo cum se iactat unicum esse parochum, ceteros non esse nisi suos coadiutores, omnino somniare videtur et pro certo tenere quod in suis est desideriis.

Hisce in aperto positis, dubitari non posse videtur de eo quod oeconomi Ecclesiae S. Michaelis omnes habent veram et propriam iurisdictionem, mutuo distinctam et independentem; et ideo nullum dubium quod Rev. Castilla, impediens oeconomis functiones parochiales, eis celebrationem matrimoniorum vetando ac prae tendens ut omnia a se, tamquam unico parocho, dependeant, alienam iurisdictionem directe impediat ; et licet auxilium potestatis laicalis cum brachio forti, quia forsan inutile erat, non invocaverit, nihilominus eâ usus est ut quaestio in sui favorem resolveretur, quamvis res esset de simplici iurisdictione spirituali.

Eapropter Vicarii Generalis agendi modus minime improbanda videtur. Nam cum Emus Ordinarius, frequentibus et repetitis monitis Rev. Castilla ad aliena iura observanda inducere non potuisset, nihil aliud supererat quam ad virgam recurrere et contumacem punire. Vicarius *suspensione ad cautelam* usus est, quae solum ab officio irrogari solet ( D'Annibale - *Summ. The. Mor. p. I, Tract. VI num. 384;* quo vero ad emolumenta parochialia, ea in capsa depositari iussit, ut finita lite, cui debita essent distribuerentur. Mitius procedi non potuisse videtur. Certa erat rebellio auctoritati ecclesiasticae ex parte Rev. Castilla; certissima iurisdictio aliorum parochorum. Si igitur peccatum est, hoc in eo fuisse dicendum, quod nimium indultum sit assertionibus et iactantiis Rev. Castilla, cum in dubium aliquo modo revocata fuerit oeconomorum iurisdictio, quae tot tantisque argumentis firmata est.

Idem dici posse videtur de suspensione *ex informata conscientia* posterius inflicta et de declaratione censurae ab eodem incursae. Rev. Castilla longo tempore a sua abfuit residentia absque venia Ordinarii ; reversus ad paroeciam stylum minime mutavit ; rursus oeconomos urgere, eorum iura spernere, in ministros ab Archiepiscopo positos saevire in deliciis habuit ; atque eius audacia adeo crevit, ut Decanum Capituli, Ordinarii vicem gerentem in excommunicationem incursum dixerit. Neque satis. Ephemerides de iis quae inter parochos agitabantur scribere coeperunt ; Ordinarium impetere, gesta Curiae criticare, rebelles sustinere, falsa diffundere, scandala suscitare atque nutrire, earum opus erat. Interim Curia Hispalensis advertebatur horum omnium secretum auctorem, vel saltem promotorem esse parochum Castilla. Hic monitus ut desisteret, noluit imo acrior in oppugnanda auctoritate ecclesiastica evasisse videtur. Hisce in adiunctis Decanus, qui tunc erat Gubernator Ecclesiasticus, *sede plena,* ut in Hispanus dicitur, assumptis ulterioribus informationibus, extraiudicialiter procedens, ob ea quae secreto cognoverat, suspensionem *ex informata conscientia* Rev. Castilla mulctavit ; ob vero alienae iurisdictionis violationem, quae omnibus notissima erat, eum declaravit incursum in excommunicationem, Summo Pontifici speciali modo reservatam, iuxta paragr. VI Constitutionis *Apostolicae Sedis.* Et mirum est quomodo Rev. Castilla, qui ceteros in hanc censuram incidisse pluries dixerat, summopere se offensum tenuerit.

Quidquid dici velit de modo quo hac in re usus fuit Rmus Decanus,, certissimum est a suspensione *ex informata conscientia* solum recurri posse ad Summum Pontificem, sicut centies definitum fuit ab hac S. Congregatione; ideoque recursus ad Rotam nullus esse videtur. Barbosa *ad Sess. 11, c. 1 De reform.;* Gallemart *eod. loc.* Benedictus XIV *De Syn. Dioeces, lib. 12, 4 et 5;* ubi plures affert S. C. C. resolutiones ut *Verulana* 3 Aprilis 1625; *Bononien.* 14 Novembris 1654.

Neque admitti potest distinctio, quod hoc verum sit quando in discussionem venit ipsa suspensio, non vero quando inquiritur, an crimen ob quod suspensio inflicta fuit, tale sit ut dicta censura puniri possit. Porro, admissa hac distinctione, de recursibus ad Summum Pontificem actum esset ; si enim cuicumque tribunali concedatur facultas inquirendi de causis suspensionis et hanc declarandi nullam, patet non esse unicum Summum Pontificem, qui ab Episcopis rationem huius suspensionis petere valeat, et qui solus de eis iudicare possit.

Cum igitur dubitari nequeat de nullitate recursus a Reverendo Castilla interpositi, dubitari pariter nequit de nullitate effectuum eiusdem recursus.

Hisce disceptatis, proposita fuerunt diluenda sequentia

## Dubia

I[um]. *An disciplina in Ecclesia S. Michaelis Xeresii et in aliis locis Archidioecesis Hispalensis vigens, ex qua plures parochi in una eademque ecclesia resideant cum distincto animarum censu, sustineatur in easu;*

II[um]. *An suspensio* ad cautelam *et suspensio* ex informata conscientia, *inflicta parocho Castilla, necnon declaratio censurae ab eodem incursae, sustineantur in casti.*

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii re discussa sub die 26 Ianuarii 1895, censuit respondere: Ad P[m]. *Affirmative: ideoque Parochum Castilla usurpasse iurisdictionem Oeconomorum, ac proinde teneri ad restituenda omnia emolumenta percepta et reficienda damna eisdem illata; suspensum manere ad tramites literarum S. C. diei 28 Aprilis 1894, et decreti E "ai Archiepiscopi 20 decem. 1894. Attentis autem et perpensis omnibus, E aus Archiepiscopus praefigat Sacerdoti Castilla terminum unius mensis, -ut humiliter se subiiciat et pareat mandatis eiusdem Efhi Archiepiscopi : quo tempore inutiliter elapso, constitoque de eius inobedientia, eundem a paroecia destituât nomine et auctoritate S. Sedis et amplius. Ad* II[um]. *Dilata.*

# ANDRIEN.

## IURIUM

*Die 26 Ianuarii 1895.*

**Trid. Conc. Sess. 24 cap. 12 De ref.**

COMPENDIUM PACTI. In Ecclesia Cathedrali Andriensi, iam a remota aetate, pro clero eidem addicto, dos suppetebat praedives, coalescens ex duplici Massa, altera *choralis,* altera *missarum* nuncupata, uti memorat etiam Benedictus XIV in sua Const. « *In excelso* ». Massae *chorali* participabant duo et quinquaginta canonici ; missarum vero massa antiquitus frui poterant omnes presbyteri post certum servitii huic ecclesiae praestiti curriculum ; postea ad 14 redactus fuit numerus sacerdotum huiusmodi Massae participum, qui Mansionariorum nomine *honoris causa* condecorati fuerunt; non enim apparet vera et propria Mansionarialia beneficia tunc erecta fuisse. Hunc receptum morem Ecclesiae Anclriensis, approbavit Pius VII per Breve « *Impensa* ». Verum animadversione dignum est, missarum Massam canonicis et mansionariis ita fuisse communem, ut non solum omnibus et singulis in aequales partes divideretur, sed uno ex ipsis deficiente, sive canonico sive mansionario, pars vacans, quasi *iure acer escendi,* reliquis omnibus tribueretur pro rata parte.

Res ita se habuerunt usque ad annum 1860, quo sacrum Ecclesiae patrimonium inique direptum fuit. Imminutis redditibus, in locum deficientium mansionariorum alii non sufficebantur. At anno 1886 volvente S. C. C. controversia proposita fuit « *Andrien.* » *Absolutionis, reductionis onerum et erectionis Collegii mansionariorum* » qua, rem nostram quod spectat, agebatur, de erigendis et fundandis decem beneficiis mansionarialibus, quorum dos obtineretur ex libellis 4250 distractis ab integra summa libellarum 30,218, quae adhuc Capitulo superest, detractis oneribus, ex veteri missarum Massa conversioni, uti vocant, a Gubernio supposita. Ut libellae 425 exinde in decem mansionarios distributae suf-

fìcerent congruae sustentationi, petebatur onerum missarum reductio. Iamvero hisce propositis dubitandi formulis : « I. *An et quomodo sit locus absolutioni super omissione distributionum quotidianarum in casu.* - II. *An et sub quibus conditionibus sit locus erectioni collegii 10 mansionariorum in casu.* - Die 24 Iulii 1886 Sacra Congregatio Emorum. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit. - Ad I. *Affirmative.* - Ad II. *Affirmative iuxta votum ab Episcopo expressum in litteris diei 4 Iunii 1885: ita tamen ut numerus missarum augeatur ad annuas tercentas, et derogando pro hac vice legi concursus investiantur digniores ex hodiernis mansionariis honorariis, reservato iure reliquis praedictis mansionariis obtinendi pariter sine concursu mansionarias primo vacaturas, vetito tamen tum honorariis, tum effectivis usu insignium, nisi prius eadem petierint ab Apostolica Sede; et ad mentem. Mens est ut Episcopus diligentissime caveat, ne per novam collegii constitutionem pii reditus obiiciantur Gubernii usurpationi ; facto verbo cum SSmo super utroque. Factaque de praemissis per infrascriptum secretarium relatione SSmo Domino nostro die 2 Augusti anni supradicti, Sanctitas Sua supplendo de thesauro Ecclesiae resolutionem S. Congregationis approbare, et confirmare dignata est* » (1).

Mansionariorum ita ordinato collegio, iam suboriri coepit praesentis controversiae occasio. Nam in dies augescebat Massa Missarum et augetur, tum ex novis legatis, tum ex pecunia quam emptores praediorum a Gubernio usurpatorum, *compositionis causa,* solvere tenentur. Tunc mansionariis visum est, ipsos non secus ac canonicos, pro rata portione, hisce novis reditibus frui debere et suam intentionem Capitulo significarunt. Canonici primo obstiterunt affirmantes, mansionariis certam partem iam fuisse attributam in Collegii fundatione, quare nihil ulterius exigere poterant. Dein Capitulum, a S. C. C. et ab Ordinario ad concordiam inci-

li) Relatam habes hanc quaestionem Vol. XIX, pag. 532.

tatum, in conventu Capitulari *diei 19 Iulii 1892* haec deliberavit: sese concedere mansionariis participationem ad nova Missarum legata, nisi obstet voluntas testatorum ; participationem ad restitutiones quae fiunt ab emptoribus praediorum pertinentium ad massam Missarum nostrae Ecclesiae ; et remittere arbitrio auctoritatis Ecclesiasticae normam praebere, qua Mansionarii hac frui valeant concessione et participatione.

Mansionarii arbitrati sunt, se acceptare non posse a Capitulo propositam concordiam ; quamvis enim hoc pacto obtinerent petitam participationem Massae missarum ; tamen eamdem accipere non poterant *titulo donationis,* quando ipsis competeretur *ex iure* quod ipsis, nec in praesens, nec in futurum diffiteri non fas erit. Quapropter, per electum advocatum canonici mansionarii proposuerunt aliud concordiae schema, in quo acceptabatur transactio a Capitulo, concinnata non titulo *gratuito* sed *oneroso.*

Canonicis huiusmodi concordiae non acquiescentibus ; Ordinarius ipse, postquam incassum pacificae litis compositionis viam expertus fuerat, S. C. C. dedit litteras quamdam proponens Decreti reformationem ad litem praevidendam.

Verum, partes transactionis inutiliter modum expertae, apud S. C. C. sua iura iudicialiter exercere intendunt. Mansionarii contendunt *primo* decretum S. C. C. anni 1886 nullum declarandum esse, quippe vitio subreptionis infectum, et exinde petunt *arbitrium aperitionis oris. Secundo postulant, idem decretum reformandum esse iuxta Mansionariorum petita. Tertio* si utrumque denegetur, quaerunt *an eisdem competat ius participandi augmento Massae Missarum.*

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CANONICORUM. Patronus quaestioni, an intreat arbitrium aperitionis oris in casu, reponit neminem profecto latere obreptionis seu subreptionis vitium, non solum difficilis esse probationis, sed etiam, nonnisi ex plenissimis argumentis

admitti posse. Ita sane S. Rota in *Centumcellarum super aperitionis oris* coram Marini 18 Aprilis 1842. § 4 « Rescriptum pontificium non aliter convelli potest, quam si luculentissime demonstretur, gratiam obreptam subreptamve fuisse, praesertim si de gratia agatur post informationem ac votum indulta ». Imo, prosequitur, adeo vitium obreptionis et subreptionis difficilis probationis et admissionis est, ut in citata causa tradatur. « Non vitiatur gratia per falsam concessionem eorum, quae probabiliter concedentem non moverunt » ; et infra « In gratia, post informationem indulta, admittenda non est obreptio et subreptio, utut in precibus minus recte res expositae sint. Sicuti non admittenda est quoties ea in minimis versatur, ut quae res minus recte sunt expositae, nunquam concedentis voluntatem immutassent » et cohaeret *Forolivien. executionis litt. Apost. 24 Ianuarii 1848* coram Bonini *Dismemb. 19 Ianuarii 1844* coram Alberghini § 5. x4diaeque sexcentae ac praesertim *Comaclen. super aperit, oris 24 Martii 1847* coram de Avella §. 2 ubi iterum sicut in praecedentibus asseritur « Nunquam concedi solet contra Principis rescriptum aperitio oris, nisi luculenter constet Principem ipsum ob veri reticentiam, vel falsi narrationem ad edendum rescriptum fuisse inductum ». Itemque in *Romana* seu *Veliterno, super aperit, oris 24 Iunii 1848* coram Quaglia § 3. « Non quaevis reticentia subreptionem gignit, sed ea tantum, quae, a Principe cognita, gratiae renuentem omnino Eum effecisset, vel saltem difficiliorem ad illam elargiendam ».

His praestitutis, autumat, in casu, nullo modo intrare aperitionis oris arbitrium. Iamvero Capitulum andriense nihilum pro se directe petebat, neque peculiare indultum quod in sui dumtaxat honorem et decus verteret ; postulabat unice concessionem, et erectionem Collegii quod verteret in decus ecclesiae cathedralis, nec non in adiumentum ac subsidium presbyterorum Andriensium qui ob perversa tempora ad egestatem reducti sunt. Porro quod ex pietate, ac spontenea liberalitate agitur, profecto veri reticentiam ac falsi narratio-

nem includere non posse videtur; quum Capitulum nulla necessitate vel utilitate adigeretur ad impetrandam Collegii erectionem.

Revera amplissima factorum expositio exhibita huic S. Ordini fuit sub die 24 Iulii 1886. In ipsa enim narrata fuit perbelle historia Ecclesiae andriensis ; effectus Brevis *Impensa* a Summo Pontifice Pio VII, editi, fuere descripti. Insuper de duplici Massa videlicet, chorali seu canonicali, de qua tantum Canonici participare poterant, ac de altera quae missarum appellabatur, ex legatis missarum a piis fundatoribus Capitulo relictis, plena facta fuit explicatio.

Expositus pariter fuit S. C. C. numerus canonicorum, reditus Massae Missarum ob conversionem imminutus, et enarratum est participare de Massa Missarum dumtaxat triginta tres canonicos non vero Mansionarios honorarios. Hinc Capitulum una cum Episcopo vehementer exoptans remedium afferre aliquod illi rerum statui, sanationem et condonationem quoad praeteritum expostulavit una cum reductione Missarum de Massa, ad effectum verum Collegium decem mansionariorum erigendi, loco quatuordecim Mansionariorum antiquorum.

• Dein, de more, enunciatae expositioni, et factorum enarrationi accedit, informatio et votum episcopi relatum ex integro in folio ex officio. Porro receptum est in iure quod Antistes optime informatus censetur de statu et praerogativis suae Ecclesiae ex Rota in *Tisianen. Praeeminentiarum 16 Ian. 1714 decis. 37 n. 6 pag. 13 recent.*

Praeterea, prosequitur Orator, quod in casu non intret arbitrium aperitionis oris, evincit prorsus consensus Mansionariorum iam praestitus ante ipsam concessionem ; nec non decretum executoriale subsequutum ab observantia ab initio ipsius concessionis usque in praesens. Revera nota omnino erat propositio Episcopi et Capituli presbyteris eccl. cathedralis, qui nomine tenus tantum appellabantur Mansionarii ; notus eis erat redditus qui eis assignabatur, nota onera, et servitia ; his tamen non obstantibus, interrogati

in scriptis actuales Mansionarii ab Episcopo de mandato huius S. Congregationis, absque ambagibus declararunt « di conformarsi pienamente alla suddetta proposta ».

Gradum faciens patronus ad secundum quaestionis caput affirmat, non esse locum reformationi Decreti anni 1886, ob adiuncta et rerum conditiones. Etenim ab erectione Collegii usque in praesens minime fuere permutatae, aut perturbatae ; adeo ut eaedem conditiones et rerum adiuncta permaneant, quae ab initio extabant, absque ulla permutatione.

Non esse vero recedendum a Decreto, iuxta patronum, insuper comprobant consensus ante ipsam decisionem praestitus a Mansionariis, et acceptatio et observantia eiusdem decisionis. Iamvero notum est amplissimo huic Senatui, ipsos mansionarios institisse apud Antistitem et Capitulum ad hoc ut « quanti sono, siano investiti del benefìcio », quo in praeteritum carebant, cum pactis et conditionibus S. C. C. expressis. Atqui regula iuris est, quod volenti et consentienti nulla fit iniuria; cum itaque mansionarii voluerint et assentiti fuerint beneficio cum conditionibus expressis, nulla iniuria eis infertur, si lata decisio confirmetur.

Praeterea, animadvertit patronus, non esse locum reformationi, docet non solum executio Decreto iamdiu data, nemine ex Mansionariis contradicente, et maxime evincunt legitimae conditiones in eo appositae. Nam, ait Episcopus executor « facultatibus Apostolicis, quibus per ipsas nunc dictas decisionem et confirmationem (Summi Pontificis) pollemus praesenti decreto in praefata nostra ecclesia cathedrali, collegium erigimus, atque statuimus decem Mansionariorum, servitio eiusdem Ecclesiae et choro effective addictorum ». Haec autem erectio et fundatio constituta est 1. sub lege ut quilibet ex decem Mansionariis teneatur praestare servitium in choro, facere celebrationem Sacrorum ceu praescribitur Canonicis eiusdem cathedralis, adeo ut, omnes Mansionarii per turnum obstringantur ad celebrationem missarum conventualium, quae cum cantu celebrari solent, necnon ad munere ministri fungendum in missis solemnibus, ad canen-

dum, et ad legendas lectiones, ceu fieri solet, in qualibet eccl. cathedrali.

Capitulum vero pro praebenda, ipsi collegio assignat ex reditibus, missarum massae sic dictae, qui reditus apud idem capitulum manere debent, et ab eodem erunt administrandi, annuos ducatos mille, paresi. 4250 et eleemosynas missarum triginta quae constituunt ducatos viginti pares lib. 85. Unde praebenda uniuscuiusque mansionarii consistit in lib. 425. Fit potestas mansionariis interveniendi funereis functionibus, sacris 'processionibus, aliisque huiusmodi, et percipiendi emolumenta, si quae sint per dimidium illorum quae percipiunt ipsi canonici. Iamvero huiusmodi conditiones sunt omnino conformes naturae et essentiae collegii, iuxta finem ad quem fuit erectum , nec non nostris disciplinis quae requirunt in cathedralibus et collegiatis ecclesiis beneficia inferiora quae non sint de corpore capituli. Ad rem disserit Barbosa : « Ultra dignitates, canonicatus, seu praebendas, in ecclesia cathedrali seu collegiata, alia reperiuntur inferiora beneficia, quae non sunt de corpore capituli, ut tradit Gonzalez *Ad reg. S cariceli.* Huiusmodi sunt Assisii, seu mansionarii, qui videlicet in eadem ecclesia assidue, et veluti permanenter officium canendi in choro, et divina celebrandi obire tenentur, de quibus fit mentio in etc. . . . Ubi ex dicta Glossa ita vocatos assisios dicit, quasi assiduos forte propter assiduitatem quam maiorem propemodum quam ipsi canonici divino cultui exhibere tenentur, ex quo, pro supplendis ipsorum canonicorum defectibus asciti, et ecclesiasticorum proventuum participes effecti videntur ». *De canonicis et dign. cap. 4 n. 36, 37.*

Insuper notat advocatus, ipsos collegii fundatores ius habuisse statuendi conditiones aptas ad finem propositum assequendum tam favore eccl. cath. quam cleri Andriensis. Proinde absque eorum assensu conditiones nullimode variari aut commutari possunt. Si secus diceretur, admitti deberet frustraneum esse ius fundatorum apponendi conditiones, quas volunt, dummodo honestas. Ergo standum est legi fundationis iuxta decisionem editam ab hoc amplissimo Senatu.

Notare non negligit patronus, quod omnes mansionarii convenerint ad erectionem expostulandam « Gratia concedenda videtur in casu, quia omnes conveniunt ad eam expostulandam », ait rev. P. Secretarius S. C. O. et ipsi mansionarii fatentur in instantia Maii 1892, quod antequam fieret nova erectio de sententia rogati fuerunt mansionarii honorarii. Probe intelligitur quod hi . . . . . . . libenter exceperunt oblatam occasionem. Quocirca minime dubitari potest de consensu amplissimo, quem praestiterunt adversarii, ac de notitia rerum, quas mansionarii habuerunt.

Demum, urget Orator, nulla adest causa, ob quam sit reformanda decisio diei 24 Iulii 1886. Et revera tota ratio adversae petitionis in eo posita est, ceu aiunt mansionarii, quod eorum collegium fuerit surrogatum antiquis mansionariis participantibus. Unde praetendunt augmentum dotis, augmentum massae missarum, et ius accrescendi casu vacationis.

At instantiam laborare falso supposito, contendit patronus, quia praesens collegium est novissima erectio et institutio a Capitulo petita et obtenta in commodum et decus eccles, cathedralis et utilitatem Cleri andriensis, et longe distat ab antiquis mansionariis participantibus, improprie dictis. Id apprime patet ex praemissis ad decisionem, atque ab ipsa decisione. Siquidem gratia reductionis missarum impetrabatur *ad effectam erigendi verum collegium mansionariorum* **y** et ita porro *novum beneficiatorum collegium* nuncupatur passim in folio ex officio. Proinde in decisione 24 Iulii 1886, ne verbum quidem habetur, quod indicet praesens collegium fuisse surrogatum antiquis mansionariis. Quin imo in ea expresse appellatur *nova collegii constitutio.*

Iuxta patronum, idem confirmat diversitas onerum huic novo collegio impositorum. Porro praesentes mansionarii tenentur ad chori servitium, ad celebrationem missarum, conventualium utcumque capitularium per turnum, ad recitandas lectiones, ceu veri mansionarii seu hebdomadarii obligantur, et quod maius est, a die possessionis percipiunt, praebendalem

congruam, quod nullimode fiebat in antiquis mansionariis improprie dictis.

Ceterum, patronus advertit, mansionarios efformare tantum collegium separatum et distinctum a Capitulo ; ac proinde nullam vocem habent in Capitulo. Ad rem habet Barbosa. « Idem quoque de beneficiatis, si sit in cathedralibus ct collegiatis ecclesiis, resolvendum puto iuxta doctrinam glossae *verb. assis, in cap. penult. de clericis non resia.* ubi dicitur beneficiatus debere tantum servire Ecclesiae non autem vocari ad communes tractatus cum canonicis . . . . . . ubi dicit Capitulum habere intentionem fundatam de iure communi, privative ad beneficiatus. . . . . . .Nam beneficiatis cum in Ecclesia sint ut singuli, interdicta est de iure facultas se congregandi. » *De can. et Dign. cap. 37 num. 17.*

Quod vero Mansionariis nec competat ius ab ipsis *postremo loco* vindicatum, seu *participandi massae missarum,* comprobat orator, ex eo quod, Mansionarii Collegium constituunt distinctum ac separatum a Capitulari Collegio canonicali , prouti evictum fuit ex auctoritate Barbosae iam expensa. Id pariter constat ex actis capitularibus, quibus patet dumtaxat pro una vice fuisse convocatos mansionarios cum canonicis in casu unico qui, « riguardava una convenzione bilaterale a farsi in ordine ai funerali da eseguirsi nel decesso de' mansionari e de' canonici ».

Ulterius instat patronus, nullo ex iure petitam participationem mansionariis adiudicandamesse. Nam petentes *compositionem,* ideo titulo oblationis summam aliquam porrigunt Capitulo, eo quod illud, tamquam legitimum et unicum corpus repraesentativum bonorum eccl. cathedralis, suum praestat consensum. Unde oblatio, considerari potest aliquod correspectivum consensus praestiti. Porro sicuti ad Capitulum spectat ius administrandi bona cuncta, pertinentia ad Ecclesiam : ita ad ipsum spectat ius exclusivum, erogandi fructus et reditus iuxta fundationes in celebrationem missarum.

Hoc confirmat ratione proprietatis, quia certum et indubium est, bona acquisita ab emptoribus spectare ad capitulum,

atque dumtaxat intuitu proprietatis, atque huius recognitione, ut compositionem obtineant, summam exhibent bonorum Capituli emptores. Exinde necessario consequitur, summam oblatam ac traditam, capitulo pertinere, quia non secus ac bona sunt Capituli propria, ita et fructus quacumque ratione ab iis provenientes.

Quocirca concludit patronus, frustra, adversarios ad aequitatem confugere, quando de iure fit disceptatio.

DEFENSIO MANSIONARIORUM. EX adverso Mansionariorum patronus, in primo suae orationis capite, agens « *de arbitrio aperitionis oris* » observat exploratum esse, oris aperitionem tunc potissimum concedi a Romano Pontifice,- quum probabiliter dubitari potest, an aliquod obreptionis vel subreptionis vitium Apostolicum decretum irritum faciat. Inde animadvertit, Canonicis Ecclesiae Cathedralis Andriensis, anno 1885, S. C. C. enixe rogantibus ut decem mansionarii Capitulo aggregarentur, haud certe fuisse in animo novum institui collegium, sed solum aliud suffici in locum antiqui, quod ex quatuordecim constabat presbyteris missarum massa eadem prorsus, ac canonici, ratione fruentibus.

Atqui, urget patronus, commune Capituli et Mansionariorum consilium S. C. C. ratum habuit, hoc Episcopus Andriensis ad effectum perduxit. Sacra enim Congregatio respondit : « *Affirmative iuxta litteras diei 4 Iunii 1885 » :* quae litterae nihil aliud' sunt, quam supplex libellus. Episcopus autem mentem suam solemniter confirmavit in decreto, quo delegata summi Pontificis auctoritate novum collegium instituit : « In nostra Ecclesia cathedrali collegium statuimus decem mansionariorum servitio eiusdem ecclesiae et choro effective addictorum, quod novorum mansionariorum collegium, in locum habeatur suffectum eorum qui ex statutis admittebantur ut simplices participantes ad missarum massam » et denique die 31 martii 1892 a S. C. C. rogatus, ut suam circa hanc controversiam promeret sententiam, opinatus est novorum mansionariorum mercedem, saltem ex

aequitate, habita successionis ratione, ita adaugendam esse ut illam aequaret, quae antiquis dependebatur.

Exinde patronus, supposito novo mansionariorum collegio succedere antiquo, notat in supplici libello hanc facti conditionem non fuisse expressam. Peculiariter notat non satis expressum fuisse quod quatuordecim mansionarii haud tantum massam missarum cum duobus et quinquaginta canonicis aequis portionibus dividebant, sed etiam fruebantur *iure accrescendo* siquis forte canonicatuum vacaret, eodem prorsus modo, ac fruebantur aliquo vacante mansionariatu.

Haec mutua quippe iurium communicatio, prosequitur orator, quovis legitimo fundamento careret, nisi sumatur missarum massam omnibus clericis, sive canonicatum, sive mansionariatum adeptis, ita esse communem, ut singuli universam iure suo complectantur, et *solo concursu paries fiant,* - Celsus *in L SO D. lib. XXXII, de leg. III.* Si cuique enim collegio certa patrimonii pars assignata fuisset, quam solum attingeret ius clericorum, qui in illud adsciscuntur, merito quidem mansionarii iure accrescendi fruerentur, quum aliquis ex suis collegis vita concedat, sed iniuria, prorsus in partem canonicis constitutam invaderent, quum aliquis in eodem ordine vacet locus. Quod sua auctoritate ita Bellonius firmat : « Inter eos qui vocantur ad res diversas ius accrescendi locum habere nequit . . . . . . unitas rei sive identitas requiritur ad hoc ut ius accrescendi considerari possit » de iure accrescendi *Cap. V. q. 72 n. 2 et Cap. VI. q. 47 n. 4.* Haec orator explicat ut ostendat, ius accrescendi , perspicuum perfectissimae huius communionis indicium, tanti esse momenti, ut illud praeter cetera memorare debuissent canonici, quum pristini collegii, paulisper immutandi in supplici libello iura recensèrent. Quare idem patronus vehementer increpat canonicos, quia tempore usurpationis bonorum a gubernio patratae, aequis portionibus, non diviserint reliquam Massae Missarum partem, in canonicos et Mansionarios.

Praeterea advocatus, rem in libello non apte expositam fuisse evincere contenait ex hisce Rescripti verbis « ita

tamen ut derogando pro hac vice legi concursus, investiantur digniores ex hodiernis mansionariis, reservato iure reliquis praedictis mansionariis obtinendi pariter sine concursu mansionarias primas vacaturas. » Quod quidem aperte demonstrant iuxta patronum, in animo EE. PP. certam fuisse opinionem, mansionarios honorarios constitutos in Andriensi Collegio post bonorum direptionem, eosdem fuisse qui antea iam ordinati erant. Nam illa verba « *reservato iure* » significare videntur ad mansionarias obtinendas omnes aequali iure iam instructos esse. Quod est falsum, ait patronus, quia mansionarii, post bonorum direptionem, reapse tantum *honoris causa absque ullo iure ad reditus praebendales,* hoc nomine decoraban tur.

Quam falsam opinionem instat Orator, nulli alii culpae vertendam esse, nisi canonicis, qui affirmarunt quidem in supplici libello, mansionariis, qui in ecclesia Cathedrali tunc temporis erant, nihil solvi ex massa missarum ; huius autem collegii originem silentio praeterierunt.

Quae si omnia rite enarrata fuissent, notat patronus, EE. PP. perspexissent, iniustum fuisse perexiguam 4250 libellarum summam hodiernis mansionariis addicere : eoque magis quod, si quis demoriatur e sex et viginti canonicis, quibus nunc constat Andriense Capitulum, quum alium in eius locum substituere non liceat ingravescunt mansionariorium officia, conventuales missae frequentius celebrandae sunt, et tamen, increscente canonicorum mercede, qui partem massae missarum defuncto assignatam nanciscuntur, ne obolum quidem mansionarii lucran tur; sed hanc iniustitiam S. C. C. haud plene animadvertere poterat, quae ius accrescendi, quo antiquus mansionariorum ordo fruebatur, profecto nesciebat.

Iamvero, urget Orator, « Aequum non est dolum suum quemquam relevare » *I. 63* § 7 i), *pro socio 17, 2.* Hanc regulam, quam romani iurisconsulti ipsa rationis praecepta effingentes, inculcarent, Romani Pontifices libentissime amplexi, illo sapientissimo effato expresserunt.....- « Mendax precator careat impetratis » *cap. 20 de rescriptis.* - Nec adversa-

rii, arguit patronus, possunt recurrere ad excusationem ignorantiae aut bonae fidei ; nam praeterquamquod in huius generis personis neutra admitti potest, haec subsidia non iuvarent in casu quia error cecidit non in causam *impulsivam* sed *in motivam;* quare rescriptum non valet, uti conveniunt doctores - cfr. Maschat Inst. *can. ad tit. de rescriptis* § *Il n. 12 - cap. super litteras 20 huius tit. - cap. 2. eo: parte - cap. 19 constitutum eiusd. tit.* Reiffenstuel *ius can. univ. ad hunc tit.* § *VII n. 162.*

In *secundo capite* patronus argumentatur ex canonica aequitate. Quamobrem, memorato aequitatis officio, scilicet temperandi iuris severitatem, revocat Mansionariorum miserrimam statum, aiens, illi choro quotidie intersunt ; illi eisdem prorsus ac canonici funguntur officiis ; illi triginta missas singulis annis celebrare debent pene absque mercede. Nam canonici, qui eorum opera praecipue iuvantur, 4250 libellas quotannis pensitant, quas patroni clientes inter se, pro assiduitate, distributionum more, dispertiuntur. Hanc porro mercedem vix famulus aequo animo ferret ; vix aedituis Capitulum porrigere auderet !

Non diffitetur patronus, canonicos hodiernis mansionariis largitos fuisse partem distributionum inter praesentes, quae in anniversariis vel supplicationibus dispensan solent ; sed ait, ex huiusmodi largitione, plus commodi adversarii, quam clientes emolumenti capiunt. Nam apud omnes Andriae pervulgatum est Capitulum Cathedrale abhinc permultis annis, cum quibusdam sodalitatibus pactionem fecisse, ut plures canonici iusta huiusmodi funebria comitarentur vel illa peragentes adiuvarent. - Imminuto canonicorum numero, ne conventa frangerentur, omnes vel fere omnes interesse debebant ; quod, quum gravissimum esset, perutile visum est aliquid mansionariis concedere, ut canonicis nimis oneratis opitularentur. - Sed concessum est dimidium partis, quam canonici percipiunt : ita ut si canonico duo libellae impertiantur, una mansionario, qui idem prorsus fert onus, tribuatur.

Dein, praeveniens obiectionem, advertit non verum esse

quod Canonici a fìsco iam expoliati, velint magis vexari ad subveniendos Mansionarios. Nam observat orator, totius massae missarum reditus, deductis tributis, 27,399,39 libellarum summam, saltem attingere. Imo hodie Capitulum testatum est, 30,218,86 libellas sibi singulis annis ex massa missarum redire. Demptis 4250 libellis mansionariis assignatis, reliquae in quinque et viginti canonicos distribuuntur, quorum quisque 925, 97 percipit. Addite quindecim praebendas, instat patronus, fere decies mille libellis, tributis detractis, aestimatas, quarum omnes canonici, aequis partibus, participes fiunt, ita ut fere quadringentae singulis obveniant. Addite libellas 1127,32 quae tamquam tertia beneficii pars, in quotidianas distributiones eroganda, ex praebendis quatuor dignitatum, quae iamdudum, coram lege, vacant, Capitulo quotannis persolvuntur. Addite sex minora beneficia, quorum fructus iam a fisco exacti, vel saltem mox exigendi, ut primum canonici ad numerum duodecim redacti sint, ab illis ipsis canonicis tantummodo lucrifiunt. Addite distributiones inter praesentes ; quaestus adventicios, pecunias compositionis gratia crebro numeratas, augescentem in dies massam missarum. Dum contra mansionarii vix libellas 85, si choralia defugiant munera, percipere possunt.

Sed in immensum excrescit iniquitas, urget patronus, si hodiernum mansionariorum statum cum prístino illorum conferatis, in quorum locum suffecti sunt. Antiqui, fere nullo onere gravati, massa missarum eadem, ac canonici ratione fruebantur, ita ut hodie, ex iure accrescendi, 9835,70 libellas; hoc iure licet denegato 5901,42 quotannis quaererent. Modo Mansionariis vix 4250 libellas gravissimo labore adipisci licet. Illorum lucra adolescebant, quum aliquis sive in canonicali sive in mansionariali collegio vacabat locus. Horum conditio deterior fieri potest si quis canonicorum demoriatur, ingravescentibus choralibus officiis, missis conventualibus magis magisque crebrescentibus ; sed merces augeri non potest ; quin immo adeo circumscribitur, ut reditus vacantis mansionariatu s haud defuncti collegio cedant, sed

vel mansionariis honorariis adiudicentur, ut legitur in supplici libello a S. C. C. confirmato vel toti in missarum celebrationem erogentur, ut decrevit Episcopus, qui Summi Pontificis concessionem, missas ad numerum tercentarum redigentis, auctoritate propria confirmavit. Illi libellarum 3,82 stipendium pro quaque missa accipiebant: hi vix 2,80 libellarum accipiunt.

Dein perpendens patronus, quaenam fuerit ratio ob quam S. C. C. confirmaverit hanc non aequam bonorum distributionem; advertit certe hoc factum fuisse ob duplicem a Capitulo in libello supplici subiectam rationem ; nempe imminutos admodum esse massae reditus post bonorum direptionem, et infelicissimam esse clericorum conditionem qui, supra legitimum numerum, ad canonicatum provecti sunt.

Sed contra instat, huiusmodi rationes fundamento destitui. Nam *primum,* extenuatis reditibus omnium portionem decrescere opus est ; non ita diminutio haec effici potest, ut totum adipiscantur canonici, nihil mansionarii vel fere nihil. Quoad alteram vero notat, canonicos non iure merito conqueri, si enim praeter legitimum numerum, alios in capitulum canonicos admittere voluerunt, sibi imputent necessariam redituum communium diminutionem et novarum praebendarum paupertatem.

Quum vero Episcopus ipse proposuerit quoddam concordiae schema in qua opinatur mansionariis quatuordecim partes totius massae missarum, dispertitae in sex et sexaginta portiones, ex aequitate destinandas esse, advocatus non approbat conditiones, quibus Episcopus huiusmodi concessionem circumdare vellet. Nam quia hic ex parte mansionariis tribuenda aliquid decerpere vellet ad instituendum mansionariorum honorariorum quoddam collegium ; observat patronus, absonum esse, tam exiguam partem ulterius dividere et omnino esse supervacaneam collegii honorarii mansionariorum institutionem. Nec diversum de aliis conditionibus iudicium fert orator. Nam missarum stipendium, prosequitur Episcopus, imminuendum est - « per essere meno lontani dall'origi-

nariá fondazione di tal massa ». Sed haec ratio etiam in canonicos aptissime quadrat, ait patronus, et déridiculum est, quaerere mansionariis pro missis Conventualibus mercedem, iam iisdem antea distractam a stipendio aliarum missarum.

Deinde patronus respondens obiectioni ab adversariis motae, nempe mansionarios inconditionate approbasse collegium mansionariorum anno 1886 erectum; observat clientes suos, erectionis consilium et decretum ratum habuisse, quia non sufficienter fuerunt instructi de novi collegii conditionibus, spe allecti, in futurum mansionariorum statum ampliorem et ditiorem evasurum esse. Quae spes etsi levissima, non poterat non arridere pauperibus sacerdotibus, omni subsidio prope destitutis.

*Tertium caput* aggrediens orator, disserit de norma in novo decreto servanda, quam tamen fatetur iam *negative* se expressisse, docens quomodo vetus decretum reformandum sit ; et quatenus aequitati locus dandus sit ; nec non confidit, BE. PP. adhaerere velle conditionibus iam a se declaratis in schemate concordiae, capitulo propositae.

In *capite quarto,* agens orator de modo quo distribui debeat pecunia massae missarum in dies exaugentis, notat, compertissimum esse, summam 4250 libellarum, mansionariis assignatam, praefinitam fuisse, habita ratione redituum, qui, tunc temporis missarum massam conflabant. Haec enim leguntur in supplici capituli libello, quem S. C. C. solemniter confirmavit. « Dal reddito annuo della massa delle messe, che diminuito per la sottrazione fatta dalle attuali leggi eversive, depurato dalla sovraimposta, ed inclusa la porzione spettante al canonico arciprete parroco, ammonta a L. 30,218,86 si preleveranno etc. » Nec aliter in episcopli decreto. « Ex reditibus, ut nunc iacent, per integrum sint dictae missarum massae destinabitur etc. » Accrescentibus ergo massae reditibus , in casum incidimus, de quo nihil in lege constitutum est. Non enim prohibetur quidquam lucrari mansionarios , quum capituli fortuna convalescat. Imo advertit,

hanc bonorum communionem necessario admittendam esse *ex iure accrescendi,* quod obtinet mansionariorum hodiernum collegium, non secus ac vetus, cuius praesens collegium est redintegratio et restitutio; a quo conceptu, instat orator, nunquam discedendum esse.

Ita summatim partium relatis allegationibus, supposita fuerunt diluenda sequentia

## Dubia

I. *An intret arbitrium aperitionis oris in casu?*

Et quatenus affirmative.

II. *An et quomodo reformanda sit favore mansionariorum decisio 24 Iulii 1886 super erectione collegii decem mansionariorum in casu?*

Et quatenus negative ad utrumque.

III. *An et quomodo competat mansionariis ius participandi, ex augmentis massae missarum in casu?*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 26 Ianuarii 1895 censuit respondere : *Ad I. IL et III negative et amplius ; sed supplicandum SSnum. ut Summa libellarum 1750,00 destinetur pro missa conventuali, determinata pro qualibet eleemosyna libellarum 3,80 tam pro canonicis, quam pro mansionariis ; ita tamen ut quod superest dividatur inter Mansionarios tantum, cum obligatione applicandi totidem Missas cum enunciata eleemosyna.*

## URGELLEN.

### DUBIA SUPER TESTIMONIALIBUS AD S. ORDINES

*Die 26 Ianuarii 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Urgellensis sub die 12 Septembris anni nuper praeterlapsi ad S. C. C. sequentes dabat literas :

« Episcopus Urgellensis animo perpendens, tum quae

praescribuntur in Bulla Apostolicae Sedis (1) art. 2. III, nempe, Ordinarios incurrere suspensionem per annum ab Ordinum administratione, si ordinent subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci Litteris testimonialibus: tum resolutionem huius S. Congregationis Concilii 9 Septembris 1893, in qua decernitur necessarias esse has Litteras testimoniales, quando subditus proprius moratus sit alibi spatio trium mensium, huic S. C. C. exponit: (2)

Frequenter accidere, iuvenes scholares percurrere varias dioeceses tum ratione servitii militaris, tum aliis de causis; ita ut non raro eveniat, quod morati fuerint in pluribus dioecesibus spatio trium mensium; quin aliquis sit, qui testimonium reddere possit de ipsorum natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, scientia, neque utrum aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretiti sint; cum, ut plurimum, omnibus sint ignoti, praecipue cum populosae sint civitates, in quibus parum temporis morati fuerint.

« Hisce praenotatis, huic S. O. C. sequentia proponit dubia:

« 1.um Utrum in omnibus prorsus casibus, ad ordinandum subditum proprium necessariae sint Litterae testimoniales omnium Episcoporum locorum, in quibus moratus fuerit, vel relinqui possit prudenti arbitrio Episcopi proprii, attentis circumstantiis subditi ordinandi.

« 2.um Utrum Episcopus ordinans subditum proprium absque hisce Litteris testimonialibus alieni Episcopi in omnibus prorsus casibus incurrat, ipso iure, suspensionem per annum ab Ordinum administratione.

« 3.um Utrum sufficientes censendae sint Litterae testimoniales alieni Episcopi, quando testatur nihil constare de ordinando; eo quia nemo sit qui de ordinando testimonium reddere possit, cum sit, ut iudicatur, omnibus ignotus.

(1) Constitutio Apostolicae Sedis . . . relata fuit Vol. V, 287.

(2) Confer Vol. XXVI, 428, ubi relata fuit Firmana, postulatum quoad litteras testimoniales Ordinandorum.

« 4.um Utrum in casu sufficiat apponere ad valvas paroeciae, in qua moratus fuerit ordinandus, vel ad valvas palatii Episcopalis Litteras Episcopi dioecesani, praecipientis omnibus et singulis eas inspecturis, ut ostendant, utrum ipsis constet de aliquo impedimento canonico ordinandi. »

## Disceptatio Synoptica

In resol vendis quaestionibus ab Episcopo propositis, animadversum fuit, potius indulgentia quam rigore utendum esse docet ipsa Innocentii XII Constit. « *Speculatores* » praescribens necessitatem litterarum testimonialium solummodo in casu commorationis diuturnae in ea Dioecesi, in qua fortuito quis natus sit ibique moram traxerit sufficientem ad canonicum impedimentum incurrendum. Quamvis vero Constit. « *Apost. Sedis* » extendens, ad casus non expressos, Innocentianam Bullam, statuerit, suspensionem per annum ab ordinum administratione, ipso iure incurrere ordinantes . . . . subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus; tamen non eo urgenda videtur haec praescriptio, ut quis tot testimonialibus litteris munitus esse debeat, quot fuere etiam non diuturnae commorationis loca, quae pene innumera esse possunt, praesertim pro addictis militari servitio. Secus lex nimis dura evaderet, implicans inextricabilibus difficultatibus ordinantes et ordinandos.

Verum ex adverso perpenditur, etiam ante Const. « *Apost. Sedis* » S. C. C. iurisprudentiam, magis spiritum quam literam Constitutionis Innocentianae secutam, uti videre est praecipue in *Spoletana* et *Reatina, 11 Iulii 1840,* recognovisse necessitatem litterarum testimonialium Ordinariorum, in quorum Dioecesibus ordinandi *diutius* permanserint.

Promulgata « *Apost. Sedis* » constitutione, ex praxi Romanae Curiae et aliarum, nec non ex iuris communis intentione, prouti docet *cl. Santi - lib. I. - App. ad tit. XI,* tempus diuturnae commorationis ex qua ab Episcopo illius

loci exquiruntur litterae testimoniales de moribus Ordinandi, determinatum fuit ad *semestre.*

Deinde adactis, per iniquas leges, clericis ad militare servitium, persentita fuit necessitas attentius invigilandi et inquirendi in mores illorum qui, emenso militari curriculo, in sancto proposito perseverarent.

Quapropter S. Cong. U. Inq. *sub die 16 Sept. 1875* (1), Instructionem dedit Ordinariis locorum quoad modum exercendi vigilantiam in clericos stipendia in eorum Dioecesibus merentes, eo maxime consilio, ut de eorum moribus certiores facerent Episcopos proprios Sacrae Ordinationis. Attamen in hac Instructione nihil edicitur de litteris testimonialibus, sed potius sermo habetur de secreta vigilantia et relatione quoad mores huiusmodi clericorum. Has testimoniales quod spectat, *sub die 27 Novemb. 1892* Decretum prodiit a S. C. Super Disciplina Regulari praescribens, religiosos alumnos militiae addictos ad familiam Religiosam postea revertentes, non ordinandos esse absque litteris testimonialibus Ordinariorum, in quorum Dioecesibus *saltem per tres menses* commorati sint (2). Ad haec, placuit amplissimo Senatui V. hanc praescriptionem extendere ad clericos saeculares. *Nam sub die 9 Septembris 1893 in Firmana « Postulatum quoad litteras testimoniales ordinandorum* » (3) quaestioni; an clerici occasione militaris servitii in diversis locis commorati, absque litteris testimonialibus Ordinariorum, in quorum Dioecesibus aliquo tempore essent morati, possent ordinari, rescriptum fuit « Litteras testimoniales esse necessarias quoties promovendus moratus fuerit in aliqua Dioecesi, saltem *per trimestre* ». Exinde legem generalem latam fuisse pro omnibus Ordinariis, dubitare non fas est.

Hac lege cognita, Episcopus Bejensis, nonnullas declarationes expostulat, *primo* petens an huiusmodi praescriptio aeque teneat omnes clericos, etsi hac illae discurrerint non oe-

il) Recole Vol. XXIII, 40 ubi relata fuit instructio, de qua sermo est.

(2) Recole Vol. XXV, 635; quo loco relatae fuerunt *Praescriptiones,* quoad iuvenes ex familiis religiosis, qui militari delectui obnoxii sunt.

(3) Firmana relata fuit Vol. XXVI, 428.

casione *militiae* . At si *Postulatum causae Firmanae* inspiciatur, non dubium videtur, responsionem respicere tantum clericos militiae addictos. *Secundo* quaerit an violans hanc legem, suspensionem incurrat a Const. « *Ap. Sed.* » comminatam. Quod non videretur dubitandum, quum S. C. C. declaratio videatur interpretari et tantum determinare, ea Const. verba « qui alibi *tanto tempore* moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit ». *Tertio* postulet an sufficiant litterae testimoniales *negativae* seu quae affirment, nihil nec in bonum, nec in malum testimonium de clerico, utpote ignoto, constare; quod saepius accidat necesse esx, quum milites in populosis civitatibus praecario morantes pene omnibus sint ignoti. Iamvero in primis denegari non posse videtur, proprium esse litterarum testimonialium aliquam positivam praebere notitiam de moribus et clerici vita; secus illusorie dicerentur testimoniales. Proinde, his deficientibus, S. C. S. Officii solet ad postulationem ordinandi, eidem concedere veniam supplendi huic defectui per iuramentum dictum *suppletorium,* quia supplet attestationem per litteras Ordinarii praebendam. Imo S. C. S. Officii solet Curiis concedere facultatem huiusmodi iuramentum deferendi clericis, in hisce circumstantiis versantibus.

Demum *quarto* exponit an in defectu testimonialium, sufficiat apponere ad valvas paroeciae, in qua moratus fuerit Ordinandus, nec non ad valvas palatii Episcopalis edictum ad invitandos omnes fideles in testimonium illius morum. Plane in negotio tanti momenti nulla sollicitudo videtur supervacanea et rigorosior.

Quibus praenotatis, quaesitum est quomodo esset dubiis respondendum.

PVESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 26 Ian. 1895 censuit respondere: *Pro clericis ordinandis, iam militiae addictis, sub poena a Const. Ap. Sedis comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii, in cuius Dioecesi per trimestre commorati fuerint; et quatenus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta, ad hoc,*

*facultate ah Apostolica Sede, provideat per iuramentum suppletorium.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Iam militiae addictos adducere debere, ut ad Sacros Ordines promoveri valeant, litteras testimoniales Ordinarii cuiuslibet, in cuius Dioecesi per trimestre commorati fuerint.

II. Quoties ex adiunctis litterae Ordinarii plenam non constituant probationem, Episcopum ante ordinum collationem, plenum facere posse testimonium per iuramentum suppletorium, expetita prius ad hoc facultate a sancta Sede, si devitare velit suspensionem comminatam a Const. Apostolicae Sedis (1).

## BEIEN.

### DUBIA QUOAD EPISCOPUM PROPRIUM S. ORDINATIONIS

*Die 26 Ianuarii 1895.*

**Per Summaria Precum.**

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Bejensis postquam responsionem recepit suis precibus datam, circa Episcopum proprium S. Ordinationis, dubio commotus super interpretatione Rescripti, ulterius ab apostolica Sede expostulavit sequentis quaestionis solutionem, ita ab Ipso propositae :

« Sub die 26 Aprilis 1894 proposui Sacrae Congregationi Concilii haec dubia: (2)

« Dubium 1um - An Episcopus nisus S. C. C. decisione die 2 Augusti 1721 § 5° poterit ordinare familiarem suum, non subditum, ad titulum pensionis, si prius in favorem eiusdem obtinuerit a Gubernio thesaurariam perpetuam in dioecesi sua fruendam? »

« Dubium 2um - An poterit etiam, nisus S. C. C. decisione diei 17 Septembris 1791 § 7°, si hae thesaurariae, prospecta

(i) Quoad litteras testimoniales pro ss. Ordinum collatione, recole Yol. XIV, 392 398

'(2) Confer Vol. XXVII, 230.

sua perpetuitate, adhuc intueri queant ad instar beneficiorum, iuvenem non subditum ordinare, quando in dioecesi sua thesaurariam parochialem in perpetuum possidendam a Gubernio obtinuerit? »

« De his dubiis, S. O. Emorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, die 11 Aprilis 1894 censuit rescribendum *Affirmative,* dummodo constet thesaurarias esse *vere et proprie* beneficia ».

« Meo iudicio, hae thesaurariae parochiales sunt vere et proprie beneficia ecclesiastica; nam habent omnia quae in beneficiis requiruntur; nempe: I° Erectio facta a legitima auctoritate superioris. 2°. Titulus seu Ecclesia, ubi erectum sit beneficium. 3°. Officium spirituale. 4°. Perpetuitas et residentia. 5°. Reditus ex quibus sustentetur beneficiatus ».

« Ita communiter Canonistae, tales uti : Fagnanus in I L. Decret. *De rescript,* c. *Ad audientiam ;* Ferrari L. II, tit. XV *De beneficiis ecclesiasticis ;* Devoti *Inst. Canon.* L. II, tit XIV, et alii ».

« Atqui haec omnia reperiuntur in thesaurariis parochialibus : »

« I°. Erectae fuerunt una cum paroeciis ubi sunt constitutae, quia decretum earum creationis idem est quam decretum dioecesium Transtaganarum creationis et earum paroeciarum, quod factum est, postquam Mauri eiecti fuerunt Lusitania a rege Alphonso Henrico, circa annum MCC aerae christianae ».

« 2°. Tituli thesaurariarum parochialium sunt eaedem Ecclesiae parochiales, quae una cum thesaurariis erectae fuerunt ».

« 3°. Thesaurariae parochiales sane habent officium spirituale. Quid aliud est onus, quod habent thesaurarii percutiendi cymbala et campanas , aperiendi Ecclesiam , curam habendi rerum, quae intra Ecclesiam sunt, aperiendi domum Dei fidelibus, certis horis, et claudendi infidelibus; ferendi ceroferaria, et luminaria Ecclesiae accendendi, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrandi, respondendi parocho sacrum celebranti, atque alia sacramenta ministranti, coinitandi

parochum et respondendi in supplicationibus et funeribus, nisi vere et proprie officium spirituale ?»

« 4°. Non est dubium quin Thesaurariae parochiales sint perpetuae ; nam in dubiis propositis , sub die 26 Aprilis, huius anni, iam certiorem feci quod Gubernium Lusitanum nominaret in perpetuum ad thesaurarias parochiales ».

« Hinc perspicue cernitur habere perpetuitatem ».

« Onus residentiae revera habent thesaurarii, quia parochi ministerium suum adimplere nequeunt absque participatione et adiutorio thesaurariorum ».

« 5°. Thesaurariae parochiales reditus habent ex quibus sustentetur thesaurarius ; nam singuli parochiani quotannis praestant thesaurario quamdam portionem frumenti, quae Lusitano sermone dicitur *bolo* ex uno quoque fundo rustico ad eiusdem thesaurarii sustentationem. Praeterea, accipiunt thesaurarii sicuti parochi oblationes et emolumenta, occasione Baptismorum, Matrimoniorum, Funerum et in festis solemnioribus ecclesiae parochialis ».

« Ergo, si thesaurariae parochiales habent omnia, quae requiruntur in beneficiis, ut supra demonstravi, dubium mihi non superest, quod sint vere et proprie beneficia ecclesiastica. Tamen, reverentissime precor Eminentissimos Cardinales, Interpretes Sacri Concilii Tridentini, ut declarare velint, an ex supra expositis, thesaurariae parochiales in Lusitania sint vere et proprie beneficia ecclesiastica ».

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 26 Ianuarii 1895, censuit respondere : *Iuxta exposita non constare thesaurarias esse vera et propria beneficia; sed attentis peculiaribus circumstantiis, conceditur Episcopo facultas constituendi eas in sacrum patrimonium; dummodo obtineatur nominatio perpetua a Gubernio; et,-quatenus agatur de clerico, alienae Dioecesis, habeatur consensus sui Episcopi, facto verbo cum SS r o.* . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIUM quoad usum lucis electricae.

A Rmis locorum Ordinariis non semel/postremis hisce annis exquisitum fuit, utrum in Ecclesiis adhiberi liceret lucem electricam tam ad dissipandas tenebras, quam ad pompam exteriorem augendam. Nuper vero Sacrorum Rituum Congregationi propositum fuit Dubium : « Utrum lux electrica adhiberi possit in Ecclesiis ?» — Quare Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis, ad Vaticanum infrascripta die habitis, rescribendum censuerunt : « *Ad cultum, Negative. Ad depellendas autem tenebras. Ecclesiasque splendidius illuminandas, Affirmative; cauto tamen ne modus speciem praeseferat theatralem* ». Atque ita rescripserunt, et servari mandarunt die 4 Iunii 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, 5. *R. C. Praefectus.*

L. ^ S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

DUBIA de officio sociorum Patroni vel titularis etc.

R. P. Alberto a Drunen, Minister Provincialis Ordinis Capuccinorum Provinciae Hollandicae, humiliter Sacram Rituum Congregationem supplicavit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

I. Decreto Sacrae Rituum Congregationis 12 Iulii 1889 in *Ruremunden.* ad Dubium IV declaratum fuit, Rubricam ultimo reformatam, qua praescribitur de Sanctis Sociis Patroni vel Titularis nihil neri, si descripti sint sub Officio duplici minori, non tamen alicuius Ecclesiae Doctoris, vel semiduplici, non esse retroactivam, ideoque officium de eis adhuc hodie agendum esse, uti olim neri debebat. Hinc quaeritur, nunc post revisionem novi Kalendarii Ordinis S. Francisci Capuccinorum, a Sacra Rituum Congregatione die 27 Augusti 1893 approbati, de Sanctis Sociis Patroni seu Titularis officium etiam nunc, uti antea, a nostralibus agendum sit, praesertim cum dies, quibus praefati

Socii antea afflxi erant, hodie non amplius in dicto Kalendario novi liberi inveniantur ?

II. Regulares, qui Kalendarium proprium habent et iam celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ordinis, tenenturne celebrare in Regione Hollandica, sub ritu duplici primae classis cum Octava, Dedicationem Omnium Ecclesiarum Regni, Dominica immediate sequenti Octavam Festivitatis Omnium Sanctorum, uti in Gallia et Belgio, vel potius Dedicationem Omnium Ecclesiarum respectivae Dioeceseos, ubi haec Dedicatio alia die, qua Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, celebratur ?

III. Ex antiquissima consuetudine et ex Apostolicis Indultis, prouti etiam ex antiquis et recentioribus Breviariis Ordinis Capuccinorum constat, Fratres Minores eiusdem Ordinis, etiam tempore Quadragesimae et Adventus, diebus non impeditis, recitare sub ritu semiduplici Officia votiva Immaculatae Conce-, ptionis Beatae Mariae Virginis in Sabbatis, et S. Francisci et S. Clarae Assisiensis semel in mense : quaeritur, utrum huiusmodi privilegium extendatur, sive ad Ferias temporis Passionis et ad Ferias Adventus, quae a die 17 usque ad 14 decembris decurrunt, sive ad Vigilias et ad quatuor tempora, quocumque anni tempore occurrentia?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibusque maturo examine perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. Regulares in casu tantummodo celebrent Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis, die statuta ; et Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, si degunt in civitate Episcopali, sub ritu duplici secundae classis sine Octava.

Ad III. *Negative in omnibus.*

Et ita declaravit. Die 22 Iunii 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. © S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

SANCTI MINIATI Beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei Theophili a Curte, sacerdotis professi ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia.

## SUPER DUBIO

*An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Servi Dei Beatificationem ?*

Quam etiam nomine, sibi auspicatissime indito profitebatur in Deum caritatem, eandem Venerabilis Theophilus, vita sancte integreque traducta, vehementer probavit. Curiae enim hanc in lucem editus an. MDCLXXVI, et in religiosum deinceps Minorum Observantiam numerum provide adscitus, in eo, incredibili constantia, omnis fuit, ut divini amoris *fructum,* qui *est in omni bonitate et iustitia et veritate,* non modo referret ipse, virtutis apprime cultor, sed ceteri quoque sub Ecclesiae vexillo merentes perciperent cumulatissimum. Quapropter nihil satius habuit quam, in coenobiis ad arctiorem disciplinam adiungendis, in hominibus a nequitie naviter avocandis et in catholica fide a temporum erroribus strenue asserenda, religionis opus continenter urgere. Magnis vero difficultatibus obitis exhaustisque omne genus, praesertim per Etruriam, laboribus, coelestia charismata, quaeque Theophilo adprecante patrata efferebantur prodigia, ita suffragari visa sunt et talem omnibus admirationem ingerere, ut ipse nulli aetatis suae secundus in certaminibus Christi diu exsudandis, et expressa perfectionis imago aliis ad imitandum proposita saepenumero inclamaretur. Ex quo autem, tantarum virtutum praemia adepturus, dum annum degeret quartum et sexagesimum, terrenam hanc vitam cum caelesti in omne aevum commutavit, inter mortales etiam, quum exactis sanctimoniae monumentis tum miraculis, ad sacros eius potissimum cineres, effectis insignem explevisse famam est existimandus. Nemini igitur mirum obtigit, si, examine in haec omnia inito, de Beatorum Coelitum honoribus olim ei decernendis causa apud Sacram Rituum Congregationem haud sero instituta est. Habitisque, intercessu temporis, e re disquisitionibus, aliisque vel ad iuris apicem fauste absolutis, fel. rec. Pius VIII Ven. Theophili virtutes singulari prosecutus laude, has heroicum culmen attigisse edito sanxit decreto vi idus septembres an. MDCCCXVII. Alio demum Decreto solemniter evulgato x calendas iunias hoc

anno MDCCGXGV, ut veritatem etiam prodigiorum iure vindicaret, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII de duplici miraculo interventioni Ven. Theophili tributo, legitimae Apostolicae Sedis testimonii robore addito, *per solemnia Servatoris nostri Ascensionis in coelum, ipso adspirante,* rite constare pronunciavit. Atque eximiam Theophili sanctimoniam eo vel magis demiratus *quippe illustri miraculorum significatione divinitus veluti consecratam, gestientem* Sibi *animum vel eos hoc facto omnino felix capere auspicium* testatus est Pater Beatissimus, cui nihil gratius quam *honoribus magnis extollere fidelissimos Ecclesiae filios, quorum exemplo praesidioque adiuti facilius populi* etiam *dissidentes ad eiusdem sanctae Ecclesiae complexum salubriter revocentur.* Haec fecerunt omnimode, ut causae adeo laetis omnibus provectae, quo ad fastigium tandem assurgeret, nihil aliud deesset, nisi ut disceptationi exhiberetur dubium, an Ven. Dei famulus solemni et publico cultu, qui Beatos decet, tuto foret augendus. Quod praestitit Rmus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Causae relator, in generalibus comitiis coram eodem Sanctissimo Domino Nostro LEONE XIII hoc volvente anno, decimoquarto calendas iulias, ad Vaticanum Apostolicum Palatium coactis. Omnesque qui interfuere, quum Rmi Cardinales, tum huius Sacrorum Rituum Congregationis Patres Consultores, suffragia singuli, unanimi quidem assensione, affirmantur edenda duxerunt. Sanctitas vero Sua, pro rei gravitate, admovendis adhuc precibus supernae Sibi sapientiae lumen impensius vocatura, sententiam in aliud tempus protendere statuit.

Hodierno igitur die, qui sacris solemnibus immortale Franciscalium decus, sanctum Bonaventuram, annus memorat, satis desideriis speciatim Corsicae Etruriaeque incolarum atque universae Minorum Observantium familiae factura, praestantissimo religiosae perfectionis heroi, qui Bonaventurae virtutes haustamque ex ipsius libris sapientiam, mirum sane in modum retulerat, nomen et honores peropportune deferri censuit Beatorum Coelitum : ut temporis etiam nostri maioribus, quibus eget quam maxime, praesidiis, pervigili animi sedulitate prospiceret, novamque viri apud Deum pollentis opem Sibi conciliarem cuius precibus et tutela instructas, ad fidei catholicae unitatem citius gentes omnes novamque viri apud Deum pollentis opem Sibi conciliaret, cuius precibus et tutela instructas, ad fidei catholicae

unitatem citius gentes omnes perduceret. Quapropter sacro, in domestico sacello, pientissimi peracto, solio Pontificio, in hac Vaticani aula, insidens, acciri mandavit Rmos Gardinales Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum et Vincentium Vannutelli huiusce Causae Ponentem, una cum R. P. Augustino Cap rara Sanctae Fidei Promotore, meque insimul infrascripto Secretario, iisque adstantibus edixit: *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Seroi Dei Theophili a Curte Beatificationem.*

Atque hoc Decretum publici iuris fieri et in acta S. R. C. referri, Litterasque Apostolicas, in forma Brevis, de Beatificatione quandocumque peragenda, expediri praecepit, pridie idus iulias anno MDCCCXCV.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. # S.

ALOISIUS TRIPEPI S, *R. C. Secretarius.*

DECRETUM quo statuitur, Festum Annuntiationis B. Mariae Virginis amodo celebrandum esse ritu duplici primae classis.

Iure sane ac merito Festum B. Mariae Virginis, Deiparae ab Angelo salutatae, ab antiquissimis temporibus institutum, et penes Latinam Ecclesiam et Graecam pari solemnitate celebratum est : siquidem Dominicae Incarnationis Mysterium tanquam ceterorum fundamentum Sacra Liturgia profitetur. Hinc Apostolicae Sedi supplicia vota haud semel porrecta sunt, ut Festum istum Annuntiationis B. M. V. ad maximum ritum in Universa Ecclesia eveheretur. Itaque Sacra Rituum Congregatio in peculiari Coetu, pro nova Decretorum authentica Collectione evulganda, ad Vaticanum subsignata die habito, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: Festum Annuntiationis B. M. V. die 25 Martii occurrens, in universa Ecclesia ritu duplici primae classis amodo recolendum esse, cum omnibus iuribus celebriorum festorum propriis, etsi Octava carens ob temporis quadragesimalis rationem. Ceterum, quotiescumque vel Feria VI. in Parasceve, vel Sabbato Sancto hoc Festum impediatur, toties Feria II. post Dominicam in Albis, tanquam in sede propria, ut antea, reponatur; in qua integra cum solemnitate ac feriatione et sine octava, prouti die 25 Martii, celebrabitur. Quando vero

illius tantummodo impediatur Officium, ad enuntiatam jpariter Feriam II. amandetur, ac nonnisi Festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri: quo in casu, in sequentem diem pariter non impeditam transferatur. Die 25 Aprilis 1895.

Facta postmodum Sanctissimo Dno Nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum de hisce omnibus relatione; Sanctitas Sua sententiam eiusdem S. Congregationis ratam habere et confirmare dignata est. Die 27 Maii, eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. © S.

ALOISIUS TRIPEPI S. *R. C. Secretarius.*

ROMANA seu LUCENSIS beatificationis et canonizationis venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae Cioni, sacerdotis professi e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei et primi socii B. Ioannis Leonardi.

## SUPER DUBIO

*An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?*

Christi vestigiis vel a puero ingressus, Ven. Ioannes Baptista Cioni animum appellere contendit ad monitum praesertim illud et evangelicae perfectionis compendium: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quocirca, Lucae, in qua perantiqua Etruriae urbe ortum habuerat, aliosque per populos, ut rei christianae esset adiumento, aspera quaeque non pertulit modo, verum etiam adamavit, magnamque cunctis expectationem fecit de providentis Dei consilio, qui tempestate, ob clades ab haeresi *protestantium* illatas, Ecclesiae summopere iniqua, novum eundemque perfectum excitarit heroem, ecclesiastica virtute caeteris suspiciendum. Innumeris enim aerumnis contemptui habitis, nunquam abduci potuit, quin, vitae integritate, poenitentiae studio diurnisque et ad multam noctem productis precibus, ad maxima comparatus, bellum errori tota fere Italia

invalescenti indiceret; moribus ad officium rursus compositis, pietatis artes in pristinum decus vindicaret; haud semel obortas dirimeret civium contentiones, nec calamitate fractus, nec minis deterritus; nullumque, unde religionis bonum cogi posset, defugeret laborem. Immo inoleverat opinio, potius scopulos arcesque nutare, quam, iniectis popularium procerumve iniuriis aut structis a daemone insidiis, in munere obeundo Venerabilem Cioni, qui, non solum primus unusque omnium sodalitio coniunctissimus, verum etiam sanctimoniae consors, operam adiutricem B. Ioanni Leonardi, novi a Matre Dei instituti parenti, in lucrandis Christo animis impendit. Caeteris praeterea sociis, consilio rebusque gestis, auctor fuit, ut meliora aggrederentur, quae ad Ecclesiae iura tuenda laudemque recentis Ordinis provehendam conferrent. Itaque cunctas ad obitum usque virtutum partes in exemplum complevit, Deique spiritu fortiter et suaviter actus vel intentatami mortem non modo non expavescere, sed votis etiam prosequi suevit, martyrium pro Christi nomine facere exoptans, parta sibi certa corona, quae, teste Chrysostomo, *non eventu solum, sed voluntate etiam martyrii obtinetur.* Quo datum, ut ea magis in dies pervagata fama extento aevo mansura Ven. Cioni sequeretur, qua ipsum Posse vin us, omnium amore sibi adiuncto et charismatum luce, singulariter insignem assereret; Beatus Leonardi deprecatorem apud Deum interponeret, et, Luca quondam discedere coactus, longe ante alios praestantissimo, labentem suorum coetum ei commendatum concrederet; voces autem populorum, ipsique sodalium a Matre Dei osores, Angelum et Apostolum nomine compellarenc, nihil aliud cogitare aut moliri solitum, nisi Dei honorem et gentium salutem. Ab anno autem MDCXXIII quo ex laboribus hausto morbo absumptus ad aeterna Dei gaudia coelo est receptus, ita recordatione increvit et maiores in populis radices egit erga sanctissimum sacerdotem admiratio prodigiis etiam aucta, quibus Deus famuli sui sanctimoniae praetiosisque exuviis fidem fecisse dicebatur, ut de cultu Beatorum ei studiose comparando ad S. R. C. causa deduceretur. Quae ut, probationibus, tempore addito, satis copioseque resumptis, ceterisque iure confectis, in tuto posita optatissimam metam assequeretur, in heroicarum virtutum examen triplici disceptatione est peractum. Scilicet prima in antepra eparato rio conventu ad aedes Riïii Cardinalis Aloisii Macchi, Causae Relatoris, indicto postridie calendas ianuarias anno MDCCCXC : altera vero in

congregatione praeparatoria ad Apostolicum Palatium Vaticanum advocata anno MDCCCXCIH, quarto nonas iulias; tertia demum in generali coetu ibidem penes Sanctissimum Dominam Nostrum LEONEM PAPAM XIII habito, hoc decurrente anno, decimoquarto calendas iulias. Qua postrema in consultatione Rmus Cardinalis Aloisius Macchi dubium ad discutiendum proposuit : *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Cioni, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Omnesque Riîii Cardinales ceterique Patres Consultores suffragia singuli adiecerunt. Beatissimus vero Pontifex *apparere* duxit *qua excellentia constantique animo Ven. Cioni heroice virtutes morales et théologales tota vita coluerit, in curanda praesertim et provehenda animarum salute. Interea* tamen, *ut moris est, decretoriam iudicium* Suum *in opportunum tempus reservavit,* quamvis *illud, divini luminis suffragante praesidio,* aliorum spei *plene responsurum confideret.*

Hodierno autem die, Dominica vi post Pentecosten, removendas saeculares inducias laudemque debitam censuit deferendam primo eidemque sanctitate dilectissimo corniti B. Leonardi, quem peculiari animi devotione prosequitur; eo vel magis quod absolutum virtutum exemplar ad imitandum omnibus praeluceat novumque maternae Ecclesiae auctoritati praesto sit solatium in Ven. Cioni, qui honoribus sibi decretis vicem rependat supernisque suppetiis sospitet vota, quibus praeclara, idque per tempora discriminum plena, strenue molitus, Christi imperio fauste proferendo Pontifex Maximus continenter adlaborat. Rei igitur sacrae devotissime operato placuit Patri Smo hanc Vaticanam aulam adire, solioque Pontificio assidens accersiri voluit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum et Aloisium Macchi, Causae Relatorem, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore meque insimul infrascripto Secretario : iisque adstantibus, suprema qua praestat auctoritate solemniter declaravit : *Ita constare de Virtutibus T/wologalibus Fide, Spe et Caritate erga Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Cioni, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, ut ad ut-*

*teriora procedi possit, nempe ad trium miraculorum disceptationem.*

Insuper hoc decretum in vulgus edi et in acta S. R. C. referri mandavit, pridie idus iulias anno MDCCCXCV.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA & *R. C. Praefectus.*

L. © S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

# EX S. CONGR. R. ET U. INQUISITIONIS

De modo colendi B. Virginem Sodalitatis Issodunensium. et de imaginibus eiusdem B, Virginis.

Feria IV, 3 Aprilis 1895.

In Suprema Congregatione Eiîiorum ac Rmorum Patrum contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum, non semel actum est de norma praescribenda Archiconfraternitati Romanae et Sodalitati Religiosorum Issodunensium colendi B. Virginem, Dei Genitricem Mariam sub titulo *Dominae Nostrae a Sacro Corde Iesu,* et de Imaginibus ipsius B. Virginis, quae illam repraesentant expansis manibus stantem et puerum Iesum ante illius genua item stantem. Et titulum quidem admitti posse, Imagines autem non probari, et a publica veneratione removendas esse decretum est, ac tolerari tantummodo in Ecclesia Sodalium Issodunensium ; inducendas vero esse, quantum fieri possit, Imagines B. Mariae Virginis Puerum Iesum in ulnis gestantis. Sperandum fuerat has Supremae Congregationis praescriptiones debita obedientia excipiendas esse et executioni fideliter mandandas. At contra non sine aegritudine compertum est, Imagines non probatas pluribus exemplaribus iterum impressas, passim evulgari et fidelibus distribui adversus decreta et mentem huius Sacrae Congregationis : duos praeterea editos libellos, qui inscribuntur *Chemin de la, Croix du Sacré Cœur* et *Le Rosaire de Notre Dame du Sacré Cœur;* iisque libellis antiquas ab Ecclesia probatas, commendatas et quotidianum in

usum maxima cum fidelium utilitate inductas pias precationes, in aliam veluti faciem et figuram transforman.

Hinc Sacer Ordo summopere sollicitus de lege supplicanti, quae legi credendi respondeat, re mature perpensa, priora decreta confirmando, et quatenus opus sit, innovando, imagines, de quibus supra, iterum improbat et fidelium venerationi ac pietati proponi vetat, et ubi toleratae fuerunt, caute prudenterque removeri, et earum loco probatas substitui praecipit.

Libellos autem supra memoratos, aliosque similes iterum improbat et proscribit, ac novas precandi formulas in illis vel in eorum quolibet propositas quominus publice recitentur prohibet, et a quovis usu publico arcendas mandat.

Abs re non erit hic in mentem revocare monitum generale adiectum decreto feriae IV. die 13 Ianuarii 1875, quod ita se habet.

« Mandavit praeterea Eadem Sanctitas Sua per huiusmodi » publicationem monendos esse alios etiam scriptores, qui in» genia sua acuunt super eis aliisque id genus argumentis, quae » novitatem sapiunt ac sub pietatis specie insuetos cultus ti» tulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum » proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest per» trahendi fideles in errorem etiam circa Fidei dogmata et an» sam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati » doctrinae catholicae ac verae pietati » (1).

(1) Confer Vol. VIII, 269 et Vol. XXV, 749.

# APPENDIX L

**exhibens acta sedis apost. ; quae aut iamdiu exarata sunt aut quae tempestivo latuerunt ephemeridis moderatorem.**

KXO§Ox>*

Ex Litt. S. C. de Prop. F. 15 Iulii 1876. — (ad Ep. Nesquallien..
Catholici interessentes choréis massonicae sectae.

**Inter dubia quae S. Sedi enodanda proposuit anno superiori A. Tua, illud etiam recensebatur, quod respicit choreas, quae identidem haberi solent ab iis qui societati vulgo** *franc-maçons* **sunt adscripti ; scilicet per illud quaerebatur an catholici praefati, choréis convenientes incidant in excommunicationem inflictam a pontificia Constitutione** *Apostolicae Sedis moderationi* **paragraph. 4. Porro huiusmodi controversia, ut par erat, delata cum fuerit iudicio supremae S. C. Universalis Inquisitionis, Emi PP. articulo formiter discusso, in hanc devenere sententiam, scilicet : praeprimis ambigi haud posse animadverterunt gravis reatus reos effici catholicos qui choréis aliisque solatiis intersunt, quae a membris societatis massonicae, et ut tales, haberi solent. Praeterea observarunt Constitutionem pontificiam prohibere sub excommunicationis poena, ipso facto incurrendae, ac S. Sedi reservatae, quominus massonicae sectae, aliique societati eiusdem generis favor qualiscumque praestetur; proindeque eam habendam esse regulam certam ad diiudicandum num et quando catholici reapse in memoratam excommunicationem inciderint, quod scilicet accurate perpendi debeat utilitas atque commodum quod damnata societas eorumque adhaerentes, qua tales, retrahunt vel retrahere possunt ab huiusmodi interventu ac adsistentia ex parte eorumdem catholicorum. Hinc retinendum esse quod catholici censura innodentur eo in casu quo eorum praesentia ac participatio huiusmodi conventibus reapse affert eidem sectae aut sectatoribus emolumentum aliquod.**

S. C. S. Officii 22 Dec. 1880. — De editione librorum sacrorum.

**Excommunicationi nemini reservatae subiacent ex Const.** *Apostolicae Sedis* **ii « qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii ap- « probatione imprimunt, aut imprimi faciunt ». Sed dum aliqui restringendam illam esse adstruunt ad libros Sacrarum Scripturarum, nec**

**non eorumdem adnotationes vel commentarios, alii e contra affirmant libros quoscumque de rebus in genere ad religionem pertinentibus tractantes, ea censura comprehendi. Quaeritur utri sententiae sit adhaerendum.**

**R. Censuram nemini reservatam, inflictam iis qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt, restringendam esse ad librum sacrarum scripturarum, nec non earumdem adnotationes et commentarios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus tractantes.**

Ex. Instr. S. C. S. Officii I Febr. 1871. — Ad Vic. Ap. Myssur.
Denuntiatio sectarum cui, et a quo facienda sit.

**Quaeris cui et a quibus fieri denunciationes (circa sectarum coriphaeos) in Missionibus debeant. Obscurum esse minime potest a quibus faciendae sint ; generale quippe est praeceptum, omnibus fidelibus iniunctum. Cui vero sint faciendae manifestum quoque est, ei nimirum, qui pro pastorali officio vigilare et cavere debet ne oves sibi concreditae in lupos incurrant, neve peste inficiantur, cuiusmodi est quicumque episcopale vel quasi episcopale munus in Missionibus gerit Vicarius videlicet vel Praefectus Ap., vel ab eis ad hunc effectum deputatus. Narras (insuper) in tuo Vicariatu Te iussisse scripta, diplomata admissionis in sectas, aliaque earum instrumenta, cum ad sacerdotem deferuntur, comburi, quandoquidem ea servari periculosum valde esse ais. In hac re S. Congregatio deferendum prudentiae tuae satis cognitae ac perspectae existimavit ; nihilominus si quando scripta occurrant, quae cognoscere Ecclesiae reipublicaeve haud leviter intersit, quantum fieri poterit curandum erit, ut tuto prudensque modo ad eos, ad quos spectat, mittantur, iuxta dispositionem s. m. Pii VII. in Constitutione** *Ecclesiam* 13 **Septembr.** 1821 §. *Postremo* (1).

(1) Haec ibi « Postremo ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus et proscribimus omnes *carbonariorum,* ut aiunt catechismos et libros, quibus a *carbonariis* describuntur quae in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta, codices, ac libros omnes ad eorum defensionem exaratus, sive typis editos, sive manuscriptos, ei quibuscumque fidelibus, sub eadem poena maioris excommunicationis, eodem modo reservatae, prohibemus, memoratos libros, vel eorum aliquos legere aut retinere, ac mandamus, ut illos vel locorum Ordinariis, vel aliis, ad quos eosdem recipiendi ius pertinet, omnino tradam ».

S. C. Indulgent. 14 Decembr. 1857. — Petrocoren.
De editione librorum absque licentia S. Congr. Indulgentiarum.

**In decretis de libris prohibitis, quae post Regulas Indici addita sunt, haec leguntur § III. n. 12: « Indulgentiarum libri omnes, diaria, sum« maria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, « non edantur absque licentia S. Congregationis Indulgentiarum ». Cum vero circa huius regulae interpretationem plura dubia exorta sint, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Episcopus Petrocorensis et Salatensis in Gallus ab Ipsa efflagitat humillime :**

1. **Utrum praefata regula ita intelligenda sit, ut nulla summaria, catalogi, folia Indulgentiarum ipsa auctoritate Ordinarii imprimi possint, absque speciali licentia S. Congregationis Indulg., etiam quando ipsi certo constat authenticas esse illas indulgentias, verbi gratia, quia penes se habet catálogos aut summaria Romae impressa.**

2. **An vero haec impressio et evulgatio solum prohibentur Ordinario, quando non ipsi certo constat iam a S. C. Indulg. evulgatas fuisse has Indulgentias.**

**R. Articulum 12 § III decretorum post Regulas Indicis editorum ita esse intelligendum et in praxim deducendum, ut si agatur de edenda concessione alicuius Indulgentiae, vel summarii Indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico vel rescripto desumendum est, aut de summario ex auctoritate S. Congregationis iam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem Indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio) ; e contra vero si sermo sit de summario vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa S. Congregationis Indulgentiarum licentia. — Die 22 Ian. 1858. SSmus approbavit.**

S. C. S. Officii 24 Maii 1703. — Ep. Quebecen. De Missionariis
quoad barbaros baptizatos vel baptizandos.

**Utrum missionarius teneatur barbaris adultis baptizatis aut baptizandis omnia praecepta legis positivae divinae intimare, praesertim ea omnia, quibus sese submittere difficultatem haberent, ut eiusmodi barbari securitate conscientiae fruantur, licet ea praecepta non observent quae ignorant, eo nitentes iuris axiomate,** *lex non obligat, nisi fuerit promulgata.*

**R. Teneri omnia praecepta legis positivae divinae intimare.**

S. C. S. Officii 13 Ianuarii 1892. — De lectura publicationum periodicam»!.

**Utrum scienter legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas, habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes, excommunicationem incurrant, de qua Bulla** *Apostolicae Sedis* **12 Octobris 1869 in excommunicatione Romano Pontifici speciali modo reservatis, art. 2.**

**R. Affirmative.**

S. C. S. Officii II Aug. 1768. — Archiep. Scopien. An liceat dare et deferre reliquias Sanctorum Turcis.

**R. Respondendum iuxta Instructionem (iam datam). In hac autem exponitur licitum esse presbyteris catholicis adire domos turcarum, ibique benedicere infirmos et orare super eos pro sanitate corporis et pro illuminatione mentis. Non autem esse licitum relinquere in eorum manibus, ut dicitur,** *brevia* **(italice** *brevetti)* **quando adest periculum, ut irreverenter tractentur et eiiciantur; secus vero si missionarii credant non adesse contemptum, et reverenter uti eisdem. Advertantur tamen missionarii ne in huiusmodi brevibus contineantur reliquiae sanctorum, res inlinctae sacro chrismate, et multo minus si contineant vel immixta sint verba, signa crucis vel characteres quae inducere possint infideles ad actus supersticiosos. Insuper:** *che le orazioni, benedizioni od altre divozioni, che si daranno dai preti cattolici ai turchi, si diano sempre gratis senza il minimo emolumento.*

S. C. S. Officii 13 Febr. 1669. — De administrandis sacramentis mulieri, quae occasione matrimonii transiit ad ritum graecum.

**An Sacramenta ministrari debeant mulieribus, quae occasione matrimonii, ad ritum graecum transeunt, et in eo persistere volunt aut ob gravem metum sibi a maritis incussum, aut ob alias causas quae facile superari possunt. Et quid si sint constitutae in articulo mortis?**

**R. i. Satagendum esse ut servetur Constitutio 34 Glem. VIII, qua sancitur ut maritus latinus uxoris graecae ritum non sequatur, et latina uxor non sequatur ritum mariti graeci : graeca vero uxor sequatur ritum mariti latini; quod si fieri non possit, quisque coniugum in suo ritu catholico tantum permaneat.**

**2. Nemini vere poenitenti in articulo mortis esse deneganda Sacramenta.**

**3. Extra mortis articulum attendendas esse circumstantias facti ; nam si facti poenitet, si non adhaesit schismati et erroribus schismaticorum, vel, si adhaesit, eos ex corde detestatur, et si non potest ad ritum nostrum sine periculo redire, potest admitti ad Sacramenta, cessante scandalo. Si vero adsit scandalum aliorum fidelium, aut cum facile possint ad ritum latinum regredi, nolunt; aut aliquo errore schismaticorum infectae sunt, esse reiiciendas. Quod si solum scandalum timeatur, videndum quale illud sit, et an facile et quomodo tolli possit.**

S. C. S. Officii I Sept. 1851. — Ep. Quebecen. Quoad *confiteor* recitandum in administratione SS. Viatici.

**Si Ton peut se tenir au** *Confiteor* **recité une fois dans l'administration du St. Viatique et de l'Extrême Onction données de suite à un malade, et aussi dans l'application de l'Indulgence in** *articulo mortis,* **quand celle-ci a lieu en même temps que l'administration de l'un et de l'autre de ces deux Sacrements.**

**R. Si immineat necessitas conferendi unum post aliud immediate, licere semel in casu, secus repetatur.**

S. C. S. Officii 18 April. 1860. — De litaniis edendis.

**Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, et Ritualibus continentur, et praeter Litanias de B. M. V. quae in Aede Lauretana decantari solent, non •edantur sine versione, et approbatione Ordinarii, nec publice in ecclesiis, publicis oratoriis et processionibus recitentur, absque licentia et approbatione S. Rituum Congregationis.**

Decr. S. C. SS. Rit. 31 Martii 1821. — Quoad recitationem litaniarum.

**An liceat titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum vel Lauretanis aliquam versiculum addere, vel novas Litanias, de quarum approbatione Ordinario nullatenus constet, in ecclesiis canere vel recitare.**

**R. Negative, et serventur omnino decreta S. Congregationis, curentque Ordinarii colligere, et vetare formulas quascumque tam impressas, quam manuscriptas Litaniarum, de quarum approbatione noa constat.**

**Et quoniam de Litaniis sermo est, quum Sacrae Congr. innotuerit aliquibus in ecclesiis, praesertim occasione Orationis quadraginta horarum, libellos adhiberi, in quibus vel peculiarium Sanctorum nomina addita conspiciuntur, vel unus aut alter versiculis in precibus desideratur; idcirco S. C. inhaerendo instructioni Clementis PP. XI. §. 24. (1) praecipit ne alii adhibeantur libelli, nisi typis Rev. Camerae Ap. impressi, vel eisdem plane conformes. — Sanctitas Sua... approbavit confirmavitque.**

S. C. SS. Rit. 4 Aug. 1877. — De editione librorum devotionis.

**An prohibitum sit in libris nuncupatis** *devotionis,* **textui latino Ordinis Missae, ac praesertim Canonis, addere versionem in lingua vulgari.**

**R. Libros eorumque versiones in lingua vernacula de quibus agitur, a canonicis praescriptionibus et Apostolicis decretis, Episcoporum auctoritati omnino reservari, ideoque licitum non esse fidelibus horum uti editionibus, nisi istae expressam praeseferant Episcoporum approbationem.**

S. C. SS. Rit. Il Septembr. 1847. — Veronen. Quoad recitationem litaniarum.

**Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Litaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terraemotus, peste, fame et bello, quaeritur utrum recitari debeant et quo loco apponendae?**

**R. Affirmative, et ponendas esse post versum :** *A fulgure et tempestate.*

S. C. SS. Rit. 14 Aug. 1858. — Tunk. Occid. De additione facienda in litaniis Sanctorum.

**In Litaniis omnium Sanctorum post versum:** *Sancte Raphael,* **si addatur distincta invocatio unius vel plurium Sanctorum pro devotione cuiuscumque, amittunturne omnes Indulgentiae a Summis Pontificibus concessae in recitando sic Litanias? Si respondeatur affirmative, Episcopus orator implorat ab eadem S. Sede ut easdem Indulgentias sibi iterum concedere dignetur.**

**R. Observanda decreta quae omnem vetant in Litaniis additionem.**

(1) Memorata Instructio data fuit die 21 Ianuarii 1705 pro Expositione SS. Sacramenti, occasione Orationis quadraginta horarum.

Ex Decr. S. C. dè Prop. F. 6 Oct. 1863. — Probatur conventio inter Antistites provinciae Leopoliensis quoad ritum latinum et graecum.

**Ad graves et diuturnas controversias dirimendas, quae in ecclesiastica provincia Leopoliensi ob disciplinae varietatem, nec non ratione mutuarum relationum inter ecclesiasticos viros latini et graeci ritus inde promanantium, non absque christianae charitatis dispendio atque animarum detrimento, agitabantur, optimo sane consilio utriusque ritus Antistites conventionem seu concordiam sub die 23 Decembris 1883 ineundam censuerunt, quam deinde S. Sedis placito subiiciendam curarunt... Antadictam conventionem per hoc S. G. decretum approbari mandavit (SSmus) iuxta sequentem tenorem: «** *A. Sub respectu transitus ab uno ad alterum ritum. — a.* **Quilibet in suo nativo ritu permanere tenetur, et arbitrarius iam permultis tum ad missionarios et fideles orientis, tum ad oras nostras directis constitutionibus et decretis reprobatur transitus, denuo ac severissime prohibetur, et quocumque modo ad effectum deductus, irritus ac nullus esse declaratur. Quare nemini absque obtenta Sedis Apostolicae facultate ex uno ad alterum ritum transire liceat. Attamen quoniam aliquando urgens necessitas forsitan expostulat, vel rationabiles causae suadere possunt transitum de uno ritu ad alium, idcirco in hisce casibus ritus mutationi fiet locus, sequenti tamen methodo religiose servata. Ille qui ex uno ad alium ritum transire cupit preces proprio Ordinario dioecesano porriget, causas, quae ritus mutationem suadent, accurate et fideliter exponens. Ordinarius scripto tenus sententiam suam super petitione et causis aperiet: hoc autem documentum exhibebitur Ordinario alterius ritus, ad quem transitus expostulatur; atque hic etiam suam sententiam scripto significabit, et omnia transmittet ad S. Sedem, quae vel per se, vel per suum delegatum decernet utrum transitus permittendus sit nec ne. In casibus autem urgentibus, qui moram non patiuntur, Ordinarius illius ritus, ad quem transitus exposcitur, audito, methodo superius enunciata, Ordinario alterius ritus a quo dimittendus est orator, transitum admittet provisorie, et sub conditione, si a S. Sede transitus hic confirmabitur.**

*b.* **A die publicationis initae Concordiae, in unaquaque dioecesi utriusque ritus faciendae, terminus sex mensium** praeficitur, **intra quem licitum erit partibus, quae arbitrario ritum mutarunt, ad ritum suum redire, atque hoc desiderium Episcopo utriusque ritus partes eaedem insinuabunt. Praedicto autem termino elapso, illi qui hac facultate usi non fuerint, si laici sint, in ritu illegaliler assumpto ex Apostolico indulto perpetuo manebunt; si vero sint ecclesiastici, ad S. Sedem singillatim recurrant, ut provideat.**

*c.* **Ab** eodem die publicationis Concordiae, ut sacerdos sive latini sive rutheni ritus quempiam illegitime transeuntem sciens et volens ad suum aggregaverit ritum, aggregatio talis sit nulla et irrita ; et insuper sacerdos, qui hoc grave piaculum admiserit, si regularis sit, obnoxius erit poenis statutis in **Constitutione Benedicti XIY,** quae incipit *Demandatam coelitus* **(i);** si vero sit e clero saeculari sive parochus sive operarius, prima vice spiritus recollectionibus octo dierum, secunda vice quatuordecim dierum, tertia demum vice suspensione a divinis ipso facto incurrenda, et pro casus gravitate etiam beneficii privatione, si parochus est, praevio processu iudiciali; si operarius, inhabilitatione per triennium ad curatum beneficium obtinendum puniatur. Quod si quispiam, celato nativo ritu, fidelibus alterius ritus se iungeret, et a sacerdote alterius arbitrario assumpti ritus obsequia spiritualia expeteret et obtineret, subdolus ille actus, licet post decursum plurium annorum in lucem demum prodierit, sit nullus et irritus; sacerdos tamen qui advenam suis ovibus inscius adnumerabat, insons declaretur, et nonnisi eumdem ad ritum nativum relegare teneatur. **Si** vero etiam indubitata de nativo advenae ritu obtenta notitia, obsequia spiritualia eidem praestare pergeret, iam sciens et volens talem advenam suo gregi adnumerare nititur; hinc poenis superius positis subiiciendus est ».

(1) In hac Constitutione (24 Dec. 1743) qua nonnulla statuuntur circa ritus graecorum melchitarum, haec habentur: « Curent praeterea (missionarii) ut omnia » laudabilia Ecclesiae graecae instituta ab antiqua Patrum traditione derivata, et » Apostolica comprobatione firmata, in suo vigore permaneant, atque a fidelibus » istius nationis integre executioni tradantur; neque aliquid iisdem suggerere aut » suadere audeant quod illorum contemptum atque imminutionem inducere possit ; » multoque minus auctoritate propria aliquid circa illa innovare,' aut etiam super » iisdem aliquam dispensationem concedere vel admittere praesumant. Alioquin » praeter distinctam, quam Deo, Nobis, suisque superioribus (quos de urgenda hu» ius decreti observantia peculiariter oneramus) rationem reddent, sciant se harum » Litterarum vigore privationem vocis activae et passivae, et inhabilitationem ad » quemcumque gradum ei officium in suis respective Ordinibus, Institutis et Con» gregationibus ipso facio incursuros ».

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## BERGOMEN.

### TESTAMENTI

*Die 27 Aprilis 1895.*

**Sess. 24 c. 37 de Reform.**

COMPENDIUM FACTI. Sub die 6 Aprilis 1888 Sacerdos Carolus Pasinelli, Rector Ecclesiae Parochialis oppidi *Madone* in Dioecesi Bergomensi, per publicum Notarium coram quatuor testibus, condito testamento, domum quamdam, ab ipso in eodem Municipio possessam, benefìcio parochiali ad dicebat sub conditione, ut eiusmodi domus exhiberet habitationem vice-Parocho : quatenus autem futuris temporibus a Daemanio capiatur, hoc in casu cum cesset finis huius institutionis, iussit, ut devolvatur in proprietatem suorum haeredum.

Domo, vi huius actus, parochiali benefìcio unita, Sacerdos Sanctes Cattaneo, in parochia immediatus successor, Gubernio relativa contulit tributa ; ac cum vice-Parochus suo habitationis iure uti nollet, eo quia ex testatoris voluntate, huius fratris uxor inibi habitabat, domo locata, usque in praesens locationis fructus, quasi res beneficíales, sibi retinuit.

Verum Ecclesiae Fabrica sibi locationis fructus vindicat ea de ratione, quia Parochi Pasinelli testatoris mens fuit, in leganda domo, subveniendi Fabricae, pergravatae onere solvendi parochiali Coadiutori expensas locationis domus.

Quare Fabrica non solum fructus expostulat modo provenientes a locatione, sed fructus etiam iam perceptos et universos in futurum percipiendos.

Suam intentionem probare nititur asseverans eam semper parocho Pasinelli insedisse voluntatem, ab empta domo, eamdem relinquendi Fabricae in usum habitationis pro vice-Parocho.

Quare iam moriturus idem Parochus adhibuit ipsos Fabricae administratores, ut ad se vocarent Notarium ad testamentum conficiendum.

Testes vero testamentarios postea interrogatus fuisse, autumat Fabrica, et iuratos retulisse, quod testator prius constituisset relinquere praedictam domum favore Fabricae pro habitatione vice-Parochi; sed praevidens periculum direptionis ex parte Daemanii, praetulit eam relinquere favore vice-Parochi.

Praeterea iidem testes iurati affirmant, semper Parochi eam fuisse voluntatem eamdemque saepe significasse, nempe per emptam domum prospiciendi Fabricae Ecclesiae necessitatibus, adeo ut beneficio Parochiali non reliquerit per testamentum, nisi ad evadendum usurpationis fiscalis periculum.

Exinde ipse testator Ecclesiae Fabricae, quippe legato honestatae, onus imposuit solvendi Notarii honorarium prouti reapse praestitit.

Sed ex adverso Parochus Fabricae intentioni refragatus, quamvis non deneget facta ab hac allegata, ita argumentatur. Notat in primis non esse aliunde Parochi defuncti voluntatem hauriendam, quam ex Testamenti legitimis verbis, quippe neminem latet testamentum esse nostrae voluntatis supremam et solemnem significationem, de eo quod post mortem nostram fieri velimus.

Iamvero parochi Pasinelli testamentaria voluntas expressa fuit actu legitimo, apertis verbis, nulli dubietati obnoxiis. Eo magis quod Notarius de testantis voluntate percontatus in scriptis affirmavit hoc veritati niti.

Dein advertit, si ea Parochi mens fuisset, quam Fabrica asseverat, pronum erat ut eamdem apud eosdem vel alios testes manifestaret, et contestare tur quasi *ad fiduciam* aperiendam; quod tamen fecisse nullimode constat, neque ipsa Fabrica contendit.

Nihilominus Parochus expresse fatetur domui legatae onus inesse praestandi habitationem Coadiutori; qui sibi imputare debet si suo iure adhuc usus non sit. Quum enim Te-

stator habitationis usum quoad certam partem domus reliquerit fratris sui uxori, Coadiutor renuit cum legataria eamdem domum habitare. Sed non iure merito, notat parochus, nam uno tantum cubiculo mulieri a testatore assignato, novem supersunt cubicula a vice-Parocho libere inhabitanda, quibus proprius patet accessus, quo omnino seiunguntur a mulieris habitatione.

## Disceptatio Synoptica

Ex officio animadversum fuit, quaestionem non esse facti, sed iuris; nam quoad facta partes non contendunt, sed in eo lis est : an valere debeat voluntas per testamentum expressa, an alia, quam testator tabulis consignare non ausit, sed ipsis testibus testamentariis non semel aperuit.

Iamvero potius hanc postremam non testamento expressam, sed aliter sufficienter manifestatam voluntatem sequendam esse non parvi momenti rationes suadent. Siquidem agitur de testamento ad causas pias. Atqui exploratissimi iuris est, quod in huiusmodi testamentis nulla requiritur civilis solemnitas ad validitatem, sed duo vel tres testes sufficiunt, attestantes de pia defuncti voluntate, ipsis manifestata aliquid *relinquendi ad causas pias.* Ita communiter Doctores interpretantes - *Relatum* - in Tit. *Re Testamentis et ultimis volunt.* Gury (1-818) testamenta ad causas pias susti^ neri etsi destituta quibuscumque solemnitatibus civilibus probat « I° quia constat ex Iure Canonico *Decret, lib. 3, tit. 26, c. 2, etc.; 2°* quia piae causae ad Ecclesiam pertinent eiusque subiacent iurisdictioni : porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus quae iurisdictioni suae directe subsunt. Quare a Conc. Trid. sic statutum est: *Episcopi etiam ut S. Ap. delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos sint ejecutores; sess. 23, c. S, de Ref.* Ita S. Lig., Less., Rone, et alii. S. Poenitentiaria, pluries interrogata, huic sententiae adhaerendum esse respondit ». Inter recentiores Canonistas Cl. Sancti in

comm. ad Cap. *Relatum,* dispositionem testatoris ad causas pias servandam esse ait, dummodo « de voluntate testatoris ultima, certitudine morali constiterit, sive per testes sive per scriptum sive alio modo ».

Neque in casu obiici posset, causam quoque piam contineri in testamento per Notarium legitime rogatum, quare *privilegiatus adversus aeque privilegiatum suo privilegio uti non deberet;* namque advertatur sufficienter constare, veram testatoris ultimam voluntatem fuisse relinquendi domum non benefìcio parochiali, sed Ecclesiae Fabricae. Quapropter quia in his causis veritas attenditur, testamento scripto testamentum nuncupativum, quippe vere privilegiatum, praevalebit.

Exinde Fabricae fructus iam percepti ex domo locata restituendi erunt, nisi forte iuxta communes iuris regulas saltem in aliqua parte praescripti sint, et praeterea domus in Fabricae administrationem et possessionem constituenda erit sub ea tamen testatoris expressa lege *di servire* esclusivamente *per abitazione del vice-Parroco.*

Quocirca videtur non esse locum quaestioni, an legatae domus pars locari possit, vel potius an tota Coadiutoris habitationi destinanda sit : expressa enim et clara est testatoris voluntas.

Verum ex adverso Parochi intentioni videtur favere haec potissima ratio. Nimirum non hic agitur quodnam ex duobus testamentis praevalere debeat; nam unum tantum habetur testamentum; alterum omnino desideratur. Esset enim omnia susdeque vertere in materia testamentaria si testandi propositum cum ipso testamento seu suprema voluntate confundatur. Ut alios praeteream, concordes in hoc omnes Canonistas, referam verba Cl. Santi loc. cit. subsequentia his iam citatis in aliam partem ; nempe : « Dixi de voluntate ultima, nam I° non teneretur heres legitimus ad aliquid praestandum ad causas pias, si constaret solummodo de defuncti proposito seu de consilio vel desiderio condendi testamentum, aut relinquendi aliquid causae piae, sed *constare debet de*

*voluntate absoluta et positiva* ». Atqui testes testamentarii in casu fidem faciunt de proposito defuncti domum legandi Ecclesiae fabricae, sed non minus aperte de mutato proposito deque rationibus ad hoc impulsi vis testantur; quapropter tantummodo evincere videntur testatoris consilium vel desiderium, non eam supremam voluntatem expressam ut post mortem fiat per executores, quod in voluntate fuit testatoris. Quocirca testandi solemnis voluntas et actus examussim defuerunt.

Quamvis vero parochiali beneficiò domus potius legata videatur, nihilominus non dubia est testatoris voluntas, nempe per eamdem comparando congruam Coadiutori habitationem , ita fabricam sublevando ab huiusmodi onere hactenus ipsi inhaerente. Hoc fatetur fabrica nec diffitetur parochus, imo aperte recognoscit, dolens praeterea quod hoc iure usus non sit Coadiutor, neque fabrica, cuius maxime intererat, eumdem inducere ad habitationem sibi relictam suscipiendam. Unde parochus videtur deducere quod, si damnum exinde fabrica persentit, non alii quam sibi imputare deberet.

Forsitan maior quaestio est an expensas refectionis ordinarias et onera vectigalium ferre debeat parochus an Coadiutor usuarius. Si stemus iuri Romanorum, *ex I. 19 ff. De usu et habitatione,* huiusmodi onera et expensae sunt, pro rata parte, communia haeredi et usuario quando usuarius tantummodo pro parte rei usum habet ; secus omnia fert haec onera usuarius si re integra et solus utatur. Ita etiam *Cod. Ital. art. 527,* ita concepto : « Se chi ha l'uso di un fondo ne raccoglie tutti i frutti o se chi ha il diritto di abitazione occupa tutta la casa, soggiace alle spese di cultura, alle riparazioni ordinarie ed al pagamento dei tributi come *Y* usufruttuario ».

« Se non raccoglie che una parte dei frutti o non occupa che una parte della casa contribuisce in proporzione di ciò che gode». Cfr. d'Annibale *II, n. 167'.*

Quamvis autem testator dicat domum debere *servire* esclu-

divamente *per abitazione del vice-Parroco,* nihilo secius duplici interpretationi obnoxia est huiusmodi loquendi forma. Vel enim intelligitur integram domum, exclusis quibuscumque aliis, debere Coadiutoris habitationi inservire; vel potius intelligitur, legatam domum, aliis exclusis usibus, utpote ad publicas scholas, in perpetuum adhibendam esse in usum habitationis pro vice-Parocho. Haec vero secunda interpretatio magis conformis est subiectae materiae, quia nimis ampla est tota domus testamento relicta pro unius tantum Coadiutoris habitatione. Adde quod stante hoc dubio voluntatis testatoris, possidet lex positiva praescribens in *cit. art. Cod. Ital. 527,* praesumendum esse legatum fuisse ius habitationis pro ea tantum parte usuario necessaria. Concordat Ius Romanum in *I. § 4, 5, 6, ff. tit. De usu et habitatione.*

Quare deliberabunt EE. PP. an concedendo Parocho vel potius vice-Parocho fructus locationis percipiendos a certa parte domus locandae ,* eidem, cui commodum conceditur, onus imponatur ferendi vectigalia et refectionis expensas ordinariae; vel potius vice-Parocho adiudicando exclusivum ius habitationis, ipse ferre debeat onera vectigalium et ordinariae refectionis.

Hisce in utramque partem delibatis, proposita fuerunt dirimenda

## Dubia

I. *An beneficio parochiali vel potius Fabricae domus fuerit legata, in casu.*

Quatenus affirmative favore Fabricae;

II. *An Parochus fructus iam perceptos Fabricae restituere debeat in casu.*

Quatenus vero affirmative favore beneficii parochialis;

III. *An Parochus ita debeat Coadiutoris prospicere habitationi, tit ab hoc onere sublevet omnino Fabricam, in casu.*

IV. *An domus pars non necessaria Coadiutoris habitationi, possit locari, in casu.*

V. *Quinam ferre debeat vectigalia et refectionis ordinariae expensas, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 27 Aprilis 1895 censuit respondere : *Ad* I. *affirmative ad I^am^ partem, negative ad U^am^. Ad* II. *negative; ita tamen ut Fabrica reddatur indemnis de expensis, quas sustinuit a die captae possessionis, ex parte parochi, domus legatae. Ad* III. *affirmative. Ad* IV. *et ad* V. *ad mentem.*

## GRATTANOPOLITANA

### SUSPENSIONIS ET REMOTIONIS A PAROECIA

*Die 26 Ianuarii 1895.*

**Sess. 24. Cap. 4 De reform.**

COMPENDIUM FACTI. Quum Sacerdos Abel paroeciam oppidi *Avenières* Dioecesis Gratianopolitanae administrant ab anno 1881 ad 1886, Ecclesiam parochialem restaurandam curavit, impendens summam Libellarum L. 48,124. Verum quia ad hunc scopum parochus, ex variis oblationibus, colligere non potuit nisi summam Lib. 38,374 ; reliquam pecuniam ipse suppeditavit ; quod ratum habuit huius paroeciae Fabrica, formiter obligatam se recognoscens erga sacerdotem Abel ex respectiva libellarum summa nempe L. 9749, seque soluturam fore, usque ad integram debiti solutionem, legitimos fructus. Approbatis a competente auctoritate gestae administrationis, et praesertim peractae restaurationis rationibus, sacerdos Abel translatus fuit ad Ecclesiam curatam Archipresbyteralem S. Ioannis, oppidi *de Bournag;* quam novam paroeciam suscepit valde commendatus a fidelibus Ecclesiae loci - *Avenières* - nec non ab administratoribus Fabricae eiusdem paroeciae.

In eius locum, die *3 Octobris anni 1886* suffectus fuit sacerdos Franciscus Giroud, qui antea professorem et directorem egerat parvi seminarii, loci Rondeau. Postea secundi

eleemosynam et dein primi ad oppidum Montfleury functus fuerat officio, et moderatoris scholarum, a Nostra Domina nuncupatarum. Fertur, haec munia relinquere coactum fuisse ob querelas non paucas in iisdem exercendis excitatas.

Capta paroeciae loci - Avenières - possessione, recusavit accipere summam Lib. 5000 a sacerdote Abel oblatam ad pia opera explenda, ea tamen sub conditione ut parochus Giroud succederet in creditum eiusdem Abel adversus Fabricam, quasi ipsius gestor negotiorum. Imo cum idem sacerdos duas literas parocho Giroud dedisset ad repetendos fructus currentis anni, nullam habuit responsionem. Nam parochus iam coeperat significare ipsi Ordinario, se graves concepisse suspiciones circa legitimitatem crediti sui antecessoris, aperte asseverans administrationem patrimonii suae ecclesiae in pessima versari conditione. Ulterius semper ursit sua dubia, eaque clarius manifestavit adeo, ut scripserit canonico Jacquemin, curiae episcopalis secretario. « Personellement je suis entièrement convaincu que M.r Abel n'a pas déboursé un centime de son patrimoine pour les divers travaux qu'il a fait exécuter. »

Quum magis in dies sacerdos Giroud in hisce accusationibus disseminandis instaret, ab Episcopo *die 3 Iulii 1887* invitatus fuit in curiam, ut suspiciones ita graves in presbyterum Abel congrue probaret. At ille in duabus uteris evasive respondit, primo petens dilationes ad probationes comparandas, dein declarans se numquam congressurum, iudiciali contentione, cum sacerdote Abel tricar um iudicialium nimis perito ; scilicet : « Je ne m'exposerai jamais à une discussion en face de Mr. Abel ; il a des habilités et des hardiesse, que je n'ai pas. »

Interim Episcopo tradebat quasdam literas ab administratoribus Fabricae signatas, quibus declarabat, se subscripsisse et rationes approbasse administrationis a parocho Abel peractae, quin easdem perlegerint vel alias examinaverint.

Episcopus accusato statim manifestavit denunciatum cri-

men, eo consilio ut se purgaret a tali accusatione ; quod luculenter peregisse sacerdotem Abel per allatas responsiones arbitratus est ipse Episcopus. Proinde edidit decretum, imponens parocho Giroud quod aut per scriptam declarationem recognosceret veritati et iustitiae conformes rationes redditas a suo antecessore, aut earumdem falsitatem probaret, sub poena privationis paroeciae, si alteri ex duabus conditionibus non satisfecisset. Verum parochus iterum petens dilationem ad probationes ordinandas, vehementius accusationes urgebat. Tunc Episcopus ad viam tergiversationibus praecludendam, aliud dedit decretum sub die 21 Iulii 1887, invitans parochum ad subscribendam sub poena remotionis a paroecia, declarationem sequentis tenoris : « Je soussigné curé des Avenières, regrette d'avoir élevé des doutes sur la régularité des comptes relatifs à la restauration de l'Eglise de cette paroisse et déclare par les présentes retirer purement et simplement l'accusation que j'ai portée témérairement à cet égard. »

Subscripsit parochus, at parvo post tempore eamdem retractare conatus est, sub die 24 Augusti 1887 postulans a curia declarationis lacerandae restitutionem, aiens in uteris : « Vous m'avez demandé une rétractation. Je l'ai signée à la prière de l'archiprêtre et pour faire cesser le scandale que M.r Abel répandait pour tout le diocèse. Je l'ai faite contre ma conviction, car je sais que les comptes de M.r Abel ne sont pas exacts ».

Episcopus, ut parochum de suo errore con vinceret, eumdem invitavit ad respondendum coram quodam conventu virorum a se electorum, scilicet composito e Secretario curiae generalis et duobus parochis. Habitus est congressus, at negotium componi non potuit. Interim parochus instans in suis accusationibus, scribebat Episcopo : « J'ai dit et prouvé que les comptes du R. Abel sont contradictoires : veuillez me prouver le contraire. »

Tunc Episcopus, ut controversia tandem finem haberet, ordinavit parocho Giroud *sub die 19 decemb. 1888* quod

*intra 15 dies* curaret, executioni demandari obligationem a Fabrica susceptam erga sacerdotem Abel, quo tempore inu^ tiliter praeterlapso, a paroecia statim removeretur. Parochus, mense Decembri, coegit Fabricae administratores quorum conventui adfuit quidam archipresbyter ab Episcopo et sacerdote Abel delegatus ad proponendam transactionem pro definitiva negotii compositione. Administratores, respuentes quamcumque concordiam, decreverunt, a sacerdote Abel, cum primis exigendam esse probationem legitimitatis allatarum rationum. Hoc facere non -recusavit presbyter Abel et in alio Fabricae administratorum conventu per advocatum Blanc ad hoc electum, redditas rationes defendit et declaravit. At occasione huius defensionis, parochus Giroud, praesens congressui, in sacerdotem Abel instantius accusationes protulit. Hoc ad Episcopi aures pervenit, qui statim parocho onus imposuit huiusmodi iniurias retractandi ; nec non efficiendi ut Fabrica suae obligationi satisfaceret, sub poena imminentis paroeciae privationis. At parochus, ira abreptus, Episcopo insolentes et valde iniuriosas dedit literas, uti ipse dolens fatetur, ad refutandum editum decretum. Episcopus respondit, expresse et plene approbans gestam a sacerdote Abel administrationem, et varias minitatus poenas, decernit ut Fabrica quamprimum debitam summam persolvat. Parochus Giroud, primo, visus est sincere obsequi velle Episcopi ordinationibus, at paulo post, mense Iunio 1889, proclamabat in quadam litera : « Mr. Abel n'a aucun titre contre la Fabrique. Les prétendues approbations de ses comptes sont nulles. Il est démontré que Mr. Abel a trompé soit les Fabriciens, soit l'administration etc. »

Rebus huc perductis, recurrendum esse ad formale iudicium censuit Episcopus, quare dixit sacerdoti Abel, ut parochum Giroud apud Curiae tribunal conveniret. Hinc Curiae promotor fiscalis Debut, ad instantiam sacerdotis Abel accusationem introduxit petens, ob crimen diffamationis, Parochum Giroud a paroecia removeri. Idem-officialis-Debui delegatus fuit ad processum instruendum ; quamobrem ad paroeciam

loci Avenières se contulit, ut instrumento et facti adminicula examini subiiceret. At sacerdos Abel interrogatus non fuit. Acta inquisitionis publicata fuerunt *die 25 Octobris 1889* eaque parocho Giroud favorabilia evaserunt. Dicitur enim in conclusione : « je conclus en disant que Mr. Giroud n'ayant pas eu entre les mains d'autre pièces que celles, sur lesquelles est basé mon rapport, se trouve justifié des accusations portées contre lui, par Mr. Abel. Je prie donc l'Officialité des prononcer en sa faveur une ordonnance de non lieu et de demander que les comptes de Mr. Abel soient soumis à un nouvel examen ».

Reapse ad ulterius examen, iuxta votum promotoris, processit ipse Vicarius Generalis, adhibito etiam vice-officiali Faure. Citati fuerunt ad comparendum sacerdotes Giroud et Abel qui seorsim auditi fuerunt. Utriusque documentis ad trutinam revocatis, sententia prodiit absolvens sacerdotem Abel, condemnatoria parochi Giroud, uti calumniatoris; quare publicae reprobationi subiiciendus proponebatur, prouti statuitur in eadem sententia, ab Episcopo approbata, sub die 25 Novembris 1889 et executioni demandata.

Sacerdos Giroud protestatus est contra hanc sententiam, eo maxime quia antequam citationi pareret, quum a Curia veniam postulasset secum ducendi advocatum die comparitionis, repositum fuerat, hoc contra ius esse, nam ipse non uti accusatus vocabatur, sed solum ad comprobandas conclusiones relationis promotoris Debut. - Quapropter cognita sententia, parochus Giroud die 4 Decembris 1889 Episcopum adiit cum advocato Grolée. Instaurata de litigioso negotio disputatione, nihil concludere fas erat, verum quia parochus Giroud in advocato Grolée maxime confidere videbatur, Episcopus sperans, ob rei evidentiam, posse persuaden, advocato hanc quaestionem, scriptam, proposuit: « Mr. Giroud a porté certaines accusations contre Mr. Abel ; en a-t-il fait preuve? »

Advocatus Grolée resolvendam suscepit quaestionem, quasi arbiter constitutus fuisset et sub hoc titulo relationem exa-

ravit. Interim sacerdos Abel, rei certior effectus, die 11 Decembris, scripsit Episcopo, respuens perfracte advocati Grolée arbitratum, quum sententia die 25 Novemb. 1889 examinari non posset nisi ab Archiepiscopo vel a Papa. Dein idem sacerdos Abel, die *11 Ianuarii 1890,* renuntiatus fuit canonicus honorarius Cathedralis ; quare advocatus Grolée persentiens, hac Episcopi deliberatione, publice eius sententiam arbitralem posthaberi aut impediri, Episcopo literas dedit admodum iniuriosas, quas per ephemerides edi et quammaxime in vulgus disseminari curasse videtur.

Gliscente in dies scandalo, Episcopus ratus, parochi Giroud ministerium non amplius utile evadere in oppido - Avenières - eumdem per decretum *diei 12 Februarii 1890* transtulit ad Ecclesiam parochialem loci Chañas, paulisper, inferioris gradus. At hic exequi recusavit decretum, arguens quod « les tribunaux religieux et civils étant saisis de la question, qui motive son changement, il ne pouvait quitter son poste, avant qu'ils aient prononcé leur jugement ». Reapse, sacerdos Giroud, die 20 Februarii 1890, appellaverat ad Summum Pontificem a sententia diei 25 Novembris 1889, tum quia iudicii formae processuales observatae non fuerant, tum ob negatam defensoris constitutionem.

Sub idem tempus Fabricae administratio ad civile tribunal rapuerat, auctore, fertur, parocho Giroud, sacerdotem Abel instans ut obligatio erga eumdem suscepta, nulla et irrita declararetur idemque a digeretur ad pecuniae summas pro piis usibus perceptas et Fabricae non traditas restituendas.

At quum persisterei, parochus Giroud in deneganda executione Episcopi mandatis, per decretum Vicarii Generalis *diei 24 Februarii 1890* obligabatur ad suscipiendam paroeciam loci Chañas, sub poena suspensionis incurrendae die subsequente huic praecepto. Insuper Vicarius generalis scribebat archipresbytero Bouvallet, immediato sacerdotis Giroud superiori, ut se conferret ad paroeciam loci - Avenières - ibique, si adhuc illum reluctantem invenisset, duarum ho-

rarum spatio ad deliberandum concederet, quo inutiliter praeterlapso, commonefaceret, *interdictum personale generale* ipsum incurrisse, quamobrem nec paroeciam loci Chañas amplius administrare posse. Decreti executio facta est die 27 Februarii 1890. Nihilominus quia parochum dimovere possibile non fuit, rogatu Episcopi interveniente etiam decreto politicae potestatis nimirum Praefecturae, apud suos se contulit sacerdos Giroud in oppido Trept.

Hic interea, contra interdicti decretum, aliam interposuit ad S. Sedem appellationem petens in integrum restitutionem. Ad instantiam Episcopi et sacerdotis Abel, Curia metropolitana Lugdunensis, examinata quaestione, relate ad rationes peractae administrationis, ex voto viri periti, ratiocinatoris et Secretarii Tribunalis commercii Lugdunensis, declaravit administrationis gestionem undequaque probandam esse.

Etiam S. C. C. controversia perpensa, potius sub aspectu, an accusationes a sacerdote Giroud in suum confratrem disseminatae, legitimae essent, *sub die 2 Maii 1891* hoc Rescriptum dedit Gratianopolitano Episcopo : « Ad examen revocatis quae hinc inde allata sunt circa controversiam a F. Giroud motam, iisdem perpensis, Emi PP. rescripserunt: Provisum per sententiam Curiae Episcopalis diei 23 Aprilis 1889, confirmatam ab Emo Metropolitano, die 12 Octobris 1890, ideoque orator acquiescat. Qui tamen Giroud graviter moneatur, ut conscientiae suae consulat, laesam confratris famam restituat, veniam a suo Episcopo postulet et in posterum abhorreat a similibus. »

Huic Rescripto reposuit sacerdos Giroud, non eam fuisse suam intentionem in appellatione interponenda apud S. Sedem, iudicium exposcere circa meritum administrationis sacerdotis Abel, sed impugnare decreta Episcopalia diei 25 Novembris 1889 et 27 Februarii 1890, quippe iniustas poenas irrogantia.

Revera modo quaestio circa rationes peractae restaurationis a sacerdote Abel absoluta videtur. Nam sacerdos Ronstang successor in paroecia loci - Avenières - ratas habuit

rationes gestae administrationis antecessoris Abel, cum quo pactum iniit cessionis obligationum et spopondit de consensu Episcopi, ipsum assumere adversus Fabricam creditum sacerdotis Abel, eiusdem actionis cessionarium. Denique ad compescendum omne scandalum, a parocho Ronstang et ab administratoribus Fabricae haec transactionis syngrapha subsignata fuit *sub die 18 Martii 1891* « Le compte qui constituait ainsi la Fabrique créancière est bien simple. II portait au crédit de M. l'abbé Abel du'chiffre de 9749 fr. que l'on reconnaissait exact ; puis au débit, on faisait figurer les diverses sommes reçues soit par lui (M. Abel) soit par M. Roustang pour le compte de l'église ou de la Fabrique ; d'où balance faite, il résultait que cette dernière restait créancier de 750 fr. que M. Roustang s'engageait à lui verser et lui versait en effect. »

Sed accidit ut actui transactionis praeponerentur nonnullae phrases, approbantes animadversiones a parocho Giroud iam factas. Quare Sacerdos Abel protestatus est, aiens, se transactionem non iniisse cum Fabrica, quum hanc stipulatus sit crediti cessionarius parochus Roustang, proprio nomine et arbitrio. Quum Fabricae administratores huiusmodi propositiones ex actis expungere nollent, ipse Episcopus Gratianopolitanus sollicitavit politicam potestatem ad easdem expungendas.

Interea idem Episcopus, etiam ad instantiam quorumdam Sacerdotum, contulit, sed precario, presbytero Giroud paroetemciam loci *Vennissieuœ,* cuius possessionem suscepit. Sub id poris trasmissum fuit S. C. C. Rescriptum cui obsequi promisit parochus ea tamen sub conditione, ut idem Rescriptum in publicum non divulgaretur.

Hoc admittere non posse Episcopus arbitratus est qui e contra eiusdem Rescripti exemplaria statim ad clerum universum dedit. Quod aegre tulit parochus Giroud minacesque literas Episcopo scripsit, quare etiam paroecia loci Vennissieux privatus et a divinis suspensus ad suos iterum se recepit, in oppido Trept, ubi adhuc commoratur.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO EPISCOPI. Episcopus suam agendi rationem defendit referens usque ab initio factorum historiam, quae iam relata sunt in facti specie, enixe exorans S. C. C. ut definire vellet per suam auctoritatem hanc quaestionem, quae causav.it agitationes et scandala in Dioecesi, et causabit donec finem accipiat per sententiam Emorum Iudicum.

DEFENSIO PAROCHI. EX adverso patronus a parocho Giroud constitutus, postquam factorum seriem enarraverit, advertit modo quaestionem esse de iustitia poenarum, per duo decreta suo clienti inflictarum.

Prius decretum, notat Orator, parocho Giroud vituperationem infligit, uti calumniae reo in fratrem, hocque vulgatur per transmissionem archipresbyteris et superioribus ecclesiarum ea sub ratione quod uti scandalum a Giroud accusationibus et allegationibus publice allatum fuerit, ita publica reparatio esse debeat. Sed, animadvertit patronus, huiusmodi poenas publicae reprobationis et infamiae non solum extra ius esse, verum et ecclesiasticarum poenarum rationi contrarias esse, cum scandalum adiiciat scandalo et auctoritatem rectoris ecclesiae in fideles evertat. Sed cum de poena certe agatur, poenale iudicium omnino praecedere debuisset. Verum ab expositis patet, nullam iudicii formam nec speciem quidem adfuisse.

Defuit primo loco citatio rei. Accusatus enim invitatus, ut ad dioecesanum tribunal veniret, nulla citationis iuridica forma servata, sed per epistolam, vocationis obiecto non designato. Vocatur ad hoc tantum, ut conclusiones sibi faventes, relationis procuratoris curiae, probe sustineat. Vocationi Parochus paret seque sistit ne suspicatus quidem de crimine agi. Incipit ergo defectus tum formae tum substantiae ab ipso iudicii limine, cum nulla citatio fuerit, nec ipsa rei praesentia eius defectum sanat cum ad aliud quam ad poenale iudicium vocatus sit. *Can. 2 et 4, Cap. 3, qu. 9 Clem. 2, de sent. et reiudic.* Vantius *de nullitate ex defectu*

*citationis n. 2 et seq.* Covarruv. *ad Cap. Alma mater, part. 1* § 9, n. 5.* Sed nec Tribunal, proprio sensu, habebatur. Promotor, relationis auctor, aberat, nullus erat scriba qui gesta notaret et in documentum redigerei.

Graviorem defectum adesse notat advocatus, quia postulante accusato, ut advocatum secum duceret, qui iuridice demonstraret male redditas esse rationes et iustitiam relationis promotoris curiae confirmaret, parochi ipsius petitio repulsam invenit, hac adamussim ex causa, quod ipse de nullo crimine accusaretur. Non accusatus, igitur, nec defensus,. Giroud acerbissima poena multatus abit. Haec omnia humanae damnant ac divinae leges, nec profecto ius constituunt, sed iniuriam : *Cap. 19 de sent. et re iud. Cap. 1 seq. ut lite non constet. Cap. qualiter de accusationibus.*

Nec ulla excusatio praesto esse potest, iuxta patronum, si in ea sententia publicum Giroud peccatum fuisse dicatur, et ideo publicam reparationem ab eo praestandam esse. Nam uti disserit cl. D. Pallottinius, in opusculo cui titulus; *Pugna Iuris Pontificii statuentis suspensionis extraiudicialiter* etc. « Pro publicis idcirco criminibus cum ordo iudiciarius sit iure constitutus, ea nequeunt extraordinaria seu oeconomica potestate coerceri. Si quippe remedio extante ordinario, ordine scilicet iudiciario, quis ad extraordinarium pro lubitu convolare posset, actum esset de ipso iure tum divino, tum naturali, tum ecclesiastico ac civili : nam etiam in summario iudicio est saltem citatio praemittenda. Quod procedit etiamsi poena fuerit a iure comminata extra ministerium vel declaratoriam iudicis, et sub certis conditionibus ab eodem ipso iure statutis, cum semper necessaria sit citatio, ut iudex constituat reum in mora, assignando terminum ad dicendam causam et ad purgationem eiusdem morae ex aequitate canonica introductam. Haec inde aequitas canonica facta praxis omnium tribunalium, custodita et ad unguem penes catholicam ecclesiam usque in praesens servata manet. » Et paulo postea sic rem prosequitur; (ibi) « quoties proinde episcopi extraiudicialiter seu ex informata conscientia, pro delictis

publicis, non servata iuris forma poenas irrogaverint vel censuras tulerint, toties praelaudata Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpretum nullas atque irritas easdem declaravit ».

Quae vero de substantiali primi decreti defectu notavit Orator, eadem dicit inficere secundum decretum.

Hoc die 27 februarii 1890 nunciatur parocho, qui interdicti personalis censura percellitur. Nunciatio decreti facta est per archipresbyterum de Morestel. Et sub eadem decreti die (24 Februarii) episcopus auctoritatem suam in Vicarium Generalem, speciali mandato transtulisse testatur his verbis : « respice ut legitime factum quod D. Mussel (vicarius) fecit per D. Archipresbyterum. »

Revocat patronus quae sunt decreti praecisa verba « Dominus episcopus eum plectit universali interdicto ipso facto et illi aufertur paroecia de Ghanas. » Quibus commissarius Archipresbyter oralem explicationem adiicit : « ei amplius non licere S. Missam celebrare, nec audire, nec accipere Sacramenta Eucharistiae et Poenitentiae, sine irregularitatis nota. » Unde patet sacerdotem Giroud iam ab ecclesia *des Avenières* antea expulsum fuisse.

Ad haec, advertit Orator, secundi decreti vitia, graviora esse. Nulla enim iudicii species praemissa est, nulla in ius vocatio, nulla accusationum contestatio, nulla sententiae forma, nulla monitio, nullus probationibus et defensioni locus, quae omnia, ut supervacanea neglecta fuerunt.

Hisce notatis relate ad decretorum *formam,* quoad *substantiam,* arguit patronus, non minores adesse defectus. Nam parocho, hoc maxime crimen obiectum fuit, ipsum noluisse imperio episcopi parere, debitum Paroeciae erga D. Abelem agnoscendo et confirmando ad normam et modum rationum ab hoc redditarum, quin eas rationes ullo examini subiiceret. Hoc primum ; exinde translationem in paroeciam subsidiariam longe inferioris ordinis noluisse acceptam habere. Haec altera videtur causa fuisse secundi decreti, quae, ut patet, a priore originem petit eique arctissime colligatur.

Sed Episcopus, Uteris eadem die secundi decreti signatis, plura parocho peccata obiectat: eum nempe disciplinae defuisse cum iussus rationes Abelis probare, hoc facere recusavit. Ibi « que l'administration ait raison ou tort à votre endroit, vous avez, vous, certainement tort de ne vouloir pas obéir. » Patrono mira videtur huiusmodi obedientia quae ad eum finem requirebatur, ut paroecia, debito gravaretur nullatenus demonstrato, quod imo posteriora facta non valde probabile ostenderunt. Iubebatur ergo administrator, conscientia repugnante, officium suam prodere, posthabito severissimo interdicto Iuris Canonici in - *Extrav. ambitiosa de reb. eccl. alien.* - quo conditio omnis damnatur unde res ecclesiae detrimentum accepturae sint (Innocent. Giron. Paratiti, in *Decretal. I. 3, tit. 13, § 3).* Quod si haec non satis recte parochus arbitratus esset, notat patronus, si facti errore captus exactas rationes pro iniustis ac improbis habuisset, non hoc satis esset ad calumniae crimen in eo statuendum. Malae fidei seu doli probatio ad condemnationem ita est necessaria, ut sine ea nullum calumniae crimen concipiatur: De Luca, *De iudiciis, disc. 31, n. 21 et seqq.*

Imo, iuxta oratorem, quae secuta sunt, nisi omnino docent parochum iuste ac merito, praecepto episcopi restitisse, eius saltem bonam fidem aperte demonstrant. Nam die 18 Martii 1891 transactio inter Abelem et Fabricae Consiliarios inita est, qua prae tenso credito Abel nuncium misit, et fr. 750 Fabricae persolvit. Huius transactionis auctor fuit novus parochus *des Avenières,* nomine Ronstang.

Proinde argumentatur patronus, quod pro sui clientis bona fide pugnant relatio promotoris curiae, votum iurisconsulti clarissimi, Grolée, transactio demum inter Fabricae administros et Abelem composita. Haec una sufficeret, ait, cum nemo sit qui nesciat de tantum dubia transigi posse ut communiter docent iuris interpretes ad *I. 1, dig. de transad,* De Luca *De beneficiis disc. 32, n. 11.*

Punitionis causas enumerat Episcopus ea die 24 Februarii 1890 ad parochum epistola, et literas irreverentes com-

memorat sibi ab hoc quandoque missas. Sed has litteras perdolens Giroud, instat orator, veniam ab Episcopo humiliter semel et iterum imploravit, nec tantum illae crimen constituunt, ut censura et privatio paroeciae exinde probari possit. Ad rem citat Iurisconsultum supra laudatum, aientem *opere cit. pag. 151:* « Constans ac perpetua fuit S. Congregationis Concilii Tridentini interpretum praxis, improbandi scilicet ac reiiciendi parochorum privationes, nisi tria haec cumulative concurrant, gravis videlicet causa, concludens eiusdem probatio et praemissa forma canonica. Gravis causa duplici de ratione contingere valet, ob crimina scilicet, quibus vel ipso iure beneficium vacat, cum poena legis ministerio infligitur, vel cum per sententiam iudicis ex delictis et excessibus, utut atrocibus, lex comminetur solummodo privationis poenam, nondum autem per se ac vi sua imponat, sed ut primum per sententiam iudicis. Quod etiam retinendum videtur ubi agitur de privatione paroeciae amovibilis. Nam haec amovendi facultas non ideo tradita censetur, ut absque gravi causa peragi possit, si agatur de paroeciis praesertim quae perpetuum suapte natura officium requirant. Gravitas enim causae necessaria censetur ex aequitate canonica, quae non sinit poenam omnium acerbissimam absque pari culpa inuri. »

Quia Episcopus, inter cetera, parochum Giroud reprehendit ob denegatam obedientiam decreto translationis ad paroeciam loci - Chañas; - advertit patronus, iuste recusavisse quum probare non posset sui antecessoris administrationem, nec iure merito Episcopum ob eamdem culpam iteratis et diversis poenis eumdem percellisse, praesertim appellatione pendente. Nam « Appellatio legitime interposita, docet Ioannes Devoti in *Institut. Canonie, tom. III, tit. XV* iurisdictionem suspendit iudicis inferioris, causamque defert ad superiorem, qui appellatus est. Quare interim, dum appellatio pendet, nihil amplius in causa inferior iudex agere potest, et si quid egerit, cuncta a maiore iudice ad pristinum statum rediguntur *I. un. Dig. Nihil innov. appellat, interp. cap. 7, De appellat, in 6.* »

Eo magis, advertit patronus, quod ne maiora quidem obiectis delicta, gravissimam privationis paroeciae poenam secumferre S. C. Congregatio ex DD. sententia pluries iudicavit, prout colligi potest *ex Cracovien. Parochialis, die IO Feb. 1770* § *plura, Senen. Dispensationis 3 Feb. 1786. Acherontina Privationis Paroeciae 31 Martii 1885. Messanen. 18 Martii 1854* et alibi passim.

Insuper notat orator, Episcopi decreto non suffragari rationem *amovibilitatis paroeciae.* Nam ea non hoc efficere potest, ut arbitrio suo Episcopus parochum deiicere et dedecoris nota atque inopia affligere possit. Ea recolit quae, de hoc habentur in Collectione Decisionum huius Sacri Senatus sub voce Parochus § *10 n. 45.* - Ibi - « Ceterum, etiamsi res sit de simplici cappellano, vel Vicario ad nutum amovibili, attamen non arbitrio Ordinarii, sed ex iusta ac probabili tantum causa ab officio removeri potest, ceu ad rem tradunt Antonelli *iur. cler. lib. 1, part. 3 cap. 32,* Berardi in *append. de benef, impropriis ad eius eccl. univ.* ac saepe definivit S. Congregatio, uti, ceteris omnibus in praesens missis, in *Nullius F arfen, capellaniae 16 Iulii et 16 Augusti 1791;* nam posthabita opinione doctorum, qui contrarium tuentur, aequior haec sententia appellatur, quam scilicet S. Congregatio semper sequuta est : in *Romana Suspens, onerum die 28 Martii 1801,* § *Quatenus.* Item in *Messanen, die 18 Martii 1854* § *Verum n. 46.* »

Episcopi decreta eo magis patrono improbanda videntur, quia eum hominem plectunt quem, ipso praesente, cum advocato Grolée, ipse Episcopus amplissime laudabat his verbis « Mgr. Giroud est un des mes meilleurs prêtres. »

Quoad petitionem alteram *indemnitatis;* revocat orator sapientissimam canonici iuris dispositionem quae iudicem quoque spolium patrare declarat cum neglecto iuris ordine aliquem e possessione deiicit *cap. 7, De restii, spoliat, cap. 22.* Spoliatus ergo ante omnia restituendus et haec est praecipua damni iniuria illati emendatio. Quidquid autem ei sic ablatum, aut quominus habere liceret, vetitum est, in restitutio-

nem venit *cap. 51, De appellat., cap. 11, De vestit, spoliat.* prout fert constans et perpetua S. C. C. iurisprudentia.

Quibus hinc inde adductis, proposita fuere enodanda sequentia

## Dubia

I. *An decreta Curiae Gratianopolitanae diei 25 Novembris 1889 et diei 27 Februarii 1890 sustineantur in casu.*

Et quatenus negative,

II. *An sit locus refectioni damnorum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 26 Ianuarii 1895 censuit respondere : Ad I : *quoad decretum diei 25 Novembris 1889 affirmative: quoad decretum diei 27 Febr. 1890 affirmative quoad translationem, a paroecia et privationem ; quoad interdictum generale negative, et quatenus Sacerdos Giroud det vera resipiscentiae signa, eum provideat de congrua sustentatione.*

## CALATAYERONEN.

### FUNDATIONIS CANONICATUUM

*Die 23 Februarii 1895*

**Concil. Trid. Sess. 25 c. 5.**

COMPENDIUM FACTI. Capituli Ecclesiae Cathedralis Calatayeronensis praebendae, ob leges regni Italici bonorum ecclesiasticorum eversivas, ex quinque Dignitatibus et sexdecim Canonicatibus redactae fuerunt ad praedictas quinque dignitates et ad septem canonicatus. Notandum est, ad quinque dignitates Municipium praesentare vi iuris patronatus ; quod ius relate ad septem reliquos Canonicatus exercet alternis vicibus Episcopus et Municipium.

Episcopus, ut diminuto chori servitio, nec non Seminarii bono prospiceret, sub anno 1891 deliberavit quatuor erigere Canonicatus *maiores* et duos *minores* seu *mansionariatus.* At parvum non fuit negotium determinare eorumdem benefi-

ciorum conditiones, non convenientibus in eamdem sententiam Episcopo et Capitulo : praesertim quia Episcopo displicebant conditiones a Capitulo praescriptae in tabulis fundationum sub *n. 9 ei 10.* In his enim denegatur novis quatuor Canonicis ius optionis et concursus ad praebendam theologalem et poenitentiariam. Sexdecim sunt articuli quibus actus fundationis constat, quique ab Episcopo et Canonicis invocantur, ut agatur de vi et extensione huius actus in hac controversia.

Quamvis in actis documentum non extet, quo evincatur, Episcopum hos articulos ratos habuisse et confirmasse, tamen ipse videtur eosdem approbasse quum non contradixerit., imo tres elegerit Canonicos in titulum Canonicatuum maiorum a se taliter institutorum. Canonici fundationis hos articulos approbarunt unanimes, si unum excipias.

Verum quia Episcopo non satisfaciebant, ut supra dictum est, quae decernebantur art. *9,* et *10,* actus fundationis, ipse idem obtulit S. C. C. supplicem libellum, quo insinuabat, Canonicatus a se dotatione muni tos, non alios esse ac suppressus a Gubernio Civili, quorum proinde iura in iisdem reviviscerent universa.

His praeiactis, postulavit: I An hi quatuor Canonici frui debeant iure optionis, ceu alii 16 fruebantur ante suppressionem : II An habeant vocem activam et passivam in cunctis actibus Capitularibus. S. C. C. reposuit utroque dubio sub die 23 Februarii 1893: *Prout exponitur, ad utrumque affirmative.*

Episcopus statim Capitulo nuntiavit, se a S. C. C. obtinuisse authenticam responsionem, qua Canonicatibus a se dotatis recognoscebatur *ius optionis et vocis activae et passivae.* At capitulum, iure merito excepit, S. C. C. responsionem esse conditionatam seu precibus relativam, «*prout exponitur* » ; preces vero a veritate omnino alienas esse, quia Canonicatus, in casu, non erant ex vetere fundatione, quasi dote solummodo nuper instructi, sed erant totidem novae fundationes, prouti patet ex 16 articulis actus erectionis. Cui exceptioni reposuit Episcopus in approbandis his

articulis se hanc apposuisse clausulam : probatur sub conditione, quod articuli *9* et *10* quibus agitur de iure optionis et vocis activae et passivae, reddantur magis conformes iuri communi, dum interim servabuntur sine praeiudicio___ Verum haec clausula Capitulo ignota fuisse videtur usque ad huius controversiae initium, quam proinde nullum parere effectum iuridicum perfracte Capitulum asseverat.

Exinde nullus amplius ad concordiam aditus patuit Episcopum inter et Capitulum, quum in dies augurentur rixae et discordiarum fomenta. Qua in tristissima lucta, genuina factorum enarratio iubet fateri in pacem magis propensum animum ostendisse Capitulum quam ipse Episcopus, qui non semel sua ipsa potestate in Canonicos minus pacate usus videtur.

## Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO EPISCOPI. Episcopus suas exarans allegationes in primis non *amplius* videtur negare Canonicatus a se dotatos, esse revera *novam fundationem;* nam in ipsa dubitandi formula in calce exscribenda loquitur « *de novis Canonicatibus a se ipso fundatis.* » Quare potius videtur deducere iura novorum Canonicorum ex ipsa Canonicatuum natura, nec non ex iuribus sibi competentibus, qua *Fundatori.*

Re quidem vera ait, se passum esse, Canonicos proposuisse et approbasse art. 9 et 10, eo quod inniteretur duplici iuri, qua Episcopus et qua fundator, modificandi in limine fundationis conditiones, quae minus iustitiae conformes viderentur, easque redigendi ad tramites iuris. Quum Capitulum, prosequitur, oppositionem faceret, res delata fuit S. C Congregationis iudicio.

Dein examinans naturam novorum Canonicatuum recolit unam *Veliternam diei 20 Dec. 1851* apud S. C. C. definitam, unde desumitur, inter alia, canonicos novae erectionis voce activa et passiva gaudere, exceptis iis *quae respiciunt interesse et iura particularia veterum canonicorum.*

Quoad praecedentiam, iuxta regulas, iuris communis, attribuendam hisce canonicis novae fundationis, citat Scarfantonium *lib. 1, tit. 14, animad. 51,* de hac re ita disserentem: « Oritur difficultas an capitulum praetendere possit quod possessor canonicatus, de novo erigendi, non admittatur ad plenum ius Canoniae ; sed tantum instar Canonicorum honorariorum . . . . . admittatur ad solum servitium chori sine voce activa et passiva in capitulo, et sine praecedentia in divinis officiis ceterisque actibus capitularibus iuxta ordinem antianitatis, supra canonicos post eorum receptionem installandos. » Cui quaestioni hic auctor ita respondet: « Et esse admittendos regulariter ad dictas praerogativas absque ulla prorsus differentia ab antiquis, pluries resolvit S. C. Concilii et illa S. Rituum, ut apud Pignatelli *consul. 48, n. 9 sq., Tom. 6.* Et ratio est quia isti canonici sunt vere et proprie tales et constituunt unum corpus, Ecclesiam repraesentans, non debent ab aliis membris ipsius corporis distingui, sed quodammodo in sequelam receptionis in canonicos debent participare de omnibus iuribus et praeeminentiis canonicalibus ad instar antiquorum. »

Demum Episcopus, ex concessione horum iurium, canonicis novae erectionis, nullum praeiudicium fieri neve veteribus canonicis, neve patronis omni nisu studuit evincere.

DEFENSIO CAPITULI. EX adverso Capitulum instat, hos canonicatus adeo esse novae fundationis, ut eorum iura repeti non possint nisi a tabulis fundationis, a Capitulo probatis die 27 Octobris 1891. Proinde non posse admitti Episcopi intentionem seu, hos canonicatus a se fundatos ita succedere antiquis, a gubernio suppressis, ut istorum iura deriventur universa in novos Canonicos.

Hinc iuris doctrinam recolunt, fundatores nempe posse *in limine fundationis* adiicere qualitates, leges et conditiones etiam *iuri communi contrarias ;* quas tamen semel in limine fundationis adiectas, *fundator* amplius mutare non potest. Fagnan. in *cap. Conquerent.-De Praeb. - n. 24* et Barbosa *Iuris Eccl. lib. 3, cap. 4.* Adeo ut Tridentinum Concil.

in *Sess. 25, cap. 5 -Be ref.* ad firmandas fundatorum voluntates easque tuendas edicat: « Aliter facta provisio subreptitia censeatur. »

Dein advertunt, nullum facessere negotium exceptionem ab Episcopo oppositam post motam controversiam, nempe ipsum sub certa reservatione approbasse articulos *9* et *10* actus fundationis. Nam advertunt, Capitulum cum Episcopi consensu, unum elegisse Canonicum de gremio Capituli ad concinnandas fundationis leges quae exaratae fuerunt cum plena Episcopi cognitione, permissione et libero singulorum articulorum examine. Reservatio vero ab Episcopo facta Capitulo renunciata fuit per literas diei 19 Maii 1893, nimirum post pene viginti menses a die approbationis, et postquam iam tres Canonici ex dictis tabulis proprii Canonicatus possessionem acceperant. Iamvero notat Capitulum, ex concordi Doctorum sententia, neque *ipsum fundatorem de consensu Episcopi* posse mutare leges et conditiones a se in fundatione positas, si talis mutatio esset in praeiudicium Ecclesiae vel tertii. S. Rotae *part. 7 recentior., dec. 37, n. 1 seq.*

Per quamplurimas animadversiones satagunt Canonici ostendere adesse praeiudicium tertii, qui sunt septem canonici praebendati et titulares *intra numerum;* qui iure fruuntur passivo ad praebendam theologalem et poenitentiariam. Insuper, aiunt, adest praeiudicium Ecclesiae et Capituli cathedralis ob quaestiones, quae renascerentur cum patrono laico seu cum Municipio ; et cum Oeconomatu qui praebendas novas capere studeret, quia ad canonicos pertinent qui non habent *exequatur.*

Praeterea, aiunt, aliae difficultates exurgere possent occasione, qua unus ex novis canonicis renuntiare tur Vicarius capitularis, qui indiget *exequatur,* ut eius actus validi habeantur a gubernio civili. Iurgia vero et simultates iterari illico possent, quatenus moriatur unus ex canonicis praebendatis, cuius praesentatio ad Municipium pertineat. Historia satis recens adhuc innuit quomodo exarserint irae et tur-

bae ex casu simili ab anno 1881 ad annum 1885. Praeterea posthabendum non est decretum Leonis Papae XIII diei 10 Aprilis 1885 - *mandavit ac decrevit, ut idem Administrator Apostolicus immittat in canonicam possessionem* DUODECIMI *canonicatus sacerdotem Michaelem Gulino ab eodem* MUNICIPIO NOMINATUM. . . . . . . . . . . *ad effectum tamen, ut sacerdos Marius de Mineo pro nunc haberi debeat uti Canonicus praeter numerum duodenarium.*

Hisce hinc inde relatis propositum fuit diluendum

## Dubium

*An canonicis novae fundationis competat vox activa et passiva, praecedentia super Canonicis veteris fundationis, post ipsos in Capitulum cooptatis, nec non ius concursus ad praebendam theologalem et poenitentiariam, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio, re discussa sub die 23 Februarii 1895, censuit respondere: *Negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES : I. Fundatorem beneficiorum, in limine fundationis adiicere posse qualitates, leges et conditiones, etiam iuri communi contrarias ; quas tamen adiectas amplius mutare non valet.

II. Exceptionem motam ab Ordinario, nempe probasse articulos *9* et *10* actus fundationis sub certa reservatione, nullius esse valoris, quia Capitulo innotuit longo post tempore, quando nempe tres canonici ex dictis tabulis iam proprii canonicatus possessionem acceperant.

III. Capitulum forsan, etiam in limine fundationis, non recessisset a dispositione duorum articulorum *9* et *10,* praevidendo lites et iurgia, quae instaurari possent, quatenus hi duo articuli supprimerentur.

# VLADISLAVIEN.

## NULLITATIS MATRIMONII

*Die 23 Februarii 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Varsaviae, in ecclesia Patrocinii S. Iosephi die 25 Maii anni 1875, matrimonium contraxerunt Boleslaus et Philippina, puella nobili genere nata et in aetate 21 annorum constituta. At res non bene processisse videtur. Philippina enim narrat, ante matrimonium ab Ignatio, patre Boleslai, vi defloratam et praegnantem factam fuisse. Ipsa vero asserit : « Ignorabam cum sponso affinitatem, contraxisse. Ante nuptias confessa sum ipsum peccatum, nihil addendo quocum perpetraverim, quia tunc temporis socerum pro extraneo habebam. Confessarius non me prorsus admonuit impedimenti ; de actu illicito cum socero nemini prorsus quidquam dixi ».

Sponsi statim individuam vitae consuetudinem ducere coeperunt, et Philippina die 30 Ianuarii anni 1876, octavo scilicet ab initis nuptiis mense, filium enixa est. At decennio praeterlapso communis consortii, non semper, ut asseritur, concordis, cum vir, ob peculatum commissum, ad exteras plagas migrare coactus esset, uxor tum prima vice, ut ipsa ait, a confessario edocta in confessione generali matrimonium suum cum Boleslao irritum fuisse ob dirimens affinitatis impedimentum, vertente anno 1886 coram curia Vladislaviensi iudicium de sui cum Boleslao matrimonii nullitate fieri poposcit. Consistorium preces excepit : et maiori qua potuit diligentia, iudicialem inquisitionem peragere sategit. Boleslaus, cuius domicilium ignotum erat, in ius vocatus fuit per citationem in ephemeridibus. At praestituto tempore inutiliter elapso, Consistorium actricem prius, dein testes septimae manus, ac demum tres in merito causae, quos eadem actrix indicaverat, de more vadaium est et examinavit.

His habitis iudex ad sententiam deveniri posse putavit, quam, audito vinculi defensore, reapse tulit die 15 Dec. 1887;

eaque matrimonium inter Philippinam et Boleslaum initum, ob affinitatis impedimentum de quo supra, nullum et irritum declaravit.

Causa ex appellatione ad Iudicium metropolitanum Varsaviae delata fuit, in quo sententia primae contraria prodiit.

Philippina non acquievit, sed die 2 Nov. 1889 supplex confugit ad Beatissimum Patrem. Antequam vero dubium coram S. C. C. proponeretur, actricis patronus petiit, ut tres novi testes examinarentur a curia Varsaviensi. His precibus ex Audientia Sanctissimi diei 7 Iulii 1892 rescriptum fuit: *Iuxta votum defensoris matrimonii,* idest scribatur Archiepiscopo, *qui praemissa sedula ac secreta inquisitione de honestate enunciatur um testium, quatenus eos fide dignos cognoverit, et ab omni collusionis suspicione remotos, iudicialiter, servatis servandis excutat, facta ad id etiam potestate subdelegandi_____et acta ad S. C. transmittat et de resultantem eamdem S. C. certioret.*

Archiepiscopus varsaviensis omnia accuratissime peregit, supponens examini iudiciali duos tantum testes, qui solummodo habiti fuerunt fide digni, tertium omittendo.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Istius patronus fuso calamo descripta ecclesiae doctrina de impedimentis matrimonii, tum dirimentibus, cum impedientibus, notat in themate constare de existentia ante matrimonium impedimenti primi gradus affinitatis, quod coniugium, postea factum dirimit. Sane id affirmat mulier ipsa, quae interrogata quando locum habuit copula carnalis cum futuro socero, nempe quo anno, quo mense, quo die, quo diei tempore, qua circiter hora, quo loco, praevio iuramento respondit : « Copula carnalis inter me et patrem mariti locum habuit anno 1875, die 22 Aprilis circa horam quartam, vel ut .puto quintam post meridiem, dies fuit serenus. Hic concubitus locum habuit in Silva ultra Vistulam sita... in convalle ubi tres quercus simul crescunt. Soli ibi

eramus. Neque vidi, neque animadverti aliquem esse potuisse rei huius testem ».

Et rogata an copula diu perduraverit, et an fuerit perfecta, respondit: « Non possum accurate definire quamdiu perduraverit... Subito me vi reclinavit, superata evidenter, reluctabam atque omni modo me defendebam, sed frustra: denique plane evanui, postquam sensi dolorem, exclamavi: stuprator tamen basia figens, os compressit et obturavit atque impedivit quominus clamarem ». Deinde pergens mulier enarrat persensisse vehementem dolorem et effectus passae copulae, quam perfectam apertissime annunciai, et post dictam copulam versatam esse in eo statu quo solent reperiri mulieres gravidae; hinc obstetricem ipsam prout praegnantem eam agnovisse. Interea post lapsum cum Ignatio, matrimonium inivit cum filio infra mensem, ne dubitans quidem de impedimento dirimente.

Haec, pergit orator, egregia mulier confirmat usque ad evidentiam. Praeterea testatur post primum coitum, maritum intellexisse non esse virginem: hinc iniuriae, hinc convicia, et exprobrationes quae, iuxta patronum, demonstrant matrimonium fuisse contractum cum impedimento dirimente.

Nec satis; actricis depositionem mirifice confirmari pleneque probari, asserit, a primo teste septimae manus, consobrino Boleslai. Hic enim fatetur, statim post nuptias observavisse in suo consobrino Boleslao odium et indignationem erga uxorem, provenientem profecto ex eo quod illam non repererit in statu virginali, et addit: « Observavi insolitum affectum avunculi mei Ignatii, patris Boleslai, erga Philippinam... adeo ut vice quadam ad me dixerit, si non fuissem coniugatus, Philippina futura fuisset, non nurus, sed uxor mea ». Huiusmodi vero depositionem, Philippinae narrationem evincere, putat advocatus; talis est enim natura hominis corrupti, ut, qualibet erubescenza remota, cuncta ponit pro satisfactione assequenda suae pravae cupiditatis.

Insuper impedimenti existentiam deducit ex unanimi consensu testium septimae manus. Omnes enim renunciant stan-

dum esse depositionibus oratricis. Porro consobrinus Boleslai existimat Philippinam probam et morigeratam atque ex agitato saepius cum ea colloquio de rebus religionis concepit persuasionem, eam esse religiosam.

Testes vero septimae manus concludentem in hac re probationem facere, contendit patronus. Siquidem, ideo dicuntur tales, quia veluti auxilium constituunt ad confirmandum illud quod coniuges sub iuramento deposuerunt, et ad arcendam collusionem, quae inter ipsos coniuges fieri posset. Cum itaque in casu testes interrogati de aestimatione qua gaudet actrix, de eius religione, ac modalitate, reposuerunt incapacem esse mentiendi et perierandi ; hinc horum affirmatiónibus standum esse patet; nam de scientia propria deponunt, asserentes illam agnoscere.

Quibus, addit orator dicta a testibus *de visu.* Interrogata Maria Iedlinska, catholica quomodo se gereret Ignatius, pater Boleslai erga futuram nurum, respondit, illum adire domum parentum actricis una cum filio, cum hic procus illius esset, atque magno cum affectu se gerere erga eam, unde osculabatur, et permulcebat eam, atque cum ea perambulabat, nemine concomitante. Dein stuprum a Philippina passum cum omnibus adiunctis enarravit. Alter testis pariter de visu, catholicus et officialis publicus, fere eadem enarrat.

His positis, patronus putat, invicte ostendisse mulierem ante matrimonium commercium carnale habuisse cum patre sui sponsi, ac propterea nedum illicite, sed invalide matrimonium contraxisse cum Boleslao filio Ignatii, sui socrL Siquidem huiusmodi testes unanimes, et de propria scientia, plenam faciunt probationem, iuxta Card. De Luca *de iudic, disc. 32, n. 66.*

Verum, nec satis, urget orator. Iamvero novi testes ex obtenta facultate a S. Congr. Concilii examinati, quos fide dignos comperit Rmus Archiepiscopus Varsaviensis, eadem recinunt.

Demum de impedimento enunciato constare, asserit orator, etiam ex ratione agendi Boleslai. Iamvero per epheme-

rides in ius vocatus, cum praefixione termini ut in causa compareret, non comparuit, nec suam absentiam iustificavit. Idcirco Iudicium Consistoriale, agnoscens Boleslaum contumacem, decrevit ulterius agitari processum.

Quam contumaciam in iudicio tanti momenti, rationabilem suppeditare causam, scilicet noluisse infàmia contegere patrem, seipsum et propriam familiam, tuetur Advocatus. Etenim huiusmodi lites matrimoniales non solum afficiunt res, sed personas quarum honor et dignitas percellitur, et agitatur semper cum illarum dedecore. Idcirco solent huiusmodi causas agitari magno cum zelo et cura, ab utraque parte. Profecto in casu id minime conspicitur. Vir mavult esse contumacem in tanto delicato iudicio, contra communem agendi rationem. Unde non solum adest rationabilis causa •ob quam noluit opera propria contegere infamia familiam, sed deliberate et consilio contumaciam amplexum fuisse patet ad evitandum maius sui dedecus.

Descendens postea Orator ad solvendas obiectiones, quae forsan ipsi opponi possent, nullam dicit difficultatem oriri posse ex eo quod post decem annos mulier processum invocet -et instituat contra nullitatem sui matrimonii, ex impedimento dirimente ortam. Etenim manifesta erat in ea ignorantia impedimenti dirimentis; sed vix certiorata de impedimento, iudicium instituit. Ergo si ab initio scivisset impedimentum antecedens dirimens, nimirum matrimonium non contraxisset. Et quoniam iuxta *reg. 64 iuris in 6°,* quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi ; matrimonium, cum impedimento contractum, est prorsus irritum ac nullum.

Nec obstat continua coniugum cohabitatio. Siquidem, ait, ab impedimento dirimente non excusat ignorantia et bona fides ; leges enim irritantes afficiunt quoque ignorantes, iuxta Oard. D'Annib. *III § 398; Gury II, n. 787.* Ad rem S. C. S. Officii in instructione ad Vicarium Apostolicum Siamensem data anno 1854, habet: «Animadvertendum est etiam quoad impedimenta dirimentia, ignorantiam invincibilem aut

bonam fidem non sufficere., ut valide contrahatur matrimonium. Et si quandoque, quod tamen raro credendum est in praxi, illa ignorantia et bona fides excusare valeat a peccato, tamen numquam efficere potest matrimonium validum, quod obice dirimente fuerit irritum ». *Collect. Parisien, n. 950.*

Neque dici potest quod matrimonium hoc fuerit convalidatum per copulam subsequutam. Nam, ait Ferraris « matrimonium nullum ex publica causa, sicuti esset in casu, in quo testes de visu, de existente impedimento dirimente ante matrimonium cum iuramento deposuerunt, nova indiget praesentia parochi, ad illud convalidandum, et non valet dicere fuisse ratificatum per copulam subsequutam ». *Verb. matr. art. 7, n. 19.*

Neque pariter obstat contumacia asserti mariti. Nam, refert patronus, S.C.C, non obstante contumacia unius partis, causas diremit, ne pars innocens damnum pateretur, ceu videre est in *Tergestina Matrimonii 10 Iunii 1876* (1).

Nulla demum difficultas oriri potest a sententia curiae Metropolitanae. Tota enim decisionis ratio Iudicii Metropolitani in eo stat, ut « depositiones testium in causa hac indagatorum carere notis veritatis, cui plena fides habenda sit ».

At assertio huiusmodi, subsumit patronus, est omnino gratuita : ac proinde facile dimitti posset cum notissimo adagio « gratis asseritur, et gratis negatur ». Praeterea observat standum esse depositionibus iuratis mulieris, quam omnes testes, praesertim septimae manus, appellant incapacem mentiendi et perierandi ; ac depositionibus iuratis testium de visu attenta eorum probitate et religione, comprobata a testimonio iudicis regionalis et parochi, iuxta ipsum Defensorem .matrimonii ex officio Vladislaviae. Plus enim fidei est duobus testibus positivis, qui scilicet aliquid sibi notum praecise affirmant, quam mille negativis illud ignorantibus, aut testantibus contrarium audivisse, ceu post *textum in cap. Ad nostram de probat,* docet Farinaccius *de test, quaest. 65,*

(1) Recole Vol. X, 376.

*n. 20;* et S. Rota in *Constantien. Decimarum 1 Iulii 1757,* coram Caprara § 13. Nulla ergo difficultas oriri potest a testibus negativis aut factum ignorantibus. Idcirco assertio iudicii Metropolitani appellanda est non solum gratuita, sed absque ullo fundamento edita, et omnino irrationalis. Nemo enim praesumitur malus, nisi probetur ; proinde nullius valoris est asserta ratio iudicii Metropolitani, videlicet testes carere notis veritatis.

Ceterum, observat, nil mirum esse, quod testes de visu nihili fecerint, ut turpe stuprum impedirent. Etenim profecto praevidebant mala et praeiudicia quae illis ob veniebant. Iamvero agebatur de viro nobili furenti ob cupidinem erga mulierem ; agebatur de prava concupiscentia quae tenebras ipsi rationi et intellectui obducit; proinde ad evitanda damna et praeiudicia quae poterant eis obvenire, prudentissimae cautelae regulas sequuti sunt. Ob eadem rationum momenta Ignatius minime cogitare et advertere valebat personas quae post cespites adesse poterant. Horribilis enim concupiscentiae motus aequiparatur dementiae et furori, adamussim ob tenebras, quibus intellectum obnubilât.

Tandem haec confirmant, ait patronus, acta suppletoria, nempe alteri duo testes e speciali gratia S. C. Congregationis examinati, quos fide dignos comperit Archiepiscopus Varsaviensis. Haec, concludit Orator, profecto confutant Metropolitanam sententiam. Siquidem non solum comprobant quae antecedentes testes affirmarunt, sed éliminant difficultatem ab ipsa excitatam, videlicet « neminem de hoc facto in urbe certiorem esse factum ».

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Sed ex adverso matrimonii Vindex exorditur ex his mulieris attestationibus. « Prima vice cum marito consummavi matrimonium post unam septimanam a nuptiis. Primum infantem enixa sum die 30 vel 31 Ianuarii anno 1876. Post primum cum marito coitum is intellexit me non esse virginem; exprobrabat, quod me habuerit honeste et religiose educatam, quum in-

terim aliter rem se habere repererit. Exigebat tit profiterer quocum rem habuissem: ego omnia praefata negavi. Post natum primum infantem non aiebat: eum non esse ex se genitum... suspiciones aut convicia nulla deinceps excitabat, sed fuit plane indifferens, nihil me curabat, nunquam ullam fecit animadversionem, etsi id facere debuerit. Ego maritum amabam et affectu prosequebar, non enim me ream sentiebant, discors igitur cohabitatio nostra non erat».

Labente sed anno 1885, decimo scilicet ab initis nuptiis anno Boleslaus, Philippinae vir, peculatus crimine insimulatus ad exteras plagas fugere coactus est. Tum primum Philippina, quippe quae mariti ignominiam atque absentiam aegre fert, initi cum Boleslao matrimonii poenituit ; et modo in leves auras illud amandare contendit, aiens : « Mense Ianuario anni currentis comperto in confessione generali, coniugium meum cum Boleslao esse invalidum, recurri cum instantia ad Consistorium ».

Nemo est, notat Orator, Philippina fortunatior : per decem annos perfruatur coniugalibus deliciis atque firmissime credit se in valido ac licito matrimoniò versari ; nam ait : « Non enim me ream sentiebam ». Decimo ab hymenaeo anno, fortuna mutatur, at Philippina mirabili mentis serenitate cogitat confessionem generalem ; et vide prodigium ! generali confessione a matrimoniali vinculo, prodigiosa confessarii virga ictu oculi sese expedit.

Absit ut suspiciet, Philippinam ex iurisconsultorum consilio confessionem generalem ad fucum faciendum in medium afferre ; sed quaerit qua ratione fieri potuerit, ut puella adeo sancta, pietatis sensibus imbuta ab incunabulis, immane scelus matrimonii cum Boleslao, cuius a patre conceperat, nuptiali in confessione et per decem annos confessariis celaverit? Tum solum, cum Boleslaus, coopertus ignominia, exilii viam arripuit, ex admisso crimine sancta femina solicita fuit generali confessione captare emolumentum !

Quum defensor perpendisset verba Philippinae, genesim affinitatis enarrantis, vix intelligi potest, ait, quomodo fieri

potuerit, ut homo sexagenarius adulescentulam 21 annorum, viribus valentem comprimere, constuprare valeat et basia figens, os obturare atque impedire quominus clamaret. Nec intelligit quomodo fieri potuerit ut innocens puella, dum plane evanuit, adverterit, « copulam hanc fuisse prorsus talem, qualem postea maritus, ita illa, mecum exercebat, et aptam, quae me impraegnaret ».

Ulterius ; patrati criminis locum Philippina in libello supplici ita designat : « Quadam die eduxit me (Ignatius) ultra pontem in silvam, ubi in colle mediocriter a via distante consedimus ». Iudiciali autem in examine dicit : « Actus concubitus locum habuit in silva, ultra Vistulam sita, a sinistris viae stratae ducentis versus Bobrowinski, in convalle, ubi tres quercus simul crescunt ». Collis atque convallis non una profecto eademque res est: nec facile inducitur ut credat lapsum linguae, aut labilem Philippinae memoriam: credet potius in colle quercus desiderari arbores ve ob tegentes.

Tametsi, ita matrimonii vindex, Philippina seu potius ii, quorum consilio Philippina utitur, non ignorant quod nisi hoc facinus publicum et notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobatum, matrimonium occasione illa, impetere non permitti ab Alexandro III in cap. *De eo qui cogn. consang.*, etc.; quocirca tres testes, quorum alter, pretiosior, mortuus est, in medium affert Philippina.

Duorum testium recitatis depositionibus, notat Orator, non mirabitur nemo consonantiam testium, sobrietatem simul sermonis et luculentitatem. Profecto circumstantias temporis, horae, loci aliaque adiuncta uterque iisdem ferme verbis enarrat. Non deprehendes silentio praeteritam circumstantiam, quae ad rem facere possit. Speciminis ergo : Ioannes cum praemisisset se non nisi a facie Philippinam et Ignatium cognoscere « noveram ex visu, ut omnino in parvo oppido cuncti fiunt noti », sapientissime adiicit : « stans proxime, non potui falli quoad identitatem personarum Ignatii et Philippinae ». Item Maria cum praemisisset : « Noveram

actricem, quum nondum nupta esset... quod Ignatium attinet, obvius mihi interdum fuit in platea ante nuptias actricis », testimonium suum concludit hisce verbis : « insuper addo Ignatium bene mihi notum fuisse, ita ut quo ad personam eius non potuerim decipi in momento quo Philippinae stuprum intulit ».

At circumstantiae, quas non fortuito, sed consulto, ut factum appareat verisimile, memorant, veri prorsus absimiles sunt, iuxta defensorem vinculi. Sic ex. gr. Ignatius et Philippina dicunt minime vidisse testes. E contra Maria et Ioannes clarissime viderunt Ignatium atque Philippinam euntes, concumbentes et redeuntes. Adesdum: Maria et Ioannes sedebant in aperto colle. Ecquid fieri potest ut neque Philippina, puella videndi cupida, neque Ignatius, qui solitudinem ad patrandum flagitium quaerebat, Mariae, eius coniugis, eius fratris praesentiam ad verteret?

Insuper Philippina refert : « Actus concubitus locum habuit in convalle, ubi tres quercus simul crescunt». Maria vero testatur : « eos (Ignatium et Philippinam) nos videre non potuerunt, quia sedebamus superius, quam ipsi, densaeque intererant arbores ». Hoc nulla prorsus ratione intelligere potest orator. Ea enim est visivae facultatis natura ut per vinculas, quae inter unam alteramque arborem erant, Ignatius et Philippina quippe qui eas rìmulas cominus, ob oculos, habebant, videre optime possent Mariam, eius maritum atque Ioannem, non vero Maria, maritus et Ioannes, qui distabant videre Ignatium et Philippinam. Imo, exclamat, ecquis inter probos atque fide dignos recenset Mariam et Ioannem, et virum suum, qui omni humanitatis sensu destitutos, siccis oculis, immotos spectarunt insontem puellam atroci atque ferina vi proculcatam, protritam?

Nec satis : Maria prosequitur : « Post hunc eventum (stuprum) tantum concepi erga Philippinam fastidium, ut eam aspicere non sustinerem nec amplius sive Philippinae sive ipsius socero occurrerent praeter quam in conventibus publicis ». Ast, quaerit Orator, si sibimet Maria credit, si fratri

suo qui Philippinae reluctationem viderunt, quaenam nasci exinde poterat causa sive aversionis in miserrimam Philippinam, sive contemptus?

Sed vero ut ictu velut oculi perspiciatur qui sit huiusmodi testibus veritatis amor, refert verba Mariae, quae primum iurat : « Scio actricem excitasse processum de irritando coniugio ex titulo affinitatis, de qua edocta sum anno 1879 et 1880... quanquam iam antea post ipsum factum noveram inter actricem et eius maritum existere affinitatem ». Deinde testatur: «Lecta mihi, post clausum protocollum, depositione, significo, me annis 1879-80 cum actrice collocutam esse de ipso lapsu eius, solumque hoc factum mihi notum fuisse, quin sciverim, ex eodem profluere nullitatem coniugii Philippinae, vel inter eos ortam esse affinitatem , denique de huiusmodi affinitate me cognovisse in initio huius processus ».

Risum vero, ni stomachum oratori movet Mariae soror, dum recitat a matre ira excandescente quod sola cum viro deambulatum ivisset, audivisse « personam probam factam esse victimam libidinis senis Ignatii, patris mariti sui . . . . dum solum cum ea trans Vistulam spatiatum profectum esset. Et, addit, quum, aestuans indignatione, negassem, me huic narrationi fidem praebere, mater dixit, se id a fratre meo Ioanne scire, soror vero Maria, quae nobiscum aderat, adiecit, rem veram esse, quia ipsa immediate vidisset vim ab Ignatio Philippinae illatam ».

At defensor vinculi exorat, ut advertatur testem hanc ad examen adductam esse die 27 Octobris 1892, Philippinam autem causa in altero iurisdictionis gradu cecidisse die 7 Maii 1888. Quocirca mulier ista testis est a Philippina inductus postquam Philippina, attestationibus publicatis, susque deque rimata fuerat. Iam vero auctore Clemente V in *cap. 2 Clementina?"•. de test.;* testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis, subornatio timenda est. Quae subornatio testium timenda omnino est, non solum quia testes, quibus Philippina assertum stuprum astruere per tentat, de-

vincti sunt propinquitate sanguinis, sorores et frater; sed etiam quia testatio huius cum Ioannis testatione e diametro pugnat. Ideoque alteruter vel uterque necessario eructant mendacium. Reque vera mulier ait : « Quum, aestuans indignatione , negassem, me huic enarrationi (stupro) fidem praebere, mater dixit, se id a fratre meo Ioanne scire». Ioannes versa vice iurat : « De hoc stupro, actrici illato, neque cum ea, neque cum Ignatio, neque adeo cum utrolibet coniugum unquam quidquam locutus sum, ac in universum ne mentionem quidem cuiquam feci. Cum sorore dissimulabamus rem mutuo veluti nihil accidisset ».

Ceterum, prosequitur orator, finge etiam Philippinam et ab ea inductos testes a veritate minime aberrare, non tamen exinde statim sequitur cassandum esse matrimonium in controversiam adductum. Ad hoc enim necessario requiritur ne affinitatis impedimentum semel enatum, ope dispensationis sublatum subinde minime sit. Praesenti vero in causa omnia suadent assertum affinitatis impedimentum, quatenus commentitium non sit, sive ante nuptias, sive pacifica coniugum cohabitatione decem annis durante per dispensationem occultam deletum esse. Re namque vera esset de impedimento prorsus occulto. Etenim ex tribus testibus, Maria et Ioannes, qui superstites sunt, iurant se adeo arcanum silentium servasse, ut ne inter se quidem ea de re loqui licitum sibi putarent; soror altera, cuius testimonium Philippina in medium affert, non solum testatur : « Mater tranquillam me reddidit, a fratre Ioanne fidem sibi solemniter datam esse, ne quod viderat, evulgaret » ; sed adiicit : « de ea re, cum nemine, ne cum fratre quidem Ioanne, unquam locuta sum ».

Compertissimam ceteroquin est, notitiam sive suspicionem stupri modo in medium aliati ad neminem, antequam Philippina praesenti iudicio animum adiecisset, pervenisse. Etenim si quando hac de re per tam diuturnum temporis spatium quisquam locutus esset, parentes, propinquos, familiares, idest, septimam manum id latere nulla prorsus ratione potuisset. Iam vero quaerenti iudici : « Quam credis

esse rationem principalem, quae actricem ad movendum processum impulerit ? » testes omnes reposuerunt : - nihil novi, nihil scio.

Ulterius, ait defensor vinculi : inverisimile imaginem falsitatis praesefert, Rota *dec. 535, n. 81, part. 14 recent.* At veri prorsus absimile est Ignatium cum Philippina unam carnem effectum esse, cum constet neminem ex propinquis, affinibus ac familiaribus eos, etsi Ignatius Philippinam a teneris unguiculis ob oculos habuerit, unquam iusto nimium familiariter inter se conversantes deprehendisse. Siquidem testes septimae manus singillatim percontati a iudice : « Nostine aliquid, quod ad hanc causam referatur » una voce responderunt : « Nihil amplius habeo quod dicam ».

Quae cum ita sint, nihil faciendum esse orator autumat Mtochi depositionem : « Observavi (ita ille) insolitum affectum avunculi mei Ignatii, patris Boleslai erga Philippinam, adeo ut vice quadam ad me dixerit si non fuisset coniugatus Philippinam futuram fuisse non nurum, sed uxorem suam ». Ecquis facile inducitur ut credat hominem sexagenarium, coniugatum sommasse puellam 21 annos natam matrimonio sibi coniungere ? Ceterum Sigismundus, dum inquit : - Observavi insolitum affectum - aerem verberat, non facta profert. Deprehenditne aliquando Ignatium Philippinae illa amoris argumenta in occulto exhibere, quae in publico minime auderet? Ad haec et ipse Sigismundus absque ambagibus respondet : « Nihil amplius habeo quod dicam ».

Finge tamen, prosequitur defensor, senem illum Ignatium, amori, momento temporis perruptis fraenis, in vitam iuvenem compressisse : adhuc res esset de impedimento prorsus occulto. Age modo : impedimenta occulta relaxan tur tabulis ad futuram rei memoriam minime asservatis, testibus remotis arbitrisque. Iure praesumitur factum quod faciendam erat. Si Philippinae cum Boleslai patre concubitus somnium aegrae mentis non est, Philippina in confessionis Sacramento spirituali medico illum revelare dubio procul debebat. Nemo unus adeo impius est ut suspicetur, Philippinam confessario

crimen atrox constanter celasse, aut confessarium omisisse impedimentum occultum occultae dispensationis ope auferre.

Minime vero audiendam esse, censet, Philippinam, dum obiicit : « Ante nuptias confessa sum ipsum peccatum, nihil addendo ; quocum peccaverim, quia tum temporis socerum pro extraneo habebam ». Huiusmodi enim difïugia non feminis, sed leguleiis solummodo praesto esse possunt.

Denique forsan ob veritatis amorem, observat defensor, Philippina cum cognovisset sibi adversari, praeter alia, naturam impedimenti occulti, post alteram curiarum sententiam, inducit Victorem Nehring, qui testatur audivisse loqui de hoc stupro in quadam publica taberna.

Hinc concludit defensor, Victor Nehring, testis unicus, refert narrationem factam ab homine, Boleslao mortuo, coram Adamo Grassowski, ignoti domicilii : rem magnam praestat, si veritatem dicit !

Hisce praemissis, suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An sententia metropolitanae Varsaviae curiae die 7 Maii 1788 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata sub die 23 Februarii 1895 censuit respondere : *Sententiam esse confirmandam.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Ignorantiam invincibilem aut etiam bonam fidem, efficere non posse ut matrimonium, irritum et nullum ob impedimentum dirimens, fiat validum; quia leges irritantes afficiunt quoque ignorantes.

II. Matrimonium in themate validum fuisse et permanere, quum impedimentum affinitatis haud formiter evictum fuerit.

# RHEMEN.

## INSIGNIUM CANONICALIUM

*Die 23 Februarii 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Archidioecesis Rhemensis Archiepiscopus Cardinalis Gousset, anno 1851 pro Capitulo Cathedrali suae Ecclesiae, privilegium insignium canonicalium impetravit a Pio IX f. r., prouti continetur in sequenti Brevi:

PIUS PP. IX.

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Insignia dignitatis aequo animo deferimus Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, qui omnibus officii sui partibus ita recte funguntur, ut externis honoris insignibus adiecturi videantur interiora ornamenta virtutum, ex quibus vitae sacerdotalis vera ac germana laus existit. Quum itaque dilecti Filii Nostri Thomae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Gousset, Archiepiscopi Rhemensis gravi Nobis testimonio constiterit, Metropolitanae illius Ecclesiae Canonicos nedum commendabili pietate, gravibusque moribus, et in explendis officiis praecipua diligentia nitere, sed vero etiam Antistiti suo omni studio adfuisse, tum in Synodo dioecesana, et in Concilio provinciali celebrandis, tum in omnibus quibuscumque recens invectis institutis iuxta normam S. Ecclesiae Romanae, quae Princeps et Magistra est omnium Ecclesiarum, Nos ad preces dicti Rhemensis Archiepiscopi facile adducti sumus, ut Archidiáconos et Canonicos Cathedralis ipsius tum Cappa lanea magna violacei coloris, tum peculiari Cruce S. Remigii dicenda, ac supra pectus deferenda ornaremus. Itaque omnes et singulos, quibus hae Litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo, vel quavis- de causa latis, si qua forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes,

hisce Litteris Auctoritate Nostra Apostolica facultatem concedimus perpetuis futuris temporibus valituram ut omnes et singuli Archidiaconi et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Rhemensis, Cappam magnam laneam violacei coloris ad instar Canonicorum Patriarchalis Basilicae Vaticanae induere possint, necnon supra pectus Crucem deferre valeant, quae S. Remigii nuncupetur, cuius forma ad instar Equitum Ordinis Hierosolymitani octangula sit violacei coloris cum alba linea, quae extremitatem percurrat, et cuius ad angulos argentea puncta sint, in medio autem, seu Crucis centro, numisma, sit ex una parte, imaginem referens S. Remigii, ex altera imaginem B. M. V. Ceterum certa spe nitimur fore ut Metropolitanae Ecclesiae Rhemensis Canonici hac nova ornamentorum accessione magis excitentur ad implendas sui muneris ac officii partes, et ad illustriora exhibenda fidelibus pietatis et religionis exempla. Decernentes has Literas firmas semper fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit perpetuo suffragari, sicque per quoscumque Iudices Ordinarios et extraordinarios, et S. R. E, Cardinales iudicari debere, irritumque quidquid secus super his quavis auctoritate contigerit attentari. Non obstan, fel. rec. Benedicti XIV Praed. Nostri, super Div.[e] Mat.[m] (sic) aliisque apostolicis Constitutionibus, et sanctionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 16 Maii 1851. Pontificatus Nostri anno V ».

Idem Archiepiscopus in concedenda huius Rescripti executione ita Pontificis interpretatus est voluntatem, ut, obtento privilegio, declararet honestatos esse tantum Canonicos Titulares, exclusis Honorariis. Reapse videtur huiusmodi insignia canonicos titulares exclusive, pacifice detulisse usque ad superiorem annum, quo Canonici honorarii inhaerentes generalioribus Iuris communis regulis, nec non Brevis Pontificii litterae sibi ius vindicare coeperunt deferendi aeque ac titulares insignia privilegio concessa. Verum hi obstiterunt, invocantes observantiam quadraginta et trium annorum,

nec non intentionem Summi Pontificis cupientis examussim satisfacere Card. Gousset voluntati quae per preces, ac maxime et dilucide significata fuit in Brevis executione.

Ad hanc sopiendam litem Archiepiscopus Card. Langénieux quosdam elegit viros, tum inter Canonicos Titulares et honorarios, tum inter suae Curiae Officiales, quibus negotium commisit de ea re deliberandi per votum consultivum. Hoc virorum collegium legitime constitutum et certa die coactum in duas abiit sententias ; maior vero pars Canonicis honorariis votum expressit favorabile, scilicet ex septem, quinque opinati sunt honorariis aeque ac titularibus Canonicis competere ius insignia deferendi, reliqui duo contrarium sentierunt.

At huic sententiae non acquievit Capitulum, quamobrem Archiepiscopus controversiam S. C. C. dirimendam obtulit sub die 12 Septembris 1894.

## Disceptatio Synoptica

IURA CAPITULI. Quae a Capitulo proferuntur ad denegandam huius privilegii honorariis Canonicis communicationem, haec potiora sunt. In primis notant tria facta, nempe preces et intentionem Cardinalis Gousset, eiusdem Brevis datam executionem et continuam, usque ad praesens tempus, observantiam, aperte hoc privilegium ita adiudicasse *solum* titularibus Canonicis, ut ulterius protrahi non debeat. Praecipue insistunt in observantia *43 annorum* quae omne ius contra honorarios Canonicos praescribere valuit.

Dein invocant reverentiam tanto viro debitam; adeo ut piaculum sit cogitare, ipsum in re tam gravi nesciisse Breve Pontificium aut impetrare aut exequi, et grave sit eius voluntatem tam luculenter manifestatam immutare velle.

Ad haec, notant, modo Capitulo adscriptos esse Canonicos honoris causa 31 in Dioecesi degentes et 10 extra Dioecesim morantes, quamobrem ita effusum esset tam peculiare privilegium, ut plane vilesceret, imo ridiculum foret. Nam huius-

modi Canonici per Dioecesim disseminati in villis, in rusticanis, et pauperioribus Ecclesiis Sacra peragentes, iis insignibus pene Pontificalibus condecorati, magis viderentur comoediam agere quam Sancta mysteria tractare.

Proinde aiunt hoc ita alienum esse a recepto more et a Capituli et Archiepiscopi intentione quando *ad honorem* Canonici Capitulo adscribebantur, ut serio dubitari debeat, an valeant illorum electiones, post tam gravem inductam in eorum iuribus mutationem. Capitulum enim protestatur, quod numquam consensum praestitisset si animo cogitasset haec iura derivari honorariis Canonicis.

Demum suam protestationem Archiepiscopo datam Capitulum ita concludit : « Faut il ajouter encore que si le Cardinal Gousset eût pu soupçonner les réclamations élevées de nos jours, il eût fait insérer dans le Décret des termes restrictifs, qui les eussent prévenues, ou il n'eût rien sollicité. Ce qu'il n'a pas demandé, peut s'obtenir, et s'accorder de fait, comme vous l'avez obtenu vous-même, Eminence, pour le Chapitre de Tarbes, comme l'ont obtenu les Archevêques et Evêques de Rouen, de la Rochelle, de Soissons pour les seuls Chanoines titulaires et prébendes ».

Insuper ex iure communi Canonicorum intentioni haec videntur favere. Nimirum quaestio est de interpretando Rescripto, cuius verba clara non sunt; non enim constat an sermo sit de Canonicis tantum titularibus, an etiam honorarii comprehendi debeant. Quando vero verba obscura sunt, et clara est intentio actum ponentis, huic intentioni obsequendum est iuxta *L. 219 ff. Be V. Signif.* In conventionibus contrahentium *voluntatem* potius quam *verba* spectare placuit, et uti habet *cap. 15 De Sig.* « non intentio verbis, sed verba intentioni debent deservire ». Iam vero, aiunt Canonici Titulares, intentio tum Capituli, tum Archiepiscopi aperte patuit ex precibus Pontifici oblatis, in quibus sermo erat tantum de 10 Canonicis Titularibus et rationes exprimebantur tantum Titulares attingentes. Quapropter quamvis privilegia favorabilem admittant interpretationem, hanc ta-

men excludunt « I° quoties id exigit res de qua agitur, 2° si casus inciderit insuetus penitus et a ratione legis sic alienus, ut ei legem applicare videatur absurdum, vel iniustum, vel abs re, aut a voluntate legislatoris r emotum prorsus » ita d'Annibale *P. I, n. 187.* Revera *ratio legis est anima legis,* praesertim quando agitur de privilegiis concessis non *motu proprio,* sed ad instantiam alicuius.

Ad praescriptionem quod attinet adverti debet, eadem non inutiliter in casu videtur invocari, nam esto privilegia non praescribi *per non usum,* uti passim probant Canonistae, ut videre est apud Pirhing *lib. V, § 33, n. 176,* et Reiffenst. *lib. V, § 33, n. 209;* sed hoc fit de iis privilegiis, *quae non laedunt ius tertii,* uti late disserunt iidem auctores. Atqui in casu laesio iuris tertii non dubia videtur. Nam ipsae querelae Titularium docent quam aegre ferant huiusmodi privilegii ad Honorarios extensionem. Ea vero de causa, quia Canonici honorarii hoc privilegio utentes laederent ius Titularium, qui ab honorariis distingui debent; laederent concessi privilegii intentionem, idemque pene proculcarent et fere ad nihilum redigerent, adeo ut non privilegii usus sed enormis evaderet abusus.

IURA CANONICORUM HONORIS. Sed ex adverso favore Canonicorum, honoris causa Capitulo adscriptorum, haec animadvertere praestat. In primis frustra ex Iure *Decretalium* exquireretur textus quo iura comprobarentur huiusmodi Canonicorum, incognita enim tunc fuit Canonicorum species; uti patet ex Fagnano *com. in cap. Dilectus de Praeb. n. IO,* quocirca in novissimo iure tantum reperiri possunt documenta haec iura respicientia. Consuetudine praesertim receptum fuit, ut honoris causa renuntiarentur canonici presbyteri, in Dioecesi de re christiana egregie meriti, qui ob imminutum praebendarum numerum de canonicali beneficio augeri non poterant. Quamvis titulo *honoris* cooptati in capitulum Canonici, non obtineant iura Canonicis praebendatis competentia, veluti nec *vocem activam,* nec *passivam* in Capitulo habeant neve aliquod ius ad praebendam vacaturam uti decrevit.

S. C. C. *sub die 11 Ianuarii et 29 Augusti 1868 in causa Civitatis Castellanae « iurium praeeminentiarum et vocis in capitulo* » (1); nihilominus ea quae *honoris* sunt, eisdem denegari non debent, uti eorum ipsius nomen expostulat. Quare Canonici honorarii ius habent induendi vestes, insignia Canonicalia, et sedendi in choro post ultimum Canonicum titularem, prouti respondit S. C. C. *die 6 Iulii 1867* (2): quia eodem decreto huic III Dubio : *An paramenta sacra in functionibus Pontificalibus accipere debeant Canonici ad honorem; Planeta vel potius Dalmatica seu Funicella parari teneantur;* rescriptum fuit : Ad III *si Capitulares sint distincti per ordines nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, Canonicos honorarios induere debere tunicellam, secus eamdem vestem communem Canonicis titularibus cuiuscumque ordinis sint.*

Sane denegari non debet, aliquando ex speciali constitutione Canonicis honorariis tantummodo aliqua, sed non omnia honorifica iura competere, ut infertur ex decisione S. C. C. *diei 29 Maii 1869 in Divionen. Administrationis Sacr. et Funerum* (3); sed plane iura honoris gratia Canonicis titularibus comparata, restringi non debent quoad honorarios, nisi hoc expresse in tabulis fundationis caveatur; possidet enim. ius commune quousque ius particulare probe non evincatur.

Iamvero in Brevi, de quo est quaestio, insignia conceduntur indiscriminatim *omnibus et singulis canonicis* absque ulla distinctione; atqui praecipue in favorabilius ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sub nomine vero Canonici in iis quae favorabilia sunt, quaeque *honorem Tituli* spectant, venire indiscriminatim tum Canonicos, tum praebendatos, exploratissimi iuris est. Nam *favores sunt ampliandi, odia autem restringi convenit, et in cap. 2 De Donat.* continetur : *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis* (Principum) *plenissima est interpretatio facienda.*

(1) Confer Vol. IV, 177.
(2) Recole Vol. III, 138.
(3) Recole Vol. IV, 577.

At et privilegia praescribi *per non usum,* sane exploratum est. Verum privilegia gratiosa seu quae nullius ius laedunt constat apud Doctores ullo tempore, etsi longissimo, non praescribi, uti affirmat S. Alphonsus *in op. De Privil. c. I, n. 9,* aiens : « Privilegia gratiosa, quae non sunt aliis gravamini ut *absolvendi, dispensandi* vel ieiunandi et his similia, haec nunquam amittuntur *per non usum et etiam per usum contrarium: quamvis temporis longissimi»;* ita etiam Suarez *De Legibus I. 8, c. 34, n. 17.* Re quidem vera huiusmodi privilegiis uti est in privilegiati facultate et in *facultativis, non datur praescriptio.*

Sed privilegiorum effraenatus usus maxime est perniciosus et, uti recte instant Canonici Titulares, est coercendus, ne privilegia evadant obsoleta et malorum hominum cachinnis exposita ; et hac in re abusibus via est omnis praeclusa si recte observetur Decretum S. C. C. diei 16 Sept. 1884 (1), quod incipit *Quamvis Ecclesiasticos,* quoad Canonicos honorarios et aliud ex consul tu S. R. C. datum in forma Brevis *sub die 29 Ianuarii superioris anni* (2) quo consultissime cavetur, ne nimius evadat numerus Canonicorum ad honorem extra Dioecesim degentium et sub § III cavetur : « Qui vero alicuius Metropolitanae vel Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae aut Basilicae Minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in Dioecesi, ubi nominati sunt».

Quibus praenotatis suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An privilegia concessa Canonicis Ecclesiae Cathedralis Rhemensis per Breve anni 1851, extendi debeant ad Canonicos ad honorem, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 23 Februarii 1895, censuit respondere : *Affirmative, tantummodo in functionibus capitularibus.*

(1) Decretum istud adest Vol. XVII, 554.

(2) Adest decretum hoc Vol. XXVI, 449.

EX QUIBUS COLLIGES. I. Canonicos honorarios uti quidem posse privilegiis et insignibus canonicorum titularium, sed tantummodo in Ecclesia ad quam pertinent honoris causa, et in qua functiones capitulares fiunt, seclusis aliis ecclesiis, etiam eiusdem Dioecesis, vel aliarum.

IL Hinc haud licere canonicis honorariis alicuius Capituli induere huius insignia, ut singulatim et seorsim a capitulo, in qualibet Ecclesia sacra peragant.

## BARCHINONEN.

### FACULTATIS ITERANDI

*Die 23 Februarii 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. In plenaria Congregatione diei 23 Iulii 1892 (1) inter supplices libellos, sapientissimo iudicio FE. PP. etiam preces subiiciebantur parochi SS. Gervasii et Protasii et B. M. V. sub titulo de Bonanova, dioecesis Barchinonensis in Hispania. Is, cum in dicta vastissima paroecia plus quam 9000 incolis frequenti, quatuor tantum diebus festis Missae adessent, licet intra limites paroeciae quatuor existèrent sacella monialium, in quibus Missa litabatur; enixe effiagitabat « ut duo Sacerdotes, nempe parochus et coadiutor, vel quilibet alius a parocho designatus, in diebus festivis possint binare, non obstantibus Missis, quae celebrari possent in supradictis quatuor ecclesiis monialium ».

Hisce datum fuit responsum : « *Pro facultate binandi pro una Missa tantum, durantibus circumstantiis, arbitrio et conscientiae Episcopi* ».

Parochus vero gratia frui haud potuit ; siquidem hoc lapsu temporis circumstantiae in precibus expositae mutatae sunt, cum novae domus religiosae intra paroeciae limites constru-

it) Supplex hic libellus relatus fuit Vol. XXV, 182.

ctae sint. Parochus ergo denuo Sacratissimum Principem adivit haec exponens: «....Quia societates seu communitates religiosae, iuxta topographicam paroeciae positionem, indefinite augeri possunt, sicut hucusque factum est, Parochus spirituali animarum detrimento iuste permotus anxiusque, a Sacratissimo Principe, ita talem facultatem constanter binandi, diebus festis, pro duobus saltem sacerdotibus obtinere vellet, ut, nihil eidem obstet quod multae in posterum cappellae publicae vel Oratoria instituantur, ne multitudo fidelium, sicut aliquando evenit, gravi periculo Missam amittendi, die festo, exponatur propter insecuritatem Missarum in paroecia. Quod quidem petere non videtur absque ratione et fundamento ; nam necessitates spirituales paroeciae rigorose exigunt, diebus festis celebrationem saltem sex Missarum ; etenim crescit in dies singulos parochianorum numerus, et copia peregrinorum ex toto Cathalauniae principatu et aliis regnis affluentium, causa visitandi Beatam Virginem Mariam de Bonanova, aucte quotidie invalescit ».

« Unde factum est, quod saepe saepius usuvenit, ut, peracta iam Missa Maiori ad horam undecimam multos interrogare, an alia Missa celebretur ; siquidem testantur venire a longe gentium vel impeditos esse ab occupatione aliqua domestica atque ideo Missam audire nequiverint. Praeterea, ut pulchre narrat Episcopus in informatione adiuncti Rescripti , non omnes fideles, etiam si velint, commode riteque Sacrum audire possunt, paucis Missis celebrantibus, tum quia distantia valde diffusa est, tum quia officia parochianorum ita diversa inter se sunt, ut, dum alii ad Missam audiendam pergunt, alii domi remanere tenentur ad domestica servitia praestanda, tum denique (quod quidem maximi momenti est) quia dimensiones templi parochialis non sufficiunt ad fideles omnes amplectendos, nisi iterato saltem septies Sancto Sacrificio diebus omnibus festivis ».

« Quod quidem debitum Parochus minime certe adimplere potest cum tribus tantum sacerdotibus ad talem paroeciam deputatis, nempe ipse Parochus et duo Coadiutores, quorum

unus neque a Gubernio stipendia accipit. Haec est enim distributio Clericorum in hoc parochiali templo et nihil alia ».

« Huic autem arctiori necessitati parochiali parum visum est Parocho satisfacere quod sint quinque monialium ecclesiae et septem publicae capellae et aliae quae in posterum de novo creari possint huius conditionis ; quandoquidem Missae quae in supra dictis ecclesiis et cappellis celebrari solent, potius respectivae Communitati, quam fidelium profectui obediunt ; ex eo quod directe ordinentur ad usum peculiarem sive privatum Communitatis et nonnisi tempore eidem convenienti celebrentur ; praeterquam nec praefatae ecclesiae nec cappellae satis sunt ad plurimos fideles coercendos ».

« Quae cum ita sint, perspicuum est praedictas cappellas sive Oratoria publica fere exiguum emolumentum utilitatemve Paroeciae afierre ; proindeque, non satis fieri gravi oneri Parochi, qui, quidem absque facultate binandi pro duobus saltem sacerdotibus nescit sane quomodo fideles pascat ad vitam aeternam. Iam vero, quia Paroecia maxime gravaretur, si quoties nova ecclesia seu oratorium publicum de novo aperitur, preces etiam de novo iteratura esset, timore vetustatis Rescripti; attento parvo auxilio quod a dictis ecclesiis et oratoriis publicis parochiali ecclesiae praestatur, necnon difficultate magis magisque in dies compulsa, bene debiteque perspecta, inveniendi Sacerdotes extraneos ad celebrandum, ut in allatis precibus constat: quum vera sit et realis necessitas ut sex Missae in hac parochiali ecclesia Sancti Gervasii, omnibus diebus festis celebrentur, ad provectum vicinorum tumque peregrinorum quotidie ab extremis terris venientium ad nostram Paroeciae Patronam visitandam : Sanctitati Vestrae enixe postulat pro gratia, ut duobus saltem sacerdotibus in diebus festivis liceat semper binare, non obstantibus Missis quae celebrari possint in supra dictis ecclesiis monialium vel oratoriis publicis existentibus et futuris eiusdem conditionis ».

Episcopus de more requisitus, imprimis transcripsit quae iam de hac re, alia vice scripserat, quaeque hic opportunum

ducitur ex integro referre : « Paroecia s. Gervasii memorata in adiunctis invenitur attentione dignis, quandoquidem complectitur novem millia animarum, quae spiritualiter pascit parochus, auxiliatus uno coaudiutore ac duobus aliis sacerdotibus ibi commorantibus, cuius territorium habet spatium unius horae cum tribus quadrantibus ab oriente ad occidentem et trium quadrantium ab aquilone ad meridiem. Porro huiusmodi distantiae difficultatem afferunt fidelibus, ut possint praeceptum adimplere exiguo missarum numero, quae celebrari solent in templo parochiali, quae quidem difficultas ex eo augetur, quod in familiis, dum alii ad Missam audiendam pergunt, alii domi remanere teneantur ad domestica servitia praestanda. Huc accedit angustia templi parochialis, quod solummodo, plus minusve, mille fideles continere potest, quo fit, ut, quamvis non daretur allata causa distantiae, ob angustiam templi fideles praeceptum Missae adimplere non possent. Haec autem necessitas crescit aestivo tempore, quo incolae in oppido vulgo s. Gervasio 14,000 numerari solent, cum cives Barchinonenses quamplurimi recreationis gratia, aestivis caloribus perdurantibus, illuc transferantur.

« Dantur sane intra limites praefatae paroeciae sex publica sacella, ad religiosas domos pertinentia, ubi quotidie fit sacrum ac proinde ad ea confluere fideles possunt, ad missam audiendam, ast cum ea sint exigua, difficultatem minime tollunt. Neque sacerdotes ibi celebrantes, ad celebrandum in parochiali compelli possunt, quandoquidem ex dictis cappellis seu ecclesiis tres ad coenobia sanctimonialium, ac reliquae ad collegia sororum votorum simplicium quasi clausuram servan tium, pertinent. Nec denique exteri sacerdotes vocari possunt, cum ii suis ecclesiis generatim adscripti, diebus festis occupati inveniuntur, sique liber aliquis restat nonnisi extraordinario stipendio, quod praebere illa paroecia nequit, ad illud servitium extra urbem praestandum consentit ». Ac deinde prosequitur : « Addere nunc operae pretium est, prae oculis habendas esse circumstantiarum varietates, quibus ex

tunc subiit praefata paroecia, quae praesertim sunt sequentes :

» 1. Sacerdotes adscripti servitio illius ecclesiae una cum parocho antea quinque habebantur, nunc solummodo sunt tres : numerus omnino impar, cum diebus festis in illa parochiali saltem septem missae necessariae sunt, iuxta notitiam a parocho mihi posterius datam, non autem sex ut in precibus exprimitur.

» 2. Numerus incolarum ita crevit ut impraesentiarum a 10,000 mille ad 12,000 mille recenseantur.

» 3. Concursus peregrinorum ad illam parochialem ecclesiam (celebre quidem fanum B. M. V.) confluentium ex dissitis locis exigit, ut meridie, diebus festis, missa celebretur, secus quamplurimi fideles sunt, qui ad visitandam B. V. M. illa hora accedunt et missam non audiunt.

» Quae quidem adiuncta, attenta dictae parochialis ecclesiae exiguitate, oratoris petitioni vim tribuunt eamque roborant.

» Verum sane est, novas domos religiosas intra limites illius paroeciae recenter constructas esse, quibus auctus fuit numerus pristinarum, ita ut in praesenti extant duodecim instituta religiosa cum suis publicis sacellis, ast considerare oportet fere omnia instituta religiosa ibi erecta parum conferre ad publicum fidelium servitium. Etenim in collegiis et conservatoriis missae diebus dominicis et festis celebrantur tantummodo pro pueris vel puellis respective viris religiosis vel sanctimonialibus commissis, et in quinque publicis monialium ecclesiis ibi sitis, quamvis publice celebrentur, ad eas pauci fideles concurrunt ob templorum angustiam.

» Quibus omnibus sedulo perpensis infrascriptus Episcopus existimat oratoris petitionem serio attendendam esse ».

## Disceptatio Synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Benedictus XIV in Constit. *Declarasti Nobis*, postquam citasset canonem Concilii Nemau-

sensis, ubi haec leguntur: « Si omnes parochiani ad unam missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et, dicta prima missa, postmodum parochiani venientes postulent aliam missam sibi dici, poterit tum sacerdos missam aliam celebrare ; » deinde haec animadvertit: « Ea potissimum verba diligenter observari debent, *ubi non est nisi unus sacerdos ;* nec non alia, *nec sunt in ecclesia duo sacerdotes.* Ex. quibus clare perspicimus non licere parocho, si alius sacerdos praesto sit, duo sacra perficere diebus festis, ut populus missae sacrificio intersit....... sive una tantum sit ecclesia in qua missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest ».

Insuper notum est ex *cap. Consuluisti* et *eas cap. Te Referente De celebrat, mis.* presbyteros una vice tantum posse eadem die missae sacrificium offerre, nisi aliter *necessitatis causa* suadeat. Ac quamvis Glossa causae necessitatis addat etiam causam « honestatis vel utilitatis, » nihilominus in praxi retinenda potius videtur doctrina Fagnani, qui in *cap. In Ordinando De Sim.* de venia bis celebrandi tradit: « id nonnisi ex magna necessitate fieri debet et magna cautela». Cui prudenti disciplinae et S. C. C. constanter adhaesisse novimus ex Derthusien. *20 Aug. 1768 ;* Nicien. *27 Nov. 1790,* et recentius ex Arboreen. *23 Aug. 1872;* Avenionen. *22 Aprilis 1882 ;* Ortonen. *29 Martii 1890.* Quae clariora évadent si EE. VV. recolere dignabuntur casum propositum in una Venetiarum die *28 Februarii anni 1891,* in quo oeconomo paroeciae insulae Murano facultatem binandi pro quarta missa petenti, licet exposuisset « di dover nei dì festivi provvedere a più che settemila persone la santa messa, » et Emi Patriarchae commendatio .accederet, rescriptum fuit : « *Attentis omnibus non expedire ».*

In casu vero cum quatuor iam missae diebus festis in ecclesia paroeciali celebrentur, praeter *duodecim,* quae in publicis Institutorum religiosorum oratoriis, licet in horis respectivis familiis religiosis magis convenientibus, Utantur,

concludendum esset potius de commoditate agi quam de necessitate, atque idcirco rationes ad gratiam concedendam hic minime concurrere.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. Nihilominus ex altera parte observari posset, antiquitus ob copiam populi et sacerdotum defectum, plures missas ab eodem presbytero eadem die celebrari consuevisse, et hanc consuetudinem sequentibus saeculis remansisse intactam, Ecclesia permittente, quamvis sacerdotum numerus auctus fuisset. Card. Bona *Rer. Liturgie, lib.l, cap. IS, % 5 et seq. ;* Benedictus XIV *de Syn. Dioec. lib. 5, cap. 8, §8.* Verum cum tractu temporis nonnulli ad solum finem eleemosynam captandi saepius in die sacrificia litarent, Romani Pontifices Leo IV primum, tum Innocentius III in *cit. cap. Consuluisti,* et Honorius III in *cit. cap. Te Referente* ad abusus compescendos, iterationem missae severa lege prohibuerunt. Hinc igitur forsan erui fas esset, quod huiusmodi lex benigniori quadam interpretatione intelligi possit, cum omnis exulet avaritiae suspicio et abusuum periculum removeatur. Et quamvis venia binandi a Benedicto XIV ad praecisam necessitatem populi coarctetur, admittunt tamen Doctores dari causas aequipollentes, in quibus eadem applicari queat dispositio, horumque sententiam et S. C. C. non una tantum vice in sua praxi ratam habuit.

Scimus autem Ecclesiam, quoties magna fidelium pars missae sacrificio destitueretur, rationum momenta adesse autumavisse ad facultatem binandi indulgendam. Ita ex. gr. S. C. de Propaganda Fide anno 1832 Episcopo Nicopolitano in Bulgaria significabat : « Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fidelium, desiderio ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere possint. » Vide etiam Pasqualigo *De Miss. Sacrif. q. 844, n. il.*

Cum itaque in themate incolae paroeciae SS. Gervasii et Protasii, absque petito indulto non modo praeceptum audiendi sacrum facile adimplere nequeunt, sed teste Episcopo, fideles « ob angustiam templi praeceptum missae adimplere non possent . . . ; (et alibi) quamplurimi sunt, qui ad visitan-

dam B. M. V. illa hora (meridie) accedunt et missam non audiunt, » hic causas ad gratiam minime deficere tenendum esset. Eo vel magis « quod in hodierna indiiferentiae religiosae tempestate, ut scribit Episcopus, necessarium sit facile reddere adimplementum Ecclesiae praeceptorum ; » et revera etiam S. C. C. aliquantulum hac in re iuris rigorem emolliendum censuit, ut deduci posset ex Messicana *20 Dec. 1879;* ex Gratianopoli tana *10 Maii 1884;* et ex Salernitana *4 Maii 1889.*

Tandem in casu perpendendum est, gratiam enixe postulari et ab Episcopo, qui prae ceteris populi necessitatem agnoscit, et cui proinde in hisce rebus S. C. merito plurimum deferre solet. Ceterum haud obstat quod et iam quatuor missae adsint in paroecia et ibidem duodecim oratoria publica extent ; siquidem agitur de paroecia cuius populus a 10,000 ad 14,000 pertingit, ac idcirco impossibile omnino foret ut quadruplici missae in angusta Ecclesia, quae vix mille fideles continere valet, et in angustissimis sacellis religiosorum, in quibus, ut refert Episcopus, pauci fideles « concurrunt ob templorum angustiam, » integer assisteret.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.-

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 23 Februarii 1895, censuit respondere : *Pro facultate binandi pro una tantum Missa, ad quinquennium, arbitrio et conscientiae Episcopi.*

## ROMANA

### DUBIUM QUOAD MISSAE APPLICATIONEM

*Die 27 Augusti 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Quum S. Congregationi de Propaganda Fide Ioannes Hofman Vicarius Apostolicus *loci* Chan-Si Meridionalis in Imperio Sinensi sequens obtulerit dubium: *«An Sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebrans, non recepto stipendio, debeat pro ipso defuncto, vel potius pro aliis*

*petentibus et eleemosynam offerentibus sacrificium applicare queat;* » eadem S. C. quaestionem S. C. Congregationi pro congrua solutione remisit.

Iam ex enunciato dubio patet, hic quaeri an Parochus, Missionarius vel quisque alius sacerdos, rogatus ut Missam quoque celebret in exequiarum perfunctione, quin eleemosynam recipiat, nec de applicanda Missa exquiratur, an hic Sacerdos annuens postulationi et Missam celebrans teneatur etiam pro defuncto Sacrificium offerre, vel potius pro alio eleemosynam offerente, vel in suam particularem intentionem Missam applicare queat.

## Disceptatio Synoptica

MISSA APPLICANDA VIDETUR. Ratio dubitandi ex ipso Rituali Romano provenit. In titulo enim - *De Exequiis* - haec habet: « Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit retineatur, ut Missae praesente corpore defuncti pro eo celebrentur, antequam sepulturae tradatur ». Cuius praescriptionis hanc fuisse mentem patet, ut Missa, praesente cadavere celebretur, pro eo defuncto applicanda; ait enim Rubrica « *pro eo celebrentur* ».

Id aliunde docet ipsa Ritus natura non enim ad pompam Missae celebrationem desiderat, praecipit Ecclesia, sed plane in bonum defuncti spirituale, in peccatorum satisfactionem particularem. Inquam *particularem,* si enim Ecclesia tantum exquireret fructum *generalem* *a quacumque Missa fidelibus vivis et defunctis derivatum, supervacaneum omnino esset instare ut Missae celebrarentur praesente cadavere; pompa enim et solemnitas augeretur, sed fructus expiatorius non augeretur sane.

Eo magis quod nimis urgenda non est ratio non accepti stipendii, non solum ne turpis redoleat avaritiae labem, sed etiam quia in eleemosynis dari solitis pro cadaveris associatione et exequiis, commode comprehenditur etiam congrua retributio pro Missae applicatione. — In casu enim quo Missa exequias comitetur et compleat, funebre officium quid unum evadit ex integro directum in satisfactionem defuncti, quodque proinde una retributio et si parva, ad instar eleemosynae Sacerdoti oblata, sufficienter amplectitur.

MISSA NON VIDETUR APPLICANDA. Sed contra est, in Missae Sacrificio apprime considerari triplicem fructum; primum, *generalissimum* cuius fideles omnes fiunt participes; alterum, *specialissimum,* quo fruitur Sacerdos ; tertium, qui dicitur *medius* quemque iis Sacerdos applicat pro quibus Sacrificium offert: ita iuxta communem Doctorum sententiam, uti videre est apud Bened. XIV « *De Sacri f. Missae* » lib. III, c. VIII.

Hac de causa non repugnat quod Missa *De Requie* in paramentos nigris et proprio ritu celebrata, a Sacerdote applicetur *pro vivis;* uti reposuit S. Rituum Congr. *die 13 Oct. 1856* Dubio : « *An liceat Sacerdotibus uti p ar amentis nigris et celebrare Missam de Requie ut satisfaciant obligationi quam susceperunt celebrandi pro vivis* » respondens : « *Affirmative modo non diverse praescripserit qui dedit eleemosynam ».* Item ex responsione eiusdem S. C. in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum possunt Missae applicari etiam pro vivis. Sacra vero C. Indulgentiarum interrogata: *« Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cuiuscumque Sancti, etiamsi non sit semiduplex aut duplex » die 2 Aprilis 1840,* respondit : « *Affirmative ».*

Re quidem vera Ecclesia obsecrationibus et S. Liturgiae precibus pro universis fidelibus Deum deprecatur in Sacrificio Missae per Sacerdotis ministerium, unde significatur et obtinetur fructus Missae *generalissima* in omnes christianos diffusus; sed superest fructus *medius* a sacerdote applicanda cui de iure vel de eius voluntate tribuendus erit. Quare distingui necessario debet *celebratio* Missae a Missae *applicatione,* ratione fructus spiritualis, adeo ut quis teneri potest ad celebrandam Missam, sed non ad applicandam. Quare Benedictus XIV, *in opere citato I. c, c. 9,* docet quem posse in legato condendo Sacerdotem adstringere ad Missas celebrandas et non ad easdem fundatori applicandas, vel pro certo numero solum exigere celebrationem, non Missarum applicationem.

Ex principiis supra statutis, at quaestioni pressius pertinens, descendit responsio data a S. C. S. Officii *die 1 Septembris 1841* quaestioni, *an in celebratione nuptiarum Sacerdos teneretur celebrare pro sponsis :* responsum enim fuit : « *Sacerdos non tenetur applicare pro sponsis, nisi ab eisdem eleemosynam recipiat* ». Nihilominus Rituale Romanum prae-

scribit quasi partem ritus nuptialis integrantem quod « Sacerdos Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali Romano celebret.... » Ecclesia vero suam obtinet intentionem ex simplici Missae celebratione, in qua ferventiores pro sponsis Deo preces effunduntur et benedictiones apprecantur. Item in Missa pro defunctis Ecclesia suo nomine per ministerium Sacerdotis orat ad obtinendum fidelibus demortuis fructum satisfactorium et defuncti praesente cadavere, peculiares pro eodem offert in Sacrificio Missae supplicationes.

Nullus vero amplius videtur esse locus dubitationi, si animadvertatur, verba Ritualis Romani non continere praeceptum , ut Missa celebretur pro defuncto, eius praesente cadavere, sed simpliciter laudare morem et consuetudinem seu « Quod antiquissimi est instituti illud quantum fieri poterit, retineatur ut Missae, praesente corpore defuncti pro eo celebrentur, antequam sepulturae tradatur ».

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset respondendum precibus.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re ponderata sub die 27 Aprilis 1895 censuit respondere: *Negative ad primam partem j, affirmative ad secundam.*

EX QUIBUS COLLIGES : I. Aliud esse celebrare Missam, aliud applicare Missam.

II. Sacerdotem posse applicare fructum medium Missae pro iis a quibus eleemosynam recepit, etiam pro vivis, quamvis nigris indutus paramentis.

III. Et ideo Sacerdos in exequiis persolvendis pro defuncto, sicuti in celebratione nuptiarum, non obligatur applicare Missam pro eodem defuncto vel pro sponsis si ad id stipendium non receperit.

## EPISTOLA ENCYCLICA SSmi D. N. Leonis Xlii. De Rosario Mariali.

Adiutricem populi christiani potentem et clementissimam, Virginem Dei Matrem, dignum est et magniñcentiore in dies celebrare laude et acriore fiducia implorare. Siquidem argumenta fiduciae laudisque auget ea varia beneficiorum copia, quae per ipsam affluentior quotidie in commune bonum longe lateque diffunditur. Nec beneficentiae tantae profecto a catholicis officia desunt deditissimae voluntatis: quum, si unquam alias, his nimirum vel acerbis religioni temporibus, videre liceat amorem et cultum erga Virginem beatissimam excitatum in omni ordine atque incensum. Cui rei praeclaro sunt testimonio restitutae passim multiplicataeque in eius tutela sodalitates; eius nomini augusto splendidae dedicatae aedes;- peregrinationes ad sacratiora eius templa actae frequentia religiosissima ; convocati coetus, qui ad eius gloriae incrementa deliberando incumbant; alia id genus, per se optima fausteque in futurum significantia. Atque id singulare est Nobisque ad recordationem periucundum, quemadmodum multiplices inter formas eiusdem pietatis, iam ROSARIUM MARIALE, ille tam excellens orandi ritus, in opinione et consuetudine latius invalescat. Id Nobis, inquimus, periucundum est, qui, si partem curarum non minimam promovendo Rosarii instituto tribuimus, probe videmus quam benigna optatis Nostris adfuerit exorata Regina caelestis: eamque sic Nobis confidimus adfuturam, ut curas quoque aegritudinesque lenire velit quas proximi allaturi sunt dies. — Sed praecipue ad regnum Christi amplificandum uberiora Nobis adiumenta ex Rosarii virtute expectamus. Consilia quae studiosius in praesentia urgemus, de reconciliatione esse dissidentium ab Ecclesia nationum, haud semel ediximus: simul professi, felicitatem eventus, orando obsecrandoque divino Numine, maxime quaeri oportere. Id etiam non multo antehac testati sumus, quum per sollemnia sacrae Pentecostes, peculiares preces in eam causam divino Spiritui adhibendas commendavimus: cui commendationi magna ubique alacritate obtemperatum est. At vero pro gravitate rei perarduae, proque debita omnia virtutis constantia, apte facit hortamentum Apostoli: *Instate orationi* (1); eo vel magis quod

**(1)** Col. IV, 2.

tali instantiae precandi suavius quoddam incitamentum bona ipsa coeptorum initia admovere videantur. Octobri igitur proximo nihil sane fuerit, Venerabiles Fratres, neque proposito utilius, neque acceptius Nobis, quam si toto mense vos populique vestri, Rosarii prece consuetisque praescriptis, Nobiscum apud Virginem Matrem pientissimi insistatis. Praeclarae quidem sunt causae cur'praesidio eius consilia et vota Nostra summa spe committamus.

Eximiae in nos caritatis Christi mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori : *Ecce filius tuus.* In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent : in qua sententia sanctus Anselmus cantuariensis: *Quid,* inquit, *potest dignius aestimari, quam ut tu, Virgo, sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater* (1)? Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Cenaculo auspiciis. Christianae gentis primitias iam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii^ solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit; verissime quidem mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis quae *conservabat in eorde suo.-Ad* haec vero dici vix potest quantum amplitudinis virtutisque tunc accesserit, quum ad fastigium caelestis gloriae, quod dignitatem eius claritatemque meritorum decebat, est apud Filium assumpta. Nam inde, divino consilio, sic illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere mater, ut quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra, permissa ei paene immensa potestate. Hinc recte admodum ad Mariam, velut nativo quodam impulsu adductae, animae christianae feruntur; cum ipsa fidenter consilia et opera, angores et gaudia communicant; curaeque ac bonitati eius se suaque omnia filiorum more commendant. Hinc rectissime delata ei in omni gente omnique ritu ampla praeconia, suffragio crescentia saeculorum : inter multa, ipsam *dominam nostram, mediatricem nostram* (2), ipsam *reparatri-*

**(1)** *Or.* **XLVII,** *olim* **XLVI.**
(2) **S. Bernardus,** *serm.* **II** *in adv. Domini n. 5.*

*cem totius orbis* (1), ipsam *donorum Dei* esse *conciliatricem* (2). — Et quoniam munerum divinorum, quibus homo supra naturae ordinem perficitur ad aeterna, fundamentum et caput est fides, ad hanc ideo assequendam salutariterque excolendam iure extollitur arcana quaedam eius actio, quae *Auctorem* edidit *fidei*, quaeque ob fidem *beata* est salutata : *Nemo est, o sanctissima, qui Dei cognitione repleatur, nisi per te ; nemo est qui salvetur, nisi per te, o Deipara; nemo, qui donum ex misericordia consequatur, nisi per te* (3). Neque is nimius certe videbitur qui affirmet, eius maxime ductu auxilioque factum, ut sapientia et instituta evangelica, per asperità tes offensionesque immanes, progressione tam celeri ad universitatem nationum pervaserint, novo ubique iustitiae et pacis ordine inducto. Quod quidem sancti Cyrilli alexandrini animum et orationem permovit, ita Virginem alloquentis: *Per te Apostoli salutem gentibus praedicaret...; per te Crux pretiosa celebratur toto orbe et adoratur... ; per te fugantur daemones, et homo ipse ad caelum revocatur ; per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis; per te fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque ecclesiae sunt ubivis gentium fundatae* (4).— Quin etiam *sceptrum orthodoxae fidei*, prout idem collauda vit doctor (5), praestitit illa valuitque : quae fuit eius non intermissa cura, ut fides catholica perstaret firma in populis atque integra et fecunda vigeret. Complura in hoc sunt satisque cognita monumenta rerum, miris praeterea modis nonnunquam declarata. Quibus maxime temporibus locisque dolendum fuit, fidem vel socordiâ elanguisse vel peste nefaria errorum esse tentatam, magnae Virginis succurrentis benignitas apparuit praesens. Ipsaque movente, roborante, viri extiterunt sanctitate clari et apostolico spiritu, qui conata retunderent improborum, qui animos ad christianae vitae pietatem reducerent et inflammarent. Unus multorum instar Dominicus est Gusmanus, qui utraque in re elaboravit, marialis Rosarii confisus ope, feliciter. Neque dubium cuiquam erit, quantum redundet in eamdem Dei Genitricem de promeritis venerabilium Ecclesiae

(1) S. Tharasius, *or. in praesent. Deip.*

(2) *In offic, graec,* VII *dec,* **©soroxíov** *post oden* IX.

(3) S. Germanus constanlinop. *or.* II *in dormit. B. M. V.*

(4) *ñom. contra Nestorium.*

(5)16.

Patrum et Doctorum, qui veritati catholicae tuendae vel illustrandae operam tam egregiam dederunt. Ab ea namque,• *sapientiae divinae Sede,* grato ipsi fatentur animo copiam consilii optimi sibi defluxisse scribentibus ; ab ipsa propterea, non a se, nequitiam errorum esse devictam. Denique et Principes et Pontifices romani, custodes defensoresque fidei, alii sacris gerendis bellis, alii sollemnibus decretis ferendis, divinis Matris imploravere nomen, nunquam non praepotens ac propitium senserunt. — Quapropter non vere minus quam splendide Ecclesia et Patres gratulantur Mariae: *Ave, os perpetuo eloquens Apostolorum, Fidei stabile firmamentum, propugnaculum Ecclesiae immotum* (1); *Ave, per quam inter unius, sanctae, catholicae atque apostolicae Ecclesiae cives descripti sumus* (2); *Ave, fons divinitus scaturiens, e quo divinae sapientiae fiuvii, purissimis ac limpidissimis orthodoxiam undis defuentes, errorum agmen dispellunt* (3) ; *Gaude, quia cunctas haereses sola interemisti in universo mundo* (4).

Ista quae Virginis excelsae fuit atque est pars magna in cursu, in proeliis, in triumphus fidei catholicae, divinum de illa consilium facit illustrius, magnamque in spem bonos debet omnes erigere, ad ea quae nunc sunt in communibus votis. — Mariae fidendum, Mariae supplicandum! Ut enim christianas inter nationes una fidei professio concordes habeat mentes, una perfectae caritatis necessitudo copulet voluntates, hoc novum exoptatumque Religionis decus, sane quam illa poterit virtute sua ad exitum maturare. Ecquid autem non velit efficere, ut gentes, quarum maximam coniunctionem Unigena suus impensissimo a Patre flagitavit, quasque per unum ipse baptisma ad eamdem *hereditatem salutis,* pretio immenso partam, vocavit, eo omnes *in admirabili eius lumine* contendant unanimes ? Ecquid non impendere ipsa velit bonitatis providentiaeque, tum ut Ecclesiae, Sponsae Christi, diuturnus de hac re labores soletur, tum ut unitatis bonum perficiat in christiana familia, quae suae *maternitatis* insignis est fructus ? - Auspiciumque rei non longius eventurae eâ videtur confirmari opinione et fiducia quae in animis piorum calescit, Mariam nimirum felix vinculum fore, cuius

(1) *Ex hymno Graecor.* Axattatoç.
(2) S. Ioannes Damaso, *or. in annum. Dei Genitricis,* n. 9.
(3) S. Germanus constantinop. *or. in Deip. praesentatione,* n. 14.
(4) *In off. B. M. V.*

firma lenique vi, eorum omnium, quotquot ubique sunt, qui diligunt Christum, unus fratrum populus fiat, "Vicario eius in terris, Pontifici romano, tamquam communi Patri obsequentium. Quo loco sponte revolat mens per Ecclesiae fastos ad priscae unitatis nobilissima exempla, atque in memoria Concilii magni ephesini libentior subsistit. Summa quippe consensio fidei et par sacrorum communio quae Orientem atque Occidentem per id tempus tenebat, ibi enimvero singulari quadam et stabilitate valuisse et enituisse gloria visa est; quum Patribus dogma legitime sancientibus, *sanctam Virginem esse Deiparam,* eius facti nuncium a religiosissima civitate exultante manans, una eademque celeberrima laetitia totum christianum orbem complevit. — Quot igitur causis fiducia expetitarum rerum in potente ac perbenigna Virgine sustentatur et crescit, tot veluti stimulis acui oportet studium quod catholicis suademus in ea exoranda. Illi porro apud se reputent quam honestum hoc sit sibique ipsis fructuosum, quam eidem Virgini acceptum gratumque certe futurum. Nam, compotes ut sunt unitatis fidei, ita declarant, ut huius vim beneficii se magni pro merito facere, et idem se velle sanctius custodire. Nec vero queunt praestantiore ullo modo fraternum erga dissidentes probare animum, quam si eis ad bonum recuperandum unum omnium maximum enixe subveniant. Quae vere christiana fraternitatis affectio, in omni vigens Ecclesiae memoria, praecipuam virtutem consuevit petere ex Deipara, tamquam fautrice optima pacis et unitatis. Eam sanctus Germanus constantinopolitanus his vocibus orabat: *Christianorum memento, qui servi tui sunt: omnium preces commenda, spes omnium adiuva; tu fidem solida, tu ecclesias in unum coniunge* (1). Sic-adhuc est Graecorum ad eam obtestatio : O *purissima, cui datum accedere ad Filium tuum nullo metu repulsae, tu eum ex or a, o sanctissima, ut mundo pacem impertiat et eamdem ecclesiis omnibus mentem adspiret : atque omnes magnificabimur te* (2). — Huc propria quaedam accedit causa quamobrem nobis, dissentientium nationum gratia comprecantibus, annuat Maria indulgentias : egregia scilicet quae *\n* ipsam fuerunt earum merita, in primisque orientalium. Hisce multum sane debetur de veneratione eius propagata et aucta :

(1) *In hist. in dormit, Deiparae.*

(2) *Men.* **V** *maii,* **©sotoxíov** *post od. IX de S. Irene V. M.*

ih his commemorabiles dignitatis eius assertores et vindices, potestate scriptisve gravissimi ; laudatores ardore et suavitate eloquii insignes; *dilectis simae Deo impératrices* (1), integerrimam Virginem imitatae exemplo, munificentia prosecutae; aedes ac basilicae regali cultu excitatae. - Adiicere unum libet quod non abest a re, et est Deiparae sanctae gloriosum. Ignorat nemo, augustas eius imagines ex oriente, variis temporum casibus, in occidentem maximeque in Italiam et in hanc Urbem, complures fuisse advectas: quas et summa cum religione exceperunt patres magnificeque coluerunt, et aemula nepotes pietate habere student sacerrima s. Hoc in facto gestit animus nutum quemdam et gratiam agnoscere studiosissimae matris. Significari enim videtur, imagines eas perinde extare apud nostros, quasi testes temporum, quibus christiana familia omnino una ubique cohaerebat, et quasi communis hereditatis bene cara pignora : earumdem propterea adspectu, velut ipsa Virgine submonente, ad hoc etiam invitari animos, ut illorum pie meminerint quos Ecclesia catholica ad pristinam in complexu suo concordiam laetitiamque amantissime revocat.

Itaque permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum est in Maria. Quod quidem, etsi non uno precationis modo demereri licet, attamen instituto Rosarii optime id fieri uberrimeque arbitramur. Monuimus alias, non ultimum in ipso emolumentum inesse, ut prompta ratione et facili habeat christianus homo, quo fidem suam alat et ab ignorantia tutetur errorisve periculo : id quod vel ipsae Rosarii origines faciunt apertum. Iamvero huiusmodi quae exercetur fides, sive precibus voce iterandis, sive potissimum contemplandis mente mysteriis, palam est quam prope ad Mariam referatur. Nam quoties ante illam supplices coronam sacram rite versamus, sic nostrae salutis admirabile opus commemorando repetimus, ut, quasi praesenti re, ea explicata contueamur, quorum serie et effectu extitit illa simul Mater Dei, simul mater nostra. Utriusque magnitudo dignitatis, utriusque ministerii fructus vivo in lumine apparent, si quis Mariam religiose consideret mysteria gaudii, doloris, gloriae cum Filio sociantem. Inde profecto consequitur ut grati adversus illam amoris sensu animus exardescat, atque caduca omnia infra sé habens, forti conetur proposito dignum

(i) S. Cyrill, alex. *de fide ad Pulcheriam et sorores reginas.*

se matre tanta beneflciisque eius probare. Hac autem ipsa mysteriorum crebra fìdelique recordatione quum ea non possit non iucundissime affici, et misericordia in homines, longe omnium matrum optima, non commoveri, idcirco diximus Rosarii precem peropportunam fore, ut fratrum causam dissidentium apud ipsam oremus. Ad spiritualis maternitatis eius officium proprie id attinet. Nam qui Christi sunt, eo Maria non peperit nec parere poterat, nisi in una fide unoque amore: numquid enim *divisus est Christus ?* (1) debemusque una omnes vitam Christi vivere, ut in uno eodemque corpore *fructificemus Deo* (2). Quotquot igitur ab ista unitate calamitas rerum funesta abduxit, illos oportet ut eadem mater, quae perpetua sanctae prolis fecunditate a Deo aucta est, rursus Christo quodammodo pariat. Hoc plane est quod ipsa praestare vehementer optat; sertisque donata a nobis acceptissimae precis, auxilia *vivificantis Spiritus* abunde illis impetrabit. Qui utinam miserentis matris voluntati obsecundare ne renuant, suaeque consulentes saluti, boni audiant blandissime invitantem : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (3). — Tali marialis Rosarii virtute perspecta, nonnulli fuere decessores Nostri qui singulares quasdam curas eo converterunt, ut per orientales nationes dilataretur. In primis Eugenius IV, constitutione *Advesperascente,* anno data MCCCCXXXIX, tum Innocentius XII et Clemens XI; quorum auctoritate item privilegia ampla Ordini Praedicatorum, eius rei gratia, sunt attributa. Neque fructus desiderati sunt. Sodalium eiusdem Ordinis contendente sollertia; iique extant multiplici et clara memoria testati: quamquam rei progressibus diuturnitas et adversitas temporum non parum deinde offecit. Hac vero aetate idem Rosarii colendi ardor quem initio excitatum laudavimus, similiter per eas regiones animis multorum incessu Quod sane Nostris quantum respondet inceptis, tantum votis explendis perutile futurum speramus. — Coniungitur cum hac spe laetabile quoddam factum, aeque Orientem attingens atque Occidentem, eisdemque plane congruens votis. Illud spectamus propositum, Venerabiles Fratres, quod in pernobili Conventu eucharistico, Hierosolymis acto, initium duxit, templi videlicet exaedificandi in honorem Reginae sacratissimi Rosarii;

(1) Cor. I, 13.
(2) Rom. VII, 4.
(3) Gal. IV, 19.

idque Pa trae in Achaia, non procul a locis, ubi olim nomen christianum, ea auspice, eluxit. Ut enim a Consilio quod rei provehendae curandoque operi, probantibus Nobis, constitutum est, perlibentes accepimus, iam plerique vestrum rogati, collaticiam stipem omni diligentia in id submiserunt; etiam polliciti, se deinceps non dissimiliter adfore usque ad operis perfectionem. Ex quo satis iam est consultum, ut ad molitionem quae amplitudini rei conveniat, aggredi liceat: factaque est a Nobis potestas ut propediem auspicalis templi lapis sollemnibus caeremoniis ponatur. Stabit templum, nomine christiani populi, monumentum perennis gratiae Adiutrici et Matri caelesti : quae ibi et latino et graeco ritu assidue invocabitur, ut vetera beneficia novis usque velit praesentior cumulare.

Iam, Venerabiles Fratres, illuc unde egressa est Nostra redit hortatio. Eia, pastores gregesque omnes ad praesidium magnae Virginis, proximo praesertim mense, fiducia plena confugiant. Eam publice et privatim, laude, prece, votis compellare concordes ne desinant et obsecrare Matrem Dei et nostram : *Monstra te esse Matrem!* Maternae sit clementiae eius, familiam suam universam servare ab omni periculo incolumem, ad veri nominis prosperitatem adducere, praecipue in sancta unitate fundare. Ipsa catholicos cuiusvis gentis benigna respiciat; et vinculis inter se caritatis obstrictos, alacriores faciat et constantiores ad sustinendum religionis decus, quo simul bona maxima continentur civitatis. Respiciat vero benignissima dissidentes, nationes magnas atque illustres, animos nobiles officiique christiani memores: saluberrima in illis desideria conciliet et conciliata foveat eventuque perficiat. Eis qui dissident ex oriente, illa etiam valeat tam effusa quam profitentur erga ipsam religio, tamque multa in eius gloriam et praeclara facta maiorum. Eis qui dissident ex occidente, valeat benificentissimi patrocinii memoria, quo ipsa pietatem in se omnium ordinum, per aetates multas eximiam, et probavit et muneravit. Utrisque et ceteris, ubicumque sunt, valeat vox una supplex catholicarum gentium, et vox valeat Nostra, ad extremum spiritum clamans: *Monstra te esse Matrem!*

Interea divinorum munerum auspicem benevolentiaeque Nostrae testem, singulis vobis cleroque ac populo vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die v Septembris anno **MDCccxcv** Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## MELEVITANA

### IURIS ELIGENDI PROCURATORES

*Die 27 Aprilis i895.*

**Sess. 13 cap. 2 de Reform.**

COMPENDIUM FACTI. Ecclesia S. Helenae Imperatricis in oppido *Birchircara* Melevitanae dioecesis, ad instantiam Philippi Borg, huius Ecclesiae Parochi, an. 1630 ab Urbano VIII Summo Pontifice, praevia Parochialis Ecclesiae perpetua suppressione ac extinctione in collegiatam erecta fuit, tredecim coalescens praebendis, nempe praepositura et duodecim canonicatibus , eidem omnimodae exemptionis ab Ordinario loci collato privilegio.

Pro animarum cura, in Collegiata Ecclesia instituta fuit Vicaria perpetua, a praebendis canonicalibus distincta, in qua institueretur presbyter saecularis ipsius Parochialis et Collegiatae Ecclesiae perpetuus Vicarius.

Harum Litterarum executioni non parvae obstiterunt difficultates, donec post varias contentiones, S. Romana Rota decisione 9 Decembris 1637 declaravit, Pontificiam Constitutionem quoad exemptionem a loci Ordinario non esse exe^ cutioni de mandandam.

Collegiata taliter instituta, aliae subortae sunt lites canonicos inter et Vicarium, circa Ecclesiae administrationem et praeeminentiarum iura; quas ad auferendas contentiones, prouti narrat Benedictus XIV in Bulla *In Supremo Apostolatus,* conventio, Episcopo mediatore, inita fuit anno 1687, qua Vicarii praebenda ad dignitatem evecta Archipresbyteratus , in Capitulum fuit cooptata, concessa praeeminentia super simplices canonicos. Innocentius XII *motu proprio* transactionem confirmavit, unde plenum habuit vigorem.

Nihilominus exortis postmodum litibus inter Capitulum et Archipresbyterum super gubernio dictae Ecclesiae, refert idem Pontifex in dicta Bulla, quod *ambae partes concordarunt quod omme quod curam animarum et administrationem Sacramentorum ac bona ad praefatum Archipresbyterum spectantia respiceret, ad dominum Archipresbyterum spectaret; gubernium vero oeconomicum dictae Collegiatae Ecclesiae pro una ipsi Archipresbytero et pro altera gubernii huiusmodi medietate Capitulo et Canonicis praefatis esset assignatum, quod quidem usque adhuc observatum, nunquam tamen a Sede Apostolica praefata confirmatum fuit.*

Quum vero nihilo secius contentiones non quiescerent Canonicos inter et Archipresbyterum, idem Benedictus XIV in citata Bulla ad omnium litium et controversiarum anfractus penitus tollendos, Archipresbyteratum suppressit « ita quod deinceps dictae Collegiatae Ecclesiae animarum parochianorum cura Praepositurae praefatae annexa sit cum omnibus emolumentis et distributionibus... quibus tam eiusdem Collegiatae Ecclesiae Archipresbyter, quam Praepositus usque adhuc respective fruebantur et potiti fuerant, *firma remanente apud eiusdem Collegiatae Ecclesiae Praepositum, pro tempore existentem medietate gubernii oeconomici et administrationis omnium ad dictam Collegiatam Ecclesiam spectantium, qua prius Archipresbyter eiusdem Collegiatae Ecclesiae fruebatur* ».

Gubernium vero Ecclesiae oeconomicum quod spectat, animadvertatur, nunc controverti, prima vice, videtur, inter Capitulum et Archiepiscopum, an hoc gubernium comprehendat tantum administrationem bonorum Massae Capitularis, an etiam proventus et reditus, tum Fabricae Ecclesiae, tum Piarum sodalitatum, Cappellarum, Altarium, leonum ibidem existentium et cuiusvis generis largitiones. Nam Archiepiscopus contendit, excepta Massa Capitulari, ad se omnium aliorum redituum pertinere administrationem, quare cum Capitulum elegisset die 14 Nov. 1890 procuratorem bonorum Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo in Collegiata

Ecclesia erectae, ipse Episcopus alium Procuratorem die 26 eiusdem mensis et anni elegit.

Praeterea procuratori *Lampadarum* seu Fabricae a Capitulo electo, Episcopus, inconsultis Praeposito et Canonicis, permisit in emphyteusim dare fundum ad praedictam Ecclesiam spectantem.

Haec duo facta Canonici, quippe suorum iurium laesiva, ad S. C. C. solemne iudicium pertrahunt, adversus Episcopum, liberam administrationem,quoad hos reditus,vindicantes. Episcopus vero securus quiescit in proprii iuris usu et exposcit ut repellantur petitiones canonicorum.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CAPITULI. Praemonitum fuit, patronos convenisse in duo concinnanda dubia, quae claritatis gratia iuvat referre, quaeritur : *An ius eligendi et nominandi procuratores pro administratione bonorum Ecclesiae Collegiatae competat Capitulo eiusdem Ecclesiae Collegiatae, prout in casu.* - Et quatenus affirmative. - *An eisdem procuratoribus competat ius affigendi edicta ad ineundas contractus emphuteuticos, in casu.*

Et quoad primum dubium, Capituli Advocatus ante omnia definit de quibus administrandis bonis agatur; ne ab ipsa nimis generica enunciatione aequivocandi sumatur occasio. Nulla quidem erit quaestio de bonis ad mensam capitularem spectantibus. Praeposito et Canonicis penitus assentitur Archiepiscopus, ea per se posse administrare, et ad hoc procuratores deputare. Sed quaecumque alia bona, sive dotalia ipsius Ecclesiae, sive legata, aut Confraternitatum ibidem erectarum proventus, aut alio quovis titulo eidem Ecclesiae affecta, Archiepiscopus obstat quin ea per Capitulum et procuratores ab eo delectos administrentur.

Quia, Episcopus sibi arrogat pacificam possessionem et perenne exercitium, notat patronus, quod non sit Ordinarius in ea manutenendus, cum eamdem possessionem, idemque possint ex adverso Praepositus et Canonici exercitium pro-

bare. Quare ait, utraque pars titulum vel coloratura afferat, unde eiusmodi observantia sustentetur. Et cum Archiepiscopi postulatis, Praepositus et Canonici iuris sui exercitium, apostolicis sanctionibus roboratum et contraria numquam consuetudine obsoletum, iam opposuerint, perspicuum est causam ad simplex possessorium non esse cohibendam. sed in petitorio esse quoque praelibandam, iuxta tradita per De Luca *De Benef. p. IL disc. 35, n. 3,* qui Curiae stylum esse docet « ut concurrentia petitorium ac merita negotii principalis summatim reducantur pro gustu, ad effectum ut facilius idem possessorium decernendum sit illi, cui etiam bonum ius assistat, iuxta praxim in proximis terminis tentam per Rotam *dec. 102* p- 10 rec. et in aliis ».*

Iamvero contendit patronus, Episcopi intentionem iuri communi adversari, quia Episcopi non sunt iure communi ecclesiarum, beneficiorum aut bonorum quorumvis suae dioeceseos administratores, sed tutores, iuxta SS. Tridentinae Synodus ordinationes *(Sess. HII, cap. 9 de Ref.);* quae Ordinarium loci exactorem constituit rationum, quas talium bonorum administratores eidem singulis annis reddere debent. « Administratores tam ecclesiastici quam laici Fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam Cathedralis, hospitalis, confraternitatis, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario ».

Quod autem Episcopo Melevitano iure communi non competit, eo minus speciali indultum fuit concessione, contendit patronus. Quia nullum profecto vel ipse attulit eiusmodi titulum, sed simplici facto instititit pro manuten tione assertae suae possessionis. Litterarum revera meminit S. C. Episcoporum et Regularium sub 10 et 13 Martii datarum anno 1645; sed eae, quatenus existant, referuntur ad administrationem Mensae Capitularis.

Longe autem melior est, iuxta patronum, conditio Capituli, quae in tuto ponitur, tum Apostolicis Sanctionibus, tum ipsorum Episcoporum recognitionis subsidio. Non est hic sermo de exemptione ab Ordinario quae, utut a Bulla

erectionis Ecclesiae Collegiatae concessa, abrogata censetur. Hoc unum quaerit, an supposita etiam ex parte Capituli diuturna observantia in eligendis et nominandis procuratoribus pro administratione bonorum suae Ecclesiae, praeter Mensam proprie dictam Capitularem, adsit illi titulus ad eam observantiam roborandam.

Atque heic praenotat quod, licet circa temporalem Collegiatae Ecclesiae administrationem fere ab initio frequentissima extiterint dissidia, ea nunquam extitere inter Archiepiscopum et Capitulum. Quin et ipsos Episcopos, Melitenses antecessores, iugiter sollicitos fuisse constat, non ad captandum sibi eiusmodi ius, sed pro iurgiis inter Capitulum aliosque contendentes componendis.

Ex deductis interim duplicem statuit conclusionem orator: primam *facti,* alteram *iuris.* Conclusio *facti* est, quod inter multiplices et annosas controversias circa administrationem temporalem Collegiatae Ecclesiae S. Helenae et procuratorum eidem administrationi praeficendorum electionem, nulla unquam inter Episcopum et partes contendentes controversia fuerit; nulla unquam ab Episcopis fuerit Capitulo mota querela. Et conclusio *iuris* est quod praelaudatae Litterae Benedicti PP. XIV, quibus ea fuerunt studia sublata, statum fecerint et facere debeant contra quemcumque, qui Capitulum in exercitio oeconomici gubernii bonorum omnium ad dictam Collegiatam Ecclesiam spectantium, ad tramitem earum Litterarum, ex aequo simul a Praeposito et Canonicis capitulari ter gerendi, turbare praesumat.

Eiusmodi autem conclusiones firmat ab indole controversiarum quibus Pontificia rescripta finem imposuerunt. Quod si ipse Episcopus (Canaves) eiusmodi simultates iuxta conventionem anni 1716 nisus est compescere; si certe de intelligentia Episcopi (Alpheran) Pontifex Benedictus XIV radicem earum simultatum extirpare aggressus, Archipresbyteratum de medio sustulit eiusque partes Praeposito dedit, ut una cum Canonicis universum oeconomicum Ecclesiae regimen ageret; si Apostolicas eas Litteras Melevitanus An-

tistes absque ulla restrictione et exceptione executioni demandavit; aemulatorium est, iuxta patronum, lapidem hodie movere ad antiqua phantasmata resuscitanda, ad Apostolica Rescripta convellenda, ad maiorum sententiam retractandam.

Deinde patronus advertit etiam iuris Capituli ex parte Episcoporum adesse recognitiones. Ac primum recenset ea quae praestitit Episcopus Rull, novis postmodum obortis contentionibus. Quarum vices a relato transactionis instrumento anni 1762 depromit. Itaque per transactionem electiones a Capitulo, ut antea, fieri, easque ab Episcopis confirmari, statutum fuit, concludit Orator.

Huiusmodi argumentum roborat patronus afferens formulas confirmationis quae sic plerumque habentur. « Electionem de qua in precibus auctoritate nostra Ordinaria confirmamus, mandantes preces, una cum praesenti nostro rescripto, registran, etc. ».

Tantummodo Procuratorum confirmationem reservatam fuisse Episcopis, insuper probat orator recolens electiones, quarum fidem faciunt authenticae tabulae Archivii Capitularis, ubi conspiciuntur, non summatim et in genere, sed notatis anno, mense, die et hora, eligentibus et electis; quae singula singulis officia; quantum temporis cuique assignatum illis exercendis. Idque ab anno 1756 ad annum 1892. In quibus omnibus et convocatio praecedit Capituli, et convenientium capitularium gradus, numerus designatur, et locus electionis, eligendorum propositio, suffragia adepta, acceptatio, recusatio declarantur. Et procuratores eliguntur *Lampadis* (idest *Fabricae)* et ad sarta tecta templi *(Fabrica materiale delia Chiesa),* ad censum sodalitatum et confraternitatum, ad eas altarium eticonum, ad alios quosque redditus specifice administrandos: ita ut omnia rite et solemniter, absque ullo Episcopi interventu, peracta exhibeantur.

Quin, prosequitur Orator, et adest casus quo electio fiat in gratiam Episcopi, eaque ab Episcopo confirmetur 10 Decembris 179.1. Ac petitioni Praepositi et Canonicorum pro electionis confirmatione sub .19 eiusdem mensis rescripsit

Episcopus « Electionem de qua in precibus, auctoritate Ordinaria confirmamus et approbamus, mandantes preces, una cum praesenti Nostro Rescripto, registran in actis etc. ».

Quoniam Episcopus sese speciatim refert electioni procuratoris confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo, specialem adhuc super electione huiusmodi proponit Orator animadversionem. At reapse eam consuetudinem extitisse, et existere, iuxta patronum, probat schema authenticum Capitularium deliberationum. Quod ut clarius pateret, capitulum peculiarem addidit indicem singularium pro dicta confraternitate electionum.

Demum oeconomicum regimen Capitulo competere Orator desumit ab actis Capitularibus ubi agitur de operibus ad sarciendum templum et filiales capellas ; de reparandis ornandisque aedibus et altaribus, de picturis et statuis locandis, iisque perfectis suae sedi aptandis, de confraternitatibus erigendis, earumque administratione providenda; de Syndicis legatorum satisfactionis et missarum adventitiarum celebrationis curandae ; de reductione missarum petenda, proroganda vel non, de aedificiis ampliandis aut renovandis; de condictione aedituum, eorumque expulsione.

Postea patronus, ad secundum progressus Dubium : *An eisdem procuratoribus competat ius affigendi edicta ad ineundos contractus emphyteuticos, in casu,* notat emphyteuticos porro contractus alienationibus bonorum aequiparari, neminem ignorare. Nequeunt ergo absque Beneplacito Apostolico perfici, et absque omnibus solemnitatibus quae Beneplaciti Apostolici concessionem praecedunt aut concomitantur: inter quae adnumerantur experimenta, unde probetur contractus in utilitatem Ecclesiae, quo meliori modo concedere. Ut autem tales adhibeantur cautelae, conscientia oneratur eorum, quorum interest eiusmodi inire contractus : atque in casu Capituli conscientia oneratur. Superfluum itaque censet Orator inquirere quousque Procuratorum eius potestas extendatur. Eo usque porro extenditur, quousque a Capitulo mandatum accipiant.

Quaestionem, de qua agitur in proposito dubio, iam narravi, nempe Praepositum et Canonicos doluisse, Rev. Ignatium Michalef procuratorem suum Lampadis, idest Fabricae, auctoritate Episcopi fundum in emphyteusim dedisse, eis inconsultis, immu contradicentibus. Notat patronus, quod, Praepositus et Canonici conquesti sunt, Procuratorem praedictum rem omnem, contra votum Capituli, cum Episcopo absolvisse : secus ac anteactis temporibus gestum comprobatur. Quod cum Episcopus suo id egisse iure protestaretur, ipsi Ordinario, pro viribus restiterunt, quin ulla facta fuerit quaestio de affigendis edictis et de oblationibus apud Capitulum deponendis. Quare patronus putat, proposito dubio reponendum esse, nihil esse, innovandum.

DEFENSIO ORDINARII. Advocatus contendit soli Episcopo competere ius nominandi et eligendi Procuratores pro administratione bonorum Ecclesiae Collegiatae, quia uti docet Barbosa in suo tractatu *de officio et potestate Episcopi;* pertinet ad iurisdictionem Ordinariam Episcopi *primo* subiectas habere omnes et singulas personas suae Dioecesis cuiuscumque sint gradus et qualitatis. . . . *secundo* omnes Ecclesias et parochias, monasteria et hospitalia sub sua potestate, ac regimine habere, nisi aliud ex privilegio exemptionis contingat cap. *Regenda 10. Tertio,* res et bona ecclesiastica ac beneficia, et iura omnia Ecclesiarum, quod quaedam sub suo regimine continere cap. *Nullus omnino 16, q. 7. . . . decimo sexto,* res ecclesiasticas dispensare, ac moderari, sive earum omnium curam, et providentiam habere « de iis quae curae et off. Ep. demand. compendium, n. 45, 46, 47, 60 ».

Atqui pergit Orator ecclesia Birchircarae nullimode est exempta a iurisdictione Episcopali ; non est profecto Abbatia aut Ecclesia, aut Collegiata Nullius. Nulla nimirum viget Summi Pontificis Constitutio, quae eximat Ecclesiam, et Canonicos Birchircarae a iurisdictione Episcopi. Quare ait, frustra adversarios confugere ad Constitutionem Urbani VIII. Nam haec numquam fuit executioni mandata.

Si vero exemptionem, argumentatur Patronus, Summus

Pontifex non reapse concessit, nec eamdem Ordinarii loci concedere poterant; nam Episcopi iuxta communem doctorum sententiam, nec renunciare possunt proprio iuri, nec possunt concedere exemptionem absque Summi Pontificis auctoritate; prouti probat Barbosa « Exemptionem, ait, pleno iure Ecclesiarum a potestate Episcoporum concedi non posse Religiosis ab Episcopis et Praelatis inferioribus, sed solum a Romano Pontifice; quia inquiunt non posse Episcopos totam suam iurisdictionem in aliquam Ecclesiam, et visitationem ac reliqua omnia pastoralia iura ab se abdicare ex cap. *Cum Venerabilis, de censibus, de off. et potest. Ep. part. 3, alleg. 89, num. 3 ».*

Et revera pergit Orator, nulla extat exemptio. Etenim, Constitutio Urbaniana numquam executioni demandata fuit ab Inquisitore, cui fuerat commissa pro executione; exinde contestata lite ab ipso Inquisitore, Capitulo Cathedrali et magno Magistro milevitani Ordinis coram supremo tribunali Rotae, haec decrevit non esse locum executioni Constitutionis Urbanianae quoad exemptionem ab episcopali iurisdictione.

Deinde patronus provocat ad consuetudinem et observantiam nunquam interruptam in eadem Ecclesia Birchircarae, nemine contradicente. Porro observantia optima dicitur interpres legis fundationis ex Lotterio, *De re benef. lib. 2, quaest. 11, n. 125.* Card. De Luca *De iurepat, disc. 60, n. 9,* et maiorem omnium auctoritatem sibi vindicat, si, ut in casu sit ipsi fundationi proxima et coaeva, ex Pitonio *Discept, eccl. disc. 159, n. 44, § Habemus.* Etenim notum est, consuetudinem habere vim legis ; ideoque rite servandam ius utrumque inclamat.

His positis, quod observantia et consuetudo viguerit et vigeat, Orator observat hoc constare ex documentis, quibus liquet, et fit manifestum Episcopos semper exercuisse ius nominandi et eligendi procuratores pro administratione bonorum ad Ecclesiam collegiatam spectantium, non solum in decursu visitationis pastoralis, sed etiam extra ipsam visitationem, quia semper administratores seu procuratores ele-

gerunt pro bonis ven. Lampadum, altarium, sodalitatum in collegiata Ecclesia erectarum, quin unquam Capitulum sese opposuerit.

Ad argumentum magis urgendum Patronus profert notulam electionum peractarum ab Episcopis pro tempore pro administratione bonorum dependentium a dicta collegiata usque ad annum 1889 in qua legitur « attenta renunciatione R. D. Can. Ignatii Micaleff ab officio procuratoris sodalitatis SS. Sacramenti, erectae in parochiali Eccl. et collegiata Birchircara, archiepiscopus Episcopus deputavit Ioannem Farrugia actuarium magnae Curiae etc. ».

Dein affert alterum documentum ex actis visitationis anni 1646, quo probatur Capitulum habere ius eligendi procuratores pro administratione bonorum mensae capitularis cum dependentia tamen ab Episcopo pro tempore.

Deinde Orator ex ipsa confessione adversariorum opinatur suam intentionem firmare. Nam archipresbyter et Canonici collegiatae Birchircarae supplices dederunt preces Vicario Capitulari Melevitano, ut in revisione computuum, quos exhibent procuratores lampadum, altarium et sodalitatum, in Eccl. collegiata erectarum ad evitandas expensas, adhibeantur deputati et archipresbyter. Et Ordinarius tunc temporis rescripsit, fiat, prout petitur ad nostrum beneplacitum.

Quod procuratores Eccl. collegiatae, semper dependerint a moderatore dioecesis Melevitanae, probare intendit Advocatus ex aliis supplicibus libellis recentis aetatis. Iamvero Praepositus parochus Birchircarae anno 1843 supplices dat preces antistiti Milevitano ut dignaretur facultatem concedere, donaria vendendi, ad effectum pretium erogandi in acquisitionem peristromatum *(tappezzerie).* Quae preces iteratas pluries fuere atque exhibita fuit notula donariorum a viro perito quare Episcopus rescripsit *fiat iuxta relata.*

Si vero, ait Orator, per absurdam hypothesim enunciatae collegiatae concederetur nominatio et electio procuratorum, actum esset de bonis ad Ecclesiam spectantibus in Milevitana dioecesi.

Demum patronus ad alteram secundi dubii descendens quaestionem, autumat Episcopo tantum competere ius mandandi, ut alligantur edicta ad ineundos contractus emphyteuticos ; siquidem sicuti iuxta dictamina iuris communis competit soli Episcopo ius nominandi et eligendi procuratores bonorum Ecclesiae, etiam vigore- observantiae et consuetudinis vigentis ; ita soli Episcopo competit ius mandandi, ut edicta alligantur pro concessionibus emphyteuticis.

Iuxta Oratorem, eadem est quoque observantia, et consuetudo , quia ex notula concessionum, emphyteuticarum, patet Ecclesiam Collegiatam concessisse in emphyteusim, clausuram, ceu aiunt, ministerio Curiae episcopalis, quae processum explevit pro receptione oblationum, quae executioni mandavit rescripta ss. Congregationum, praevia edictorum affixione, quin Capitulum Collegiatae verbum diceret. Idem dicit de fundis ad pia legata et fundationes spectantibus, qui vulgo *lampade, altari,* etc. appellantur; adeo ut post relationem ipsius Eccl. Curiae S. Congr. Episcoporum et Regularium veniam concesserit per rescriptum pro executione commissum Ordinario Milevitano, sicuti semper pro Ecclesia cathedrali, aliisque Collegiatis locisque piis observatum fuit.

Ceterum, ait, has quaestiones inter sese esse ita connexas, ut secunda pendeat a prima. Admissa iurisdictione Episcopi super dicta Ecclesia collegiata, profecto apertissime consequitur in concessionibus emphyteuticis, Procuratores omnino pendere ab auctoritate Ordinarii, ad quem spectat ius ordinandi edictorum affixionem.

Quocirca concludit Orator advertens, nullam sibi Capitulum vindicare posse ab Ordinario exemptionem, quia Urbani VIII Bulla executioni demandata non fuit; Bened. XIV vero Constitutio ; *In supremo Apostolatus,* hanc concedere non intendebat et si quid privilegii quoad gubernium Ecclesiae oeconomicum impertire voluit, hoc fuit contraria consuetudine cassatum.

Quibus praenotatis, proposita fuerunt diluenda

## Dubia

I. *An ius eligendi et nominandi procuratores, pro administratione bonorum Ecclesiae Collegiatae, competat Capitulo eiusdem ecclesiae, prout in casu.*

Et quatenus *Affirmative ;*

IL *An eisdem procuratoribus competat ius affigendi edicta ad ineundos contractus emphyteuticos, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 27 Aprilis 1895, censuit respondere: *Ad* I. *ex deductis affirmative; ad* II. *negative.*

## BRUNEN.

CIRCA IUS ET MODUM PRAESENTANDI CANONICOS HONORARIOS

*Die 27 Aprilis 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Ecclesia Nicolsburgensis S. Venceslao dicata in dioecesi Brunensi ad dignitatem Collegiatae insignis a Gregorio XV an. 1622 evecta fuit, instante Card. Francisco, principe a Dietrichstein, Olomucensi Episcopo, qui in illa Praepositum et quatuor Canonicos institutos, praeter alios Ecclesiae ministros, ex integro do ta vit, ea tamen addita lege, ut ius patronatus dictae Ecclesiae cum potestate nominandi et loci Ordinario praesentandi Praepositum et quatuor Canonicos, ipsi et ipsius utriusque sexus heredibus et successoribus Dominis et Principibus a Dietrichstein in Nicolsburg perpetuo servaretur.

An. 1760 Ioannes Cechotti, Capituli Praepositus,quintum canonicatum fundavit ; et non multo post Carolus, princeps a Dietrichstein, proventibus auctis, unum ex quinque canonicatibus ad dignitatem Decanatus evehendum curavit, quod factum est Bulla Clementis XIV, qui insuper Canonicos omnes existentes eorumque successores privilegio mozzetae, violacei coloris, perpetuo decoravit.

Anno 1794 Imperator Franciscus II, rogante Carolo Ioanne, principe a Dietrichstein et consentiente Ioanne, Brunensi Episcopo Canonicis Nicolsburgensibus, duobus honorariis minime exceptis, ius insignium quorumdam attribuit, concedens singulis Canonicis eorumque successoribus, ut in perpetuum in vitta de collo pendente numisma gestare possent, quod ad instar crucis efformatum, imaginem S. Venceslai ex una parte refert et ex alia stemma Dietrichsteinianum cum inscriptione « Verbo et exemplo ». Quae insignia sumptibus principis comparata et tamquam perpetuum peculium Capitulo relicta, Ioannes Episcopus Canonicis solemniter tradidit.

De Canonicis honorariis huiusce Capituli, neque in praefata Bulla Gregorii XV, neque in litteris fundationis Cardin. Francisci, neque in primaevis vel posterioribus Capituli statutis ulla mentio reperitur. Prima eorum vestigia a. 1780 apparent, quo Archiepiscopus Olomucensis Capitulum certius reddit, se ex voto Caroli principis de Dietrichstein, duos ab eo praesentatos honorarios canonicos admisisse, eisdem diplomate nominationis expedito, qui proinde omnibus capituli privilegiis fruerentur.

Anno 1785 Ioannes, princeps patronus iam asserit patri suo Carolo eiusque successoribus ab Archiepiscopo Olomucensi ius duos nominandi Canonicos honorarios concessum fuisse ; unde Episcopus Brunensis, ad vacantem canonicatum praesentatum acceptavit, ipsique diploma nominationis de more concessit. Alii autem aliis temporibus, eadem semper ratione servata, a principibus praesentati ab Episcopis confirmati fuerunt, usquedum Venceslaus, Brunensis Episcopus principi patrono se optare significavit, ne deinceps plusquam quatuor Canonicos honorarios nominaret, qui numerus usque adhuc servatus est, adhibita semper, in nominatione peragenda, hac forma, ut quoad personam promovendi non loci id est Brunen. Episcopum, sed solummodo promovendi Ordinarium consulerent.

Haec autem exponit Episcopus Brunensis. « Dum autem

ad recentissima usque tempora a loci Ordinario saltem confirmationes petierunt, quam dein sequebatur per Capituli Praepositum numismatis illius supra descripti traditio, anno vertente (1894), Alexandrina principissa a Reusdorff-Dietrichstein nominationem canonici honorarii a se peractam nonnisi curiae meae significari iussit, imo et numisma illud quod quamvis caesareae originis sit, insignis tamen ecclesiastica distinctio Canonicorum Nicolsburgensium habetur, a Capitulo sub praetextu quodam sibi procuravit et ipsa neonominato canonico honorario tradidit, qui re inexpectata consternatus illud et acceptavit, quin sive nominans, sive nominatus nominationis acceptationem petierit. Quapropter ego adhuc neque principissae rescribendum duxi, neque nominationem ita peractam ullo modo agnoscendam. Quae quum omnia ita sint, nolo quidem ius illud nominandi Canonicos honorarios penes Collegiatam Nicolsburgensem, quorum numerus quatuor non excedat, quomodocumque a principibus de Dietrichstein acquisitum sit, ob tot iam annorum exercitium impugnare, hoc autem ex ipsis Sanctitatis Vestrae Uteris nuper datis quoad Canonicos honorarios, mihi postulatum videtur :

1. ne in posterum nominationes, saepe iam dictae, inconsulto fieri liceat Episcopo, in cuius dioecesi Collegiata sita est; necnon

2. ut nominans abstineat ab omni actu, qui praepositis tantum ecclesiasticis competit; et tandem

3. ut sive nominans sive nominatus teneatur nominationis acceptationem petere a loci Ordinario ».

## Disceptatio Synoptica

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Quamvis Episcopus in dubitationem adducere nolit, legitimum ex parte patroni ius praesentandi canonicos honorarios, tamen omnino sub silentio praetereunda non videtur quaestio ; an aliquo nempe legitimo titulo patronus, in casu, canonicos honorarios nominandi sibi vindicet ius. — Eo magis haec inquisitio videtur

necessaria, quia patronissa in suis allegationibus sibi praecipue arroget huiusmodi facultatem ex ipso titulo iuris patronatus. Atqui haec illatio plane aliena est a quacumque iuris regula, nam *ex reg. 28 Iuris in 6: « Quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* ». Iamvero iuris patronatus privilegium derogat Ordinarii Collatoris facultati, iure communi innixae, libere conferendi beneficia; quocirca patroni privilegium praesentandi clericum ad beneficium, quippe iuris communis restrictivum est arctae interpretationis, adeo ut a iure nominandi titulares ad nominationem honorarorium gradus minime fieri possit; prouti infertur ex decreto Concil. Trid. — *Sess. 25, cap. 9 De ref.*

Neque centenariam praescriptionem utiliter invocari posse videtur, nam quando praescribenti ius commune resistit non sufficit praescriptio centenaria, sed requiritur immemorialis uti aperte praecipit Bonif. VIII *in celebri cap. 1 De praescript. in 6* edicens : « Nam licet ei qui rem praescribit Ecclesiasticam si sibi non est *contrarium ius commune* vel contra eum praesumptio non habeatur sufficiat bona fides; uti tamen est ei ius commune contrarium vel habetur praesumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat praescribendi; nisi tanti temporis allegetur praescriptio, cuius contrarii memoria non existat « nimirum, nisi adsit praescriptio *immemorialis,* prouti passim Canonistae in hunc effectum praescriptioni centenariae immemorialem opponunt. Ita Trident. Concil, ob resistentiam iuris communis, *in cit. loco,* decernit non posse praescriptione acquiri ius patronatus nisi, « ex multiplicatis praesentationibus, per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat ».

Proinde frustra sermo haberetur de modo *exercitii* huius iuris, cum videatur ipsum ius nullimode concedi posse.

Sed ex alia parte adhaerendum videtur Episcopi sententiae, qui satius putat in quaestionem non adducere ius praesentandi etiam Canonicos honorarios, relicta patrono iuris

pacifica possessione. Re quidem vera Bonifacii VIII allata praescriptio est peremptoria pro casu, quo nullus adsit titulus, sed in themate praescribenti suffragatur titulus coloratus, seu concessio patrono facta ab Archiepiscopo Olomucensi nominandi Canonicos honorarios. Utique probabiliter id concedere non erat in Archiepiscopi facultate, nisi ponatur, ex Papae benigna concessione, hoc illi integrum fuisse, sed in hoc reperiri potest tituli defectus a praescriptione sanandus, quippe quae non *verum,* sed *coloratimi* titulum exposcit. Ita cum communi Reiffenstuel *in Tit. Be praescriptione.*

Sed ipso iure admisso, de eius legitimo exercitio cavendum est. Et reapse Episcopus praecipue conquestus « de modo quo ius hac ultima vice exercuit » patronus; petit « ne in posterum nominationes saepe dictae, inconsulto fieri liceat Episcopo, in cuius Dioecesi Ecclesia collegiata sita est ». Quod iure meritoque petere Episcopum, nemo inficias ibit; quum patrono ius sit clericum praesentandi, sed tituli institutio collativa Episcopo competat iuris necessitate, etsi titulus tantum ad honorem conferatur. Patrono enim ius praesentandi ita competit « ut si clericum idoneum praesentet, Episcopus vel alius ad quem institutio spectat, eum admittere et in beneficio instituere teneatur. Communis ac certa, *arg. c. Nobis et toto Titulo De iuspatronatus -etc.* » ita Reiffenstuel *Tit. De Iure patronatus n. 66.* — Item evincitur ex *Tit. De institutionibus — Lib. III* Decret. Greg. XI. Praeterea cum agatur de Ecclesia collegiata requiritur etiam Capituli consensus uti decernunt Litterae sub forma Brevis, a. 1894 diei 29 Ianuarii, sub § 1 (1) « Episcopus seu Ordinarius, Ecclesiasticum quempiam virum alienae Dioeceseos Canonicum ad honorem nominatur us, *praeter Capituli siti consensum,* Ordinarii, cui nominandus subiicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur ». Exinde exauditur etiam Episcopi votum, ut « sive

(1) Habes eiusmodi litteras Vol. XXVI, 449.

nominans, sive nominatus teneatur nominationis acceptationem petere a loci Ordinario ».

Demum expostulat Episcopus « ut nominans abstineat ab omni actu, qui praepositis tantum Ecclesiasticis competit» alludens ad insignium traditionem, quam suo arbitratu facere ausa est patronissa; non obstante decessorum patronorum contraria consuetudine. Iamvero Episcopi intentionem iuri communi esse conformem arguitur ex Titulo — *De institutionibus* — ubi, distincta institutione tituli coilativa, ab institutione quam *realem* vocant seu *investit ur am, instaurationem,* unanimi sententia docent, huiusmodi institutionem non patrono competere, sed ex iure decretalium Archidiacono, *cap. — Ad haec — De off. Archid.* — vel Decano seu Praeposito quoad canonicos in capitulum cooptandos, *arg. cap. 7 — De concess. I^raeb.* — Hodie Archidiaconi cum evanuerit antiqua potestas, institutio realis Episcopo solet reservari. At patronis minime competit, nisi ex privilegio Papae acquisierint, aut legitime praescripserint. Unde conformis erat iuri communi mos, quem ita narrat Episcopus ». Dum autem ad recentissima usque tempora (patroni) a loci Ordinario, saltem confirmationem petierunt, quam dein sequebatur per Capituli Praepositum numismatis... traditio etc.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 27 Aprilis 1895 censuit respondere: *Affirmative, iuxta petitionem Episcopi.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Nominationes, etiam Canonici titularis, fieri non posse inconsulto Ordinario loci, quo reperitur Cathedralis aut collegiata Ecclesia.

II. Patronis solam competere nominationem ad beneficium, minime vero institutionem in eodem aut insignium traditionem ; cum id Episcopo competat.

III. Ab eodem Ordinario loci petendam esse acceptationem nominationis, sive a nominando sive a nominato.

# PARISIEN.

## DISPENSATIONIS MATRIMONII

*Die 27 Aprilis 1895.*

**Sess. 24, cap. 6 De ref. matr.**

COMPENDIUM FACTI. Lutetiae Parisiorum in Ecclesia vulgo « Notre Dame de Lorette » die 21 Aprilis 1890 legitimum contraxerunt matrimonium Robertus 28 annos natus et Camilla annorum undeviginti. At huiusmodi coniugium, quod fausto omine videbatur celebratum, non felicem habuit exitum. Etenim, nuptiali peregrinatione perdurante, coniuges maritale opus sunt aggressi, sed frustra, ut ipsi affirmant, quia mulier afficiebatur morbo vulgo *vaginismo,* ita ut ex viri contactu vaginae os magno cum dolore contraheretur, et violenta insuper nervorum contractio omnia eius membra pervaderet. Consuluerunt plures medicos, at remedia salutaris artis nihil profuisse testantur sponsi, nec unquam interea maritalem perficere copulam potuisse. Tunc Camilla operationi chirurgicae mense Iunii anni 1891 se subiecit, sed frustra videtur, si coniugibus fides adhibenda sit iurantibus posthac pluries copulam pertentasse, sed incassum-.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI. Viri patronus suam defensionem a vaginismi descriptione incipit: « Le vaginisme, (inquiunt scriptores) n'est à proprement parler qu'un symptôme. Sous cette dénomination on comprend une excitabilité morbide (morbosa) du vagin, se traduisant par l'hyperesthesie de la vulve et du vagin, et par des contractions spasmodiques du constricteur de la vulve et parfois aussi des muscules du petit bassin et de l'organisme »•. Ita *Sims, Carolus Schroeder, Siaipson, Debout, Michon, Charrier, Marion, Scantoni, Courtg, Hildebrandt, Stafeicit, Brescky, Budius,* aliique quamplurimi. Iure vaginismus appellatur « ut symptôme » ; nam plus quam morbus, est morbi manifestatio, est enim effectus qui causas aliquas praesupponit. Harum causarum,

ut scriptores tradunt, aliae locales sunt, veluti « Tétroitesse de l'entrée du vagin, la dureté de l'hymen, certains particularités dans la situation des organes génitaux externes etc. etc. » aliae autem generales, quae nempe cum physicis mulieris conditionibus connectuntur. Phaenomena vero, quae ex vaginismo progigni solent, causarum naturam sequuntur, maiorem scilicet vel minorem explicationem recipiunt, prout vaginismus ex causis generalibus vel localibus profluit. Si enim vaginismus ex causis localibus procedit, tunc phaenomena, uti plurimum, muliebria non excedunt. Si autem e morbosa nervorum conditione, idest e causis hystericis oritur, tunc, praeter partium violentam coarctationem et restrictionem « hyperesthesie et contraction spasmodique du vagin » phaenomena generalia habentur, quae nimirum morbi originem praeseferunt, veluti membrorum tremores et confractiones, vomitionum conatus, deliquia etc. etc. Vaginismus, ait Orator, difficultatem vel impossibilitatem penetrationis secumfert. « Cet état spasmodique, (inquit Carolus Schroeder in suo Tract. *Maladies des organes de la femme,* traduit par E. Lauwers, pag. 530 et seq.) entraine la gène ou l'impossibilité des rapprochements sexuelles, et de l'exploration digitale ». Attamen si ex causis localibus procedit, quandoque remedia utiliter adhiberi solent. Sed si causis generalibus iungitur, tunc impossibilis propemodum curatio fit. Agitur enim non de partium, sed de totius corporis vitio, de indole, de natura mulieris, quam corrigere herculeus labor est). « D'autres fois, inquit idem Schroeder *loc. cit.*, les cramps musculaires sont tellement intenses que l'introduction du doigt est absolument impossible. Ces cas sont plutôt de nature psychique, et ils n'ont rien a voir avec les irritations traumatiques de l'entrée du vagin. Il suffit alors de la simple approche du doigt pour produire le spasme de groups musculaires. Lorsque une semblable personne vient à se marier tout rapprochement peut être impossible ».

Vaginismus, quo Camilla afficiebatur, prosequitur orator,

huiusmodi indolis erat, connectebatur scilicet cum morbosa nervorum conditione, ac proinde maritales actus impossibiles reddere debebat ; ceu autumant Medici exploratores.

Hisce praemissis, orator inconsummationis disputationem aggreditur, quam manifestissimam esse autumat, quia in casu, praeter iuratam coniugum fidem, septimae manus testimonio confirmatam, praeter innumera argumenta adminicularía a circumstantiis temporis, loci, personarum collecta, quae *ex cap. laud. 5, lib. IV, tit. 14 de frig. et male f.,* ex Doctorum doctrina, ex S. C. C. consuetudine sufficerent, ut tuta conscientia in iudiciis super dispensatione sententia perferri possit, occurrit mulieris morbus, cuius natura et gravitas, invincibile pro dispensatione argumentum constituit.

Profecto Robertus sub iurisiurandi fide affirmat matrimonium non fuisse consummatum. Viri confessioni, iuxta Oratorem, consonat mulieris iurata fides.

Quanti autem in casu coniugum fides sit facienda, ex actis satis superque constare; adnotat patronus. Agitur enim de sponsis mentiri nesciis, de quorum sinceritate deponunt testes, pariter mentiri nescii. « Robertus, inquit Curia Parisiensis, nobis optime est notus, fideliterque officia christianae religionis, in qua fuit accuratissime educatus, adimplet ». Et alibi : Mei autem muneris esse duxi quam optimam de ipsius religione et veracitate attestationem proferre, sane semper fuit et est catholicae religioni addictissimus. In minori Seminario Parisiensi litteris, in catholica Universitate iuri civili operam dedit, honestissimam et religione plenam vitam semper duxit, et in hac causa maxima sinceritatis argumenta praebuit.

Item ceteri omnes testes deponunt, quorum attestationes, ne orationis ambitum praetergrediatur, non refert. De horum vero testium pietate et sinceritate amplissima edidisse testimonia, notat orator, parochum de Cabanaux, Episcopum Engolismensem, sodalium dominicanorum provincialem, et Curiam parisiensem scripsisse : « Libenter officiali nostro

asseri timur affirmari ti, testes in hac causa adductos omnino fide dignos esse et nominatim testamur D. dynastam de Mackao deputatum in coetu legislativo gallico, et D. Jamet professorem in instituto nostro catholico Parisiensi, Nobis apprime notos, viros esse, de quorum integritate nec levis suspicio moveri potest ».

Neque iuramentum credulitatis testes dumtaxat perhibent, urget advocatus, sed sub iurisiurandi sanctitate de matrimonii non consummatione se moralem habere certitudinem asserunt. Iamvero qui non videt quanti ista solemnis affirmatio momenti sit, quippe quae ex testibus profluit, qui circumstantiis interfuerunt, qui rerum vices propriis oculis inspexerunt, qui, tempore non suspecto, confessiones coniugum exceperunt, qui connubii difficultates perpendere potuerunt? Compertum exploratumque in iure est, coniugum confessiones, tempore non suspecto habitas, plurimum ad demonstrationem inconsummationis conferre. Iamvero in casu harum confessionum non interrupta series habetur, cui vim adhibent adiuncta loci, temporis, personarum. Et revera, nuptiali adhuc peregrinatione perdurante, Camilla ad avunculum litteras mittit, in quibus abnormes connubii conditiones describit.

Post aliquot, a nuptiis initis dies, coniuges adire medicos coguntur. Mense Augusti, eiusdem anni, Camilla rusticatum pergit apud coniuges de Rousiers, ibique hospites ab ea matrimonii inconsummationem discunt.

Remedia a medicis adhibita in irritum cadunt, mulieris valetudo ingravescit ; consilio medici Petit, operatio chirurgica Parisiis peragitur, Camilla intacta reperitur. Ab operatione usque ad separationem duo anni labuntur. Sed per id etiam temporis, inquit patronus, non semel, sed pluries matrimonii inconsummati a coniugibus confirmatur. Idem apprehenditur, tum ex coniugum de Rousiers, tum ex matris et fratris Roberti, tum ex Camillae sororis, depositionibus. Denique easdem confessiones, tempore non suspecto, accepisse a coniugibus testantur Domina Dardaillon,

Dominus Guillot, Dominus Jamet, Revñdus Dom. parochus Chainiat.

Sed potissimum adminiculare argumentum ex morbo Camillae, et testimoniis medicorum sive extraiudicialium, sive iudicialium erui censet orator. Et revera morbum matrimonii consummationi offecisse in primo matrimonii momento, idest usque ad operationem chirurgicam, ex medicorum testimoniis, qui eam peregerunt luculentissime patet.

In secundo vero momento, idest ab operatione chirurgica usque ad separationem, probatio non minus plena est, iuxta patronum. Et revera, hic ratiocinatur, ut aliquod dubium super non consummatione haberi posset, demonstrari ex adverso deberet, post operationem chirurgicam physicas mulieris conditiones, ex quibus impossibilitas matrimonii consummandi progignebatur, mutatas quoquo modo fuisse. Iisdem enim causis positis, iidem sequuntur effectus. Sed haec mutatio, praeterquamquod a iurata et non iurata coniugum fide, praeterquamquod a testium consonis depositionibus, argumentisque innumeris, quae totum cohabitationis spatium complectuntur, et ex quibus luculentissime patet matrimonium in secundo momento, non secus ac in primo, inconsummatum permansisse, excluditur: 1. a natura morbi, qui cum physicas mulieris conditiones-afficeret, remediis localibus amoveri nequibat ; 2. excluditur ab impossibilitate praescripta a medicis operatoribus remedia adhibendi; quomodo enim Camilla in vigilia « speculo » uti potuisset, si sopore artificiis inducto, muliebrium contactus, membrorum confractiones excitabat ? 3. excluditur a dubiis ipsorum medicorum super operationis effectibus « la dilatation et le traitement indiqué après l'opération étaient le seul moyen, qui put guérir Mme. Camille et encore l'efficacité était elle incertaine, c'est le seul moyen de guérir le vaginisme et encore n'est il pas infallible » ; 4. excluditur postremo a testimoniis medicorum sive iudicialium, sive extraiudicialium, et a quibus satis superque liquet morbosum mulieris statum, post operationem chirurgicam eumdem permansisse, eoque

posito, impossibilem prorsus matrimonii inconsummationem fuisse.

Immo, arguit Orator, in secundo momento difficultates matrimonii consummandi auxerunt ; hoc confitetur Camilla et autumant medici.

Nec minori evidentia, subdit advocatus, deponunt medici iudiciales, qui de mandato Curiae parisiensis, mulierem inspexerunt.

Post haec patronus causas dispensationis enumerat, et primam in insuperabili coniugum aversione consistere ait. *Corrad. in praxi disp. 46, 8, cap. 3, n. 33.* Camilla virum fastidii, odit : « Ma nièce a fini pour prendre son mari en aversion ». Robertus intimo repugnantiae sensu contra mulierem fertur. Ambo autem coniuges cum septima manu propinquorum fatentur impossibilem reconciliationem esse, immo detrimentosam.

Altera causa in pertinacia morbi habetur. Prudentia vetat quominus coniuges vitam simul degant. Tertiam reponit in iudicio separationis apud laicum tribunal a muliere inchoato, quodque iam publice innotuit.

Postremo demum in spirituali utilitate petentis dispensationem, quae plurimi habetur a Perez *De matrim, in disput. 20, sect. 7, num. 11 ;* a Sacra Rota *in decis. 86, sect. 7 post sec und. vol. Farinae,* et a pluribus relatis resolut. Sac. Congregationis Concilii.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. EX altera autem parte sacri vinculi defensor, ad valorem matrimonii contra actorem tuendum, exoritur ab examine medentium testimoniorum et in primis refert attestationes peritorum, Francisci Hallopéan, Rodulphi Labusquière et Alphonsi Pechin, qui Camillae curationem adhibuerunt. Ex hoc examine infert non plene evinci' incommodum de quo agitur.

Quae hucusque de asserta inconsummatione ex ore medicorum audivimus, observat matrimonii vindex, respiciunt solummodo quatuordecim primos menses coniugalis cohabitationis. Igitur considerandum etiam est, an coniuges coi-

verint a mense iunio 1891 ad mensem augustum 1893, seu postquam Camillae cunnus a medicis Labusquière et Pechin medicali operatione dilatatus est. Parisienses inquisitionis moderatores hac de re percontati sunt tres praefatos medicos, a Camilla ad curationem adhibitos, atque insuper duobus aliis peritis medicis explorationem corporis mulieris speciali concinnata instructione commiserunt.

Sed medentium responsiones, prosequitur defensor, non eae sunt, quae ad rem desiderantur, quia haesitatione comitantur.

Magis magisque haesitabundos sese exhibent, prosequitur defensor, medici Bucquoy et Ferrand a iudice exhibiti.

Neque coniugum confessio, ait vinculi tutor, etsi septima manus illos omni fide dignos renuntiet, difficultate caret. Nam coniuges concordes quidem inter se sunt, dum affirmant matrimonium inconsummatum mansisse : et hoc mirum non est, quia matrimonium dissolvi uterque exoptat. At unius coniugis confessio cum confessione alterius pugnat in iis, in quibus utilitas unius, alterius coniugis secumfert incommodum : quod profecto haud contingeret, si coniugibus esset veritatis amor, si septima manus, quae proclamat coniuges mentiri nescios, a studio partium immunis foret.

Et ideo si vera, ait defensor, enarrat Camilla, decantatus vaginismus fabulis accensendus est: Robertus in Camillam saeviebat more brutorum; hasce ob saevitias dissociati sunt coniuges Robertus et Camilla : quae fuerit Roberti cum Camilla conversatio, non ex Roberto, neque ex adductis testibus deprehendere licet, sed manet alta mente repostum : et Robertus vera tum refert, cum affirmat: « Ce que fut ma vie pendant neuf mois, Dieu seul le sait ».

Neque causa est cur Camillam potius quam Robertum a veritate deflectere ipse existimet. Testes enim omnes eodem modo veridicitatem sponsorum proclamant.

Observat tandem matrimonii vindex, fidem adhibendam non esse coniugibus in iis, quae unanimi consensu fatentur in proprium commodum, uti merito Sánchez vult; « Con-

fessio ea, cum sit in confitentium favorem nihil probat ». Septimae autem manus iuramentum necessarium quidem matrimonialibus in causis semper fuit. At nemo facile credet, confessionem coniugum septimae manus iuramento firmatam sufficere. Profecto neque in parvis quaestionibus iudex confidere solet in confessionibus et iuramentis interesse habentium, etsi agmina testium inducant, qui ipsos omnimoda fide dignos proclament.

Quibus hinc inde relatis, sequens dirimendum fuit propositum

## Dubium

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. C. re discussa sub die 27 Aprilis 1895, censuit respondere : *Affirmative, vetito mulieri transitu ad alias nuptias, inconsulta S, Congregatione.*

## CREMONEN.

### IURIUM PAROCHIALIUM

*Die 27 Aprilis 1895.*

**Conc. Trid. c. 11 De ref.**

COMPENDIUM FACTI. Hortatu Patris Timothei de Maffei piissimi viri, sub anno 1450, civitatis Cremonensis Senatus deliberavit, saeva in ea provincia grassante peste, magnum Hospitale instituere et aedificare sub invocatione Beatae Mariae V. de Pietate. Quod ut perficeretur, opportunum visum est a Summo Pontifice Nicolao V veniam impetrare uniendi novo Hospitali bona parvorum Hospitalium in civitate et in Dioecesi disseminatorum f itemque efflagitare ut Pontifex dignaretur honestare novum Hospitale privilegio exemptionis ab Ordinarii iurisdictione prouti ab Urbano VI concessum fuerat Hospitalibus Florentiae et Senae erectis, tunc temporis celeberrimis.

Pontifex Nicolaus V benigne annuit per Bullam « *Inter universa* » anni 1451 decernens quatenus « in aliquo eiusdem civitatis loco congruo, et honesto unum Hospitale cum Oratorio, sive cappella, domibus, cimiterio, aliisque necessariis officinis sub vocabulo Beatae Mariae Virginis de Pietate ad instar, et similitudinem Floren, et Senen. Hospitalium praedictorum, seu alias prout magis eidem Communitati, et Civibus placuerit, de bonis propriis fundandi, et construendis seu fundari, et construi faciendi, Dioecesani loci, et cuiuslibet alterius desuper licentia nullatenus requisita, plenam, et liberam licentiam pariter, et facultatem elargiri ...... Quodque Communitas, et Cives praedicti in electione deputandorum ipsique deputandi, in eiusdem fundandi Hospitalis, illiusque bonorum, ac pauperum Regimine, et Gubernatione, privilegiis, statutis, et consuetudinibus alterius ex Floren, et Senen. Hospitalibus praefatis, seu cuiuslibet ipsorum uti, et gaudere, nec non quaecumque incerta, et male oblata, ac pauperibus Christi, et ad pias causas, legatariis, seu locis non expressis, legata, quae in civitate, et dioecesi praedictis infra tempus a iure statutum debite executioni hactenus demandata non fuerunt, petere, exigere, recipere ac in constructionem, et fabricam huiusmodi convertere libere, et licite possint, et valeant concedere, *et* indulgere auctoritate nostra ».

Hac fruens institutione Hospitale magis in dies augescebat, donec ob nimis auctum infirmorum numerum sub anno 1750, quia Coemeterium et Oratorium intra Hospitalis septa constructa, non amplius novis necessitatibus sufficiebant, alia Ecclesia *sub titulo S. Facii* et appositum coemeterium in quodam fundo Pii Loci extructa fuerunt e fronte veteris aedificii, sed ab eodem per interiectam publicam viam, vulgo *dei F oppone* seiuncta. Haec nova Ecclesia iam saecularium discordiarum fuit seminarium, prouti modo praesentis quaestionis est obiectum.

Nam in primis parochus s. Prosperi et s. Sepulchri, in cuius territorio s. Facii Ecclesia fuerat fundata, coepit sibi in eamdem ecclesiam vindicare parochialem iurisdi-

ctionem, quare ad sedandam discordiam *anno 1777* Rectores Hospitalis, Episcopus et parochus quamdam inierunt concordiam qua recognitum fuit, *ecclesiam s. Facii immediate subiectam esse Episcopi iurisdictioni.*

Verum initio huius saeculi ob decreta Napoleonis I paroecia s. Sepulchri suppressa, ecclesia unita fuit paroeciae s. Abundii, cuius parochus iterum contendit ad sibi arrogandam iurisdictionem in ecclesiam s. Facii, innixus praecipue rationi decretorum Iosephi II et Napoleonis I Imperatorum, qui paroeciarum fines et iura omnino immutaverant et determinaverant. — Re quidem vera Curia episcopalis et Moderator Hospitalis anno 1831 quamdam conventionem concinnarunt, cuius fundamentale principium erat recognoscere ob decreta Iosephi II 1789 et Napoleonis I 1806 Hospitale amisisse *omne ius parochialitatis,* deinde submissum fuisse parocho s. Abundii.

Haec conventio, uti patet, parocho s. Abundii cessit non modo ecclesiam s. Facii quasi ecclesiam subsidiariam, sed in ipsum Hospitale eiusdem parochi extendit iurisdictionem seu in infirmos ibi degentes, et in cappellanos.

Verum postea, prono alveo, alia fluxit quaestio a parocho s. Abundii agitata et ad trutinam revocata, consentiente Curia, a delegato provinciali Imperialis Gubernii; nempe an omnes infirmi et personae Hospitali inservientes, an nonnulli tantum stabile inibi foventes domicilium parocho sancti Abundii essent subiecti.

Quaestioni responsum fuit: ad parochum pro tempore s. Abundii pertinere iurisdictionem paroecialem super personis et familiis iugiter morantes in Nosocomio et annexis locis piis: assistentiam infirmorum ad tempus ibi exceptorum, pertinere ad spirituales assistentes Hospitalis.

Anno 1854 per decretum Antonii Novasconi Episcopi cremonensis Cappellanis presbyteris saecularibus suffecti fuerunt RR. PP. Camilliani, infirmis ministrantes, consentiente Parocho s. Abundii, qui suorum iurium plenam recognitionem a Patribus obtinuit.

At parvo post tempore cum PP. Camilliani Hospitalis servitium dereliquerint, iterum saecularibus presbyteris in cappellanos adhibitis, etiam veteres controversiae denuo excitatae sunt Cappellanos inter et Parochum s. Abundii.

Ad has finiendas s. Abundii Parochus institit apud Episcopum petens ut sententia iudiciali recognosceret ius Parochi s. Abundii in Hospitale ad perpetuum silentium Cappellanis imponendum.

Episcopus ad examen revocatis instrumentis, quibus Moderatores Hospitalis fassi erant et ratum habuerant, sancti Abundii paroeciam frui iure parochialitatis in Ecclesiam s. Facii, uti subsidiariam et in ipsum Hospitale eiusque Cappellanos *die 1 Augusti 1884* sententiam protulit omnino favorabilem Parochi intentioni.

Nihilo secius postea supersedere debuit huius sententiae executioni, obiicientibus Cappellanis, tabulas fundationis Hospitalis pessumdatas fuisse, obiectio magni ponderis visa est eidem ordinario , adeo ut pene mentem suam mutaverit quam rogatus fuit de voto a S. C. C. apud quam Moderatores Hospitalis recursum habuerant.

Exinde S. C. C. *die 9 Iunii 1892* ita respondendum censuit : « *Nihil esse innovandum : Cappellani perseverent in curae animarum exercitio, independenter a Parocho, prout hucusque gestum est; et imponendum partibus silentium* ».

Sed nec huic responso partes acquieverunt, inter se acriter contendentes, quasnam functiones Parocho s. Abundii in Ecclesia s. Facii peragere fas esset.

Contentiones dirimere arbitratus est Episcopus per suum decretum die 26 Septembris 1893, distinguens *taxative functiones* a Cappellanis et a Parocho s. Abundii respective in Ecclesia s. Facii praestandas.

Nihilominus cum exoptatus animorum consensus, inter Cappellanos et Parochum obtineri non potuerit, iterum apud S. C. C. partes institerunt ut, *servato iuris ordine,* quaestio definitive absolveretur.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CAPPELLANORUM. Pii Loci Cappellani, per constitutum advocatum, haec praecipue proferunt. Patronus, examinata- Nicolai V. Bulla, exemptionem ab Ordinarii iurisdictione concedente, narrat quod aedificata Ecclesia s. Facii et adnexo Coemeterio Pii Loci, Rectores supplici porrecto S. C. Rituum libello, exposuerunt quod, cum praefatum Hospitale immediate subiectum fuisset s. .Sedi, propterea facultatem exposcebant, quatenus benedictionem dicti novi Coemeterii et Oratorii Rmo Ordinario committere dignaretur. Quae facultas impertita fuit die 12 Septembris 1761.

Hinc, concludit: 1.° Quod quum dictum Coemeterium, Oratoriumque, constituta fuerint aere proprio, ac in utilitatem commodumque dumtaxat Hospitalis, nec non in suo territorio, ideo sunt iuris ac proprietatis exclusive eiusdem. Unde non sine gravi iustitiae laesione, potest quis contra ista inconcussa iura aliquid moliri. — 2.° Quod cum facultas delegandi Episcopo benedictionem Coemeterii expetita fuit a s. Sede, dum ex iure communi huiusmodi benedictiones competunt Ordinariis, luculentissime idcirco evincitur, Hospitale, eiusque Coemeterium cum Oratorio, etiam anno 1761 ab omni auctoritate Episcopi exempta fuisse. Quod a fortiori profecto dicendum est, relate ad iurisdictionem Parochi loci.

Ex eo quod ecclesia s. Facii non est intra septa hospitalis (bene vero intra muros coemeterii), et in fronte hanc inscriptionem habet: « Oratorio pubblico del Civico Ospedale maggiore », Parochus s. Abundii sustinere contendit, plenam iurisdictionem in eadem sibi competere. Sed, orator advertit quod hospitale est omnino privilegiatum atque exemptum; quod dicta Ecclesia s. Facii cum coemeterio sunt de iurepatronatus et proprietate eiusdem hospitalis, atque in bonum et commodum infirmorum; et cum ius parochialitatis inhaereat eidem hospitali, ecclesia s. Facii revera non est, nisi subsidiaria nosocomii, vel potius sedes in qua fun-

ctiones peraguntur. Praeterea, inquit, etiam iure communi nullam competere iurisdictionem parocho s. Abundii.

Quippe neminem latere ait, fundatione, constructione et dotatione iuspatronatus acquiri, itemque reale nominari si fundo adhaereat; Gagliardi *de iure patr. c. 3, § 11.* — Item certum in iure esse, ecclesiam parochialem nulla iurisdictione pollere super aliis ecclesiis intra paroeciae fines extantibus, et oratorium de iure patronatus laicorum, a parocho non pendere circa functiones, quae parochiales non sint, nisi parochus speciali iure vel privilegio gaudeat; *Cap. ult. de offic, archid, cap. Dilectus de Capel. Monac.* — Id etiam evincit ex decreto urbis et orbis diei 10 Decem. 1703 S. C. Rituum; ad cuius decreti formam saepe saepius S. C. C. similes quaestiones resolvit, praesertim in *Reatina SS. Functionum 13 Ianuarii 1854.*

Item in altera *Marsorum SS. Functionum 26 Iunii 1858,* in qua ad dubium: « An liceat patronis Vetoli celebrare Missas solemnes aliasque sacras functiones non parochiales, in eorum — pubblico Oratorio — per capellanum aliosque presbyteros, independenter a parocho » ; responsum fuit: « Affirmative ad formam decreti urbis et orbis S. C. Rituum diei Decembris 1703 ».

Accedens patronus ad examen sententiae ab Ordinario pronunciatae anno 1884 ait, aperte nullius esse valoris quippe innixa documentis aeque nullius ponderis, prouti argumentantur ipsi moderatores hospitalis.

Animadvertit orator, Hospitalis administratores nunquam permisisse, neque permittere ut iura pii loci laederentur. Hac de causa S. C. O. sub *die 9 Iulii 1892,* circa huiusmodi controversiam, rescripsit : « nihil esse innovandum ; capellani perseverent in curae animarum exercitio independenter a parocho, prout hucusque gestum est et imponendum partibus silentium ; idque Episcopo notificetur ».

Parochus vero, prosequitur patronus, non modo non conticuit, neque acquievit dictae decisioni; sed potius minatus est capellanos poena incurrendi in censuras Bullae *Aposto-*

*licae Sedisj* nisi decretis Episcopi parerent, prout in eius libello S. O. C. misso sub die 3 Decembris 1893.

Quo libello innuit, usum Ecclesiae s. Facii esse apud Cappellanos quoad functiones sacras quae respiciunt personas morantes in Hospitali eodem; pro aliis vero functionibus usum Ecclesiae pertinere ad Parochum s. Abundii.

Sed hic quaerit orator : quomodo vel quo iure ea omnia peracta sunt, cum hospitale gaudeat immunitate, et ecclesia s. Facii sit de iurepatronatus et proprietate eiusdem ?

Quomodo potest eadem res et in eodem tempore *exclusive ac unice* inservire vel esse duorum pro usibus contrariis ?

Dein patronus memoratis assiduis contentionibus quibus inter se dimicant capellani hospitalis et s. Abundii parochus, ob mixtum servitium ecclesiae s. Facii, narrat ab antiquo adesse in ecclesia s. Facii aliquod Sodalitium erectum, « Pia Unione » nuncupatum, quod a rectoribus Hospitalis semper moderatum fuit. Quum vero plurimis abhinc annis, rector tunc temporis nimis gravatum a spiritualis regimine infirmorum se sentiret, permisit parocho s. Abundii sibi assumere directionem eiusdem Piae Unionis. Ex occasione autem huiusmodi Sodalitii modernus parochus, non modo regimen ipsius Pii Operis sibi exclusive competere praetendit; sed etiam in eadem ecclesia quotiescumque ei libuerit accedere praesumit. Quapropter regentes hospitalis rectori, seu capellano maiori praeceperunt, ut dictum sodalitium, de consensu superioris ecclesiastici, transferretur in aliam ecclesiam.

Verum patronus, ut funditus s. Abundii parochi intentionem avertat, contendit ius parochialitatis apud ipsum Hospitale residere quod exercetur in ecclesia s. Facii, ad hoc ab ipso Pio Loco erecta. In propositum suum ita argumentati orator. Quod ius parochialitatis olim extiterit penes Hospitale de quo agimus, non ambigitur neque ulla est quaestio ; cum etiam ab ipso parocho adversario libenter admittatur. Superest itaque, inquirere, utrum revera parochialitas ablata fuerit Hospitali, progressu temporis, an potius posthac

perseveravit. Parochus asserit cessasse ius parochialitatis usque ab anno 1788 per decretum imperiale Iosephi II, quo praecipiebatur, ut paroeciae meliori ordine distribuerentur.

Item anno 1805, die vero 13 Novembris, alia paroeciarum distributio facta fuit ab Episcopo Homobono Ofiredi, qui ad octo tantum parochias in civitate Oremonen. reduxit. — Sive autem in primo elencho paroeciarum partitionis, sive in secundo, ne verbum quidem expressum fuit circa praetensam paroeciae hospitalis suppressionem ; sed nec de unione eiusdem paroeciae Hospitalis et ecclesiae s. Facii alteri paroeciae.

Igitur in decretis atque elenchis novarum paroeciarum distributionum, paroecia Hospitalis expressa non fuit, neque tamquam suppressa, nec tamquam unita alteri paroeciae. Quapropter asseveratio parochi, quod parochia hospitalis suppressa fuit sub annis 1788 et 1805 omni caret fundamento, iuxta Oratorem.

Sed, ex elencho paroeciarum anni 1788 evidentissime evincitur quod ecclesia s. Abundii non erat paroecia, sed subsidiaria tantum paroeciae s. Nazarii. Idcirco, paroecia Hospitalis subiici non poterat ecclesiae s. Abundii, cum nondum esset parochia, argumentatio patronus.

Quod e contra parochialitas penes Hospitale, post dicta decreta, reapse perseveravit, orator deducit ex libro matrimoniorum], in ipso Hospitale, iure proprio celebratorum.

Quandoquidem, urget patronus, tralatiti um est in iure quod, ut suppressio paroeciae valide fiat, requiritur iusta et necessaria causa, ac solemnitas ; Rota in *Cracovien. Canonicatus 15 Ianuarii 1725. § Ex quibus coram Card. Calcagnino.* In *Camerinen. Parochialis 11 Septembris 1777 § Addunt.* — Alias enim suppressio facta, absque solemnitate, et nulla intercedente causa necessitatis et utilitatis ecclesiae, a qua abhorrent ss. Canones, subsistere non potest, *Cap. Maioribus 8, Cap. Veniente 26 de praebendis,* Reiffenst. *lib. 3 Decret, tit. 12,% 2, n. 34,* in *Forolivien. Reintegrationis Paroeciae 18 Maii 1817 § E contra.* Unde

causa suppressionis formiter probari debet : fides quippe adhibenda non est Episcopo supprimenti quoad suppressionis causam, nisi sit eadem concludentissime probata. Corrad. in praxi Benef. *lib. 2, cap. 8, n. 33 et 34.* — Rota *coram Cavalerio* in *decis. 439, n. 6,* in *Camerinen. Parochialis 13 Septembris 1777 § Utramque.*

DEFENSIO PAROCHI S. ABUNDII. EX alia parte s. Abundii parochus enixe instat ad sibi vindicandam iurisdictionem in ecclesiam s. Facii. Iam sub *die 21 Aprilis 1892* ad S. C. C. recurrit petens ut dignaretur decretum Ordinarii confirmare *diei 1 Augusti 1884.* Hodie etiam in suis allegationibus proferendis revocat rationes, quibus tunc ipse innitebatur, quaeque omnes reducuntur ad ea documenta quae ab initio huius saeculi, usque ad Episcopi invocatam sententiam prolata sunt, adiudicantia parocho s. Abundii iurisdictionem parochialem in ecclesiam s. Facii. Vim et originem vero horum documentorum iam significavi in factorum enarratione.

Hisce fretus parochus, miratur quod Capellani non acquiescentes voluerint provocare decretum S. C. C. anni 1892 iam relatum, quodque in suam partem interpretatur.

Advertit enim rescriptum loqui de iurisdictione Cappellanorum independenti, sed solummodo « *sopra i soli infermi nell'ospedale* » quam iurisdictionem observat exerceri non posse nisi in oratoriis, intra Hospitalis septa conclusis, non in ecclesia s. Facii, quamvis haec subsit iuripatronatus Hospitalis.

Deinde enarrans contentiones enatas inter ipsum et cappellanos ait, derivatas esse a perversa rescripti interpretatione, qua cappellani opinantur ipsis adiudicatam fuisse parochialem iurisdictionem in ecclesiam s. Facii ; a quo propterea omnino excludere nituntur parochum s. Abundii.

Hic praesertim post rescriptum S. C. C. profitetur nonnullas functiones in ecclesia s. Facii Cappellanis Pii Loci competere; quapropter recedens ab intentione erfiagitandi confirmationem sententiae Ordinarii anni 1884, nunc solum-

modo postulat, ut confirmetur Episcopi decretum *diei 26 Septembris 1892* quo *taxative* distinguuntur functiones parocho et cappellanis respective attributae.

Demum s. Abundii parochus suis allegationibus, coronidis gratia, adiecit responsiones potioribus difficultatibus a cappellanis obiectas.

Quibus in utramque partem adductis, proposita fuerunt diluenda

## Dubia

I. *An constet de iurisdictione parochi s. Abundii in Ecclesia s. Facii, vel potius ipsa Ecclesia gaudeat privilegio exemptionis ad instar dicti Hospitalis in casu.*

II. *An ius parochialitatis perseveret penes ipsum Hospitale in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii sub die 27 Aprilis 1895 re discussa censuit rrspondere:

Ad I. *Negative ad I Partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Provisum in primo* (1).

## MEDIOLANEN.

### PONTIFICALIUM

*Die 27 Aprilis Í895.*

**Trid. Conc. Sess. 6 cap. 5 De ref.**

COMPENDIUM FACTI. In civitate Mediolanensi Ecclesia Collegiata S. Mariae Scalensis, vulgo *della Scala,* fuit fundata atque congrue dotata, sub anno 1383, a Regina ex Scaligeris uxore Bernabovis Vicecomitis, Mediolani Ducis, qui, uxore e vivis erepta, operam ab hac incoeptam perfecit. Quapropter Mediolani Ducibus huius Ecclesiae patronis habitis, Franciscus Sforza in Ducatu successor, auctis Ecclesiae Collegiatae bonis, a Summo Pontifice Clemente VII

(1) Recole Vol. XXIV, 613 et Vol. XXVII, **559.**

pro eadem privilegium obtinuit exemptionis ab Archiepiscopi iurisdictione, nec non usum Pontificalium pro dictae Ecclesiae Praeposito. Quod privilegium, huius controversiae obiectum, ita continetur in Bulla concessionis, *In supremae,* Clementis VII, amplissimis clausulis derogatoriis munitum : en verba : « perpetuo statuimus et ordinamus, quod modernus et pro tempore existens Praepositus dictae Ecclesiae, pallium album, seu rochetum, ad instar Episcoporum deferre, nec non in ipsa Ecclesia, et extra eam, in processionibus et aliis actibus publicis, mitra et annulo, pastorali baculo, chirothecis, dalmatica et omnibus aliis pontificalibus insigniis uti etc. »

Quum rerum summa in Mediolanensi provincia ad Carolum V, Hispaniarum regem et Mediolani Ducem, pertransierit , hic Ecclesiam S. Mariae ad dignitatem *Cappellae Aulicae* evexit.

Maria Teresia, Austriae Imperatrix, titulum Cappellae Aulicae dictae Ecclesiae confirmavit, Praepositum, Cappellanum maiorem renuntiavit et, ab antiqua sede> Collegiatam transtulit ad venustiorem Ecclesiam S. Fidelis, antiquo originis nomine conservato, quare adhuc haec retinetur vulgo appellatio, *di S. Maria della Scala in S. Fedele.*

Haec omnia rata habuit Clemens XIV in Bulla, *Altitudine Divinae Bonitatis,* addens haec privilegia futuris temporibus Praepositum videlicet ultra usum pontificalium, quo iuxta praesentem statum gaudet in dicta Collegiata Ecclesia in Cappellani Regiam per nos, ut praedictum, declaratam, et cappellae aulicae functionibus ecclesiasticis atque in privatis processionibus mantellectam et vestem talarem violacei coloris.... gestare, deferre concedimus ».

Verum, ob rerum publicarum eversionem, anno 1805 Respublica Cisalpina, bonis Ecclesiae publico fisco addictis, Collegiatam suppressit, incolumem relinquens tantum Praepositi praebendam ob curam animarum, eidem iamdiu attributam.

Inter tot publici principatus vicissitudines, an Ecclesia S. Fidelis titulum *Cappellae Aulicae* conservaverit, non carere controversia.

Hoc in probatis habetur, nempe constituto Regno Italiae sub imperio Napoleonis I, quamdam Ecclesiam S. Gottardo dicatam, et Regali Palatio continentem, in *Cappellani Aulicam* addictam fuisse. Nihilo secius Ecclesiam S. Fidelis eumdem titulum retinuisse, contendit hodiernus Ecclesiae Praepositus. Cuius argumenta., etsi invicte non probarent suam intentionem, saltem plane evincunt, etiam nunc Italiae Regem frui iure patronatus in dictam Ecclesiam, praesentato, vacante praebenda Praepositi, sacerdotem in eadem ab Ordinario instituendum.

Postquam S. Mariae Scalensis Collegiata fuit suppressa et Praepositus, non amplius collegio canonicorum circumdatus, sacras functiones peragere coepit cum insignibus Pontificalibus, quasi hoc esset a iure alienum, videtur non parum displicuisse et Capitulo Ecclesiae Cathedralis et Archiepiscopo. Re quidem vera Archiepiscopus Cardinalis Gaisruk, postquam per tolerantiam Praeposito *Visconti* permiserat usum Pontificalium, eumdem prohibuit successori Iulio Ratti, iuxta intentionem iam expresse manifestatam per litteras diei 7 Septembris 1831.

Praepositus ita Archiepiscopi voluntati obsecutus est, ut veluti continuo contra hanc praescriptionem protestaretur, partim usus caeremoniis Pontificalibus, partim nonnulla insignia Pontificalia praeferens in solemnioribus functionibus.

In plenam vero horum iurium vindicationem idem Praepositus anno 1851 a Curia archiepiscopali mediolanensi, suorum privilegiorum petiit recognitionem ; et demum anno 1893 hodiernus Ecclesiae Praepositus quaestionem promovit apud S. C. C. petens recognitionem et confirmationem huius privilegii, tantum utendi intra Ecclesiam, non extra, et statis diebus solemnioribus, iisdemque paucis.

## Disceptatio Synoptica

QUAE FAVENT PRAEPOSITO. Orator, memoratis Clementis VII et Clementis XIV amplissimis concessionibus, advertit, huiusmodi privilegia ab eo tantum abrogari posse qui

tulit, aut ab eius Successore : res enim per quas causas nascuntur, per easdem dissolvi debent. Quapropter iure constitutum est, non posse inferiorem legem superioris tollere vel revocare (Clem. *cap. Cum inferior de maior, et obed.* God. *I. formam, de off. praefert.).* Quare praecepto Emi Archiepiscopi Mediolanensis, anno 1831, Praeposito Iulio Ratti facto, in actu institutionis ad Praepositurale beneficium S. Mariae Scalensis, nempe pontificalium privilegium in posterum non utendi, nulla est vis tribuenda. Archiepiscopus enim legem Pontificiam attentans, terminos propriae iurisdictionis praetergressus est. Hoc ratio, leges, et doctrina concorditer proclamant atque decernunt. De iudice S. R. Rota ait, quod si decretum ultra iurisdictionem protulerit, executionem non meretur et impune sperni potest. (Civ. Cast. Nullitatis 27 Martii 1816 coram Serlupi).

Atqui, prosequitur Patronus, solus Romanus Pontifex potest concedere privilegium, ut quis, etsi non Episcopus, tamquam Episcopus se gerat. Solus Romanus Pontifex potest concedere privilegium beneficio vel dignitati, ut possidens illum vel illam, ea perficiat, quae ad superiorem ordinem Episcopalem pertinent. Et Praepositus Visconti pontificalia exercuit, ius suum desumendo a Pontificia constitutione, *In Supremae,* Clementis VII, quae privilegium pontificalium dignitati Praepositurali S. Mariae Scalensis tribuebat, quam ipse pro tempore possidebat.

Ex defectu igitur potestatis, praeceptum revocatorium ab Archiepiscopo mediolanensi, Praeposito Iulio Ratti positum, actu institutionis Praepositurralis beneficii, anno 1831, viribus caret. Eo vel maxime, quia privilegium, natura sua, irrevocabile erat in themate. Agitur de privilegio, quod accessorium est iuri patronatus tempore erectionis vel dotationis beneficii constitutum, concessum non mera gratia, sed ratione contractus, vel saltem ratione remunerationis, idcirco obligationem naturalem pariens.

Sane, pergit Orator, intuitu donationis bonorum temporalium optimi Principis, Pontifex Clemens VII concessionem

privilegii pontificalium Praeposituraе S. Mariae Scalensis fecit; ex prooemio Constitutionis, *In Supremae,* manifeste colligitur « Catholici Principes id exoptantes, et ad hoc opportuna auxilia exhibentes, speciales a nobis gratias et favores reportasse censeantur ».

Naturalem hanc obligationem, adnotat Orator, prae oculis intuentes Tridentini Patres proclamaverunt « legitima pa-, tronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est » *(Sess. 25 cap. IX).* Ad hoc patronus Franciscus Sfortia novam dotationem centum ducatorum annualium Praepositurali Beneficio S. Mariae Scalensis adiunxit, ut per auctoritatem Supremam Ecclesiasticam illud insigne declararetur. Ratione donationis petiit, ratione donationis obtinuit. Idcirco patronatus per hanc novam dotationem reconstitutus esse videtur, et favores occasione reconstitutionis, Pontificia auctoritate traditi, legem efformant, institutioni adiectam, quam ut proclamaba! Sacrosancta Trid. Synodus, violare vel tollere aequum non est.

Ratio vero, quam Archiepiscopus Mediolanensis, ab initio contradictionis, assignabat, videlicet Pontificem Clem. XIV per insignia voluisse condecorare Capellanum Principis ; sed officium hoc cessavit ex quo Imperator nominavit Capellanos Ordinarios pro tempore tum Mediolani, tum Venetiarum, iuxta patronum omni fundamento destituta est. Privilegium pontificalium haud repetitur ex concessione Clementis XIV, qui privilegium praeexistens confirmavit.

Dein Orator negat, quod reapse qualitas Cappellani aulici dempta sit Praeposito per assertam subsequutam nominationem Archiepiscopi mediolanensis et Patriarchae Venetiarum. Qualitas Cappellani aulici, ait, haud in casu competebat Praeposito ratione personalis officii; ratione Ecclesiae competebat, cuius erat caput et Rector. Ecclesia enim elevata fuit ad statum cappellae aulicae, et ob hanc elevationem, rector Ecclesiae qualitatem accepit duraturam, quousque Ecclesia in eodem statu permansisset. Demonstrare debuerat Emus Archiepiscopus, Ecclesiam S. Mariae Scalensis in S. Fidele statum

cappellae aulicae amisisse, ut logice concludere valuisset, Praepositum amisisse qualitatem cappellani aulici. Atqui hoc asseri non potest, cum praeter documenta, monumenta praesto sunt ad demonstrandum, statum vel qualitatem cappellae aulicae nunquam amisisse. Nimirum sepulcra nova extructa, cineres regalium continentia; expensae usque ad annum 1845 ab administratione imperiali vel regali pro functionibus sacris factae; anniversaria, quotannis solemni pompa, in perpetuum constituta, atque celebranda. Quod si, advertit idem patronus, Ecclesia S. Gottardi in cappellani aulicam destinata fuit, hoc non obstat; quia nominatio unius, necessitatem non includit revocationis alterius, nisi expresse per novam nominationem cautum sit. Nonne Princeps posset, si velit, plures cappellanos sibi constituere?

Neque validiori fundamento, ex sententia oratoris, innititur id, quod obiicitur circa cessationem privilegii pontificalium, ob destructionem Collegii Canonicorum. Sane, doctrina est ab omnibus recepta, non ideo quia actu cessavit aliquod collegium, illico ut omnino extinctum habendum esse, « sed si contingat collegium deficere ob mortem canonicorum, vel aliam consimilem causam, ex qua. « . desinat esse collegiata actu, remanet tamen adhuc talis habitu ». Barbosa *lib. 2 Iur. Eccl. univ. cap. 6, num. 9.* « Numerus autem trium Canonicorum congruus est ad Collegiatam constituendam... qui si recesserint, vel saltem de praesenti non existat Collegiata, adhuc tamen sufficit illam habitu esse ad hoc, ut censeri debeat Collegiata » Felin, in *cap. accedentes. Innoc,* in *Cap. postulasti,* cum aliis, quos refert Rota et sequitur in Cremensi 20 Feb. 1622 coram Rambaldo.

Insuper, pergit Orator, instar regulae, semper retentum est in iurisprudentia canonica, civilem suppressionem nihil aliud revera esse quam spoliationem, nec posse ullo modo considerari tamquam collegiatae extinctionem. Satis sit adducere Pitonium, qui in *Discep. Eccl. lib. 1, discep. 8,* examinans an collegialitas amitti possit per non usum, duos casus distinguit, scilicet « vel collegialitas defuit in

Ecclesia et extincta remansit auctoritate superioris, causa cognita, et tunc ait, amplius non durat; quia sicut collegium erectum fuit auctoritate superioris, ita et eadem auctoritate potest extingui et removeri, aut vero defuit et cessavit per aliquem casum accidentalem , veluti morte canonicorum vel oppressione hostium et similibus, et tali casu collegialitas semper durare censetur in habitu, etiamsi in actu vel usu per quodcumque longissimum temporis spatium, ut distinguit post Glos, in *cap. statutum de Elect. in VI.* Barbosa *De off. et pot. Parochi par. 1, cap. 2> n. 2 ».*

Ita quoque Baldi in *Mar g. ad Innoc,* verbo *Civitas,* ubi haec disserit « Civitas, collegia, ecclesia, omnia ista possunt destrui auctoritate superioris, causa cognita, et tunc perdunt omnia privilegia civitatis et collegii, si autem de facto opprimatur a praedonibus, latronibus vel tyrannis capiatur et destruatur, Monasterium, Ecclesia, vel Civitas, tamen sine ullo corpore materiali vivit quodam intellectu, et exstat anima, ut ita dicam, sine corpore, et retinet omnia privilegia... Et est ratio differentiae, quia quando de iure destruitur, titulus cassatur, sed facti calamitas titulum non aufert nec nomen ».

His omnibus, prosequitur patronus, saecularis, diuturna, non interrupta accedit observantia. Ad praesens Praepositurale beneficium post praesentationem patroni confertur, prout exordio fundationis sequentibusque succedentibus temporibus conferebatur tamquam caput Capituli. Quod importat, nullam mutationem status obvenisse circa consistentiam beneficii.

Praesens Praepositus post regiam praesentationem anni 1870 ad Praepositurale beneficium institutus fuit. At exercitium iuris patronatus, si beneficium non extitisset, non posset intelligi. Quo necessario consequitur, non amisisse privilegium pontificalium, tamquam legem actu erectionis vel dotationis adiectam perpetuo duraturam, verbis Constitutionis, *In Supremae,* Clementis VII, scilicet « perpetuo statuimus et ordinamus quod modernus et pro tempore existens Praepositus pallium album et rochetum ad instar Episcoporum deferre, nec non etc. ».

Neque obstat, opinatur Orator, non usum privilegii, ab anno 1831 ad praesens, si quis praescriptionem obiicere voluisset, tacitam renuntiationem praetendendo. Privilegia enim affirmativa, quae in nullius gravamen cedunt, per merum non usum nunquam amittuntur. Et est communis DD. sententia (Engel *lib. 5. Decretal, tit. 22, n. 19.* Pirhing *lib. 5 Decretal, n. 176.* Reiffenstuel *lib. 5. Decretal, n. 787.* Basseus *verb. Privilegium.* Ratio autem est, quia merus non usus est actus liberae facultatis, qui non inducit praescriptionem seu renunciationem. In facultati vis enim non datur praescriptio.

Etsi autem daretur, nunquam tamen verificari potuit in themate, iuxta patronum. Praepositus Ratti eiusque successores plura retinuerunt, scilicet missam canere duobus ministrantibus pivialistis, pastoralem et mitram exponere ante altare solemnioribus functionibus, et alia similia, manifeste demonstrantia exercitio privilegii pontificalium ipsos nunquam animum renunciandi habuisse.

Accedit petitio Praepositi Ratti anni 1851 redintegrationem expostulantis, primum Archiepiscopo, postea SSmo porrecta, quae, etsi optatum effectum non habuerit, per se sufficiens tamen videtur ad praescriptionem interrumpendam.

QUAE FAVENT CURIAE ARCHIEPISCOPALI. EX alia parte Curiae mediolanensis Vicarius Capitularis exoptatae privilegiorum restitutioni et confirmationi non paucas obiicit difficultates. In primis negat, Ecclesiam S. Mariae Scalensis adhuc conservare *Cappellae Aulicae* titulum, prouti aperte fatentur ipsi Fabricae Ecclesiae administratores in supplici libello S. Pontifici oblato anno 1852.

Item Curia Mediolanensis in suo voto transmisso die 28 Martii 1894 plene approbat litteras Archiepiscopi mediolanensis, datas Card. Lambruschini anno 1852 quibus, ait, sese probare omnino agendi rationem sui antecessoris, qui anno 1831 conferens sacerdoti Iulio Gratti paroeciam S. Fidelis, regiipatronatus vetuit induere insignia pontificalia in sacris functionibus. Quum enim certior factus esset de ex-

unctione totius capituli ex morte cunctorum capitularium S. Mariae Scalae, declaravit insimul extinctam qualitatem Praepositi in Capite Capituli, et ideo extinctum privilegium insignium pontificalium, quod solummodo ob istam qualitatem indulserat Clemens VII. Proinde Curia mediolanensis haud declaravit extinctum privilegium insignium pontificalium ob Capituli suppressionem, actam ex auctoritate civili; sed ex morte cunctorum capitularium, quia amplius celebrari nequibant cum solemnitate functiones pontificales ex praescriptione Sacrorum Rituum *27* Septem. 1659.

Idem Vicarius capitularis narrat quod iam anno 1883, instante Praeposito apud S. C. Rituum pro suorum privilegiorum confirmatione, defunctus Archiepiscopus interrogatus *pro informatione et voto,* maluit responsioni supersedere, ut res oblivione deleretur, ratus privilegiorum restitutionem admodum inopportunam esse.

Exinde in iam citato voto suam exprimens mentem, adhaeret conceptui, in curia Mediolanensi inolito iam ab anno 1831. Notat praeterea ob Fabricae diminutos redditus Ecclesiam pene imparem evasisse ad suppetendas expensas usui Pontificalium necessarias, praecipue quia clericorum numerum augere deberet addicendorum servitio Ecclesiae.

Dein haec addit quod, ex causa regii patronatus, hisque in adiunctis politicis atque religiosis, fieri posset ut aditus aperiretur personis minus dignis. Quoad regii Patroni mentem adiectum fuit, negationem privilegii, nullius discriminis esse posse causam: nam Rex rogatus, ut instantiam plurimorum e paroecia S. Fidelis, petentium ab Apostolica Sede confirmationem eiusmodi privilegii, sua auctoritate foveret, supplici libello rescripsit : *nihil .obstare.*

Demum Vicarius Capitularis suum votum concludit amplissimis laudibus prosecutus hodiernum Praepositum quem insignibus Pontificalibus plane dignum praedicat, quippe in omnem partem de Ecclesia optime meritum, cui nullum sane refragaretur honorem, si de eius persona quaestio esset, non vero de dignitate Parochi Praepositi.

Etiam Emus Archiepiscopus Mediolanensis de suo voto siscitatus fuit, qui cum nuper Dioecesim esset ingressus, forsitan arbitratus de tam diuturna controversia se non sufficientem habere notitiam, potiusquam in unam vel in alteram partem proferre iudicium, rem libenter remisit definitivae S. C. O. sententiae. Re quidem vera in litteris diei 2 Ianuarii 1895 haec habet : « Ipsemet itaque parochus litteras mihi dedit quas Eminentiae Vestrae nunc trado, licet apertum sit, gravibus sane de causis praedictorum privilegiorum usum ademptum fuisse. Relinquitur igitur, uti omni qua decet sollicitudine, eam resolutionem et amplectar et exequar, quam ediderit ipsa Sacra Congregatio ».

Hisce expositis suppositum fuit dirimendum sequens

## Dubium

*An Parocho Praeposito S. Mariae Scalensis in S. Fideli, Mediolanensis civitatis, ius Pontificalium competat, in caste.*

RESOLUTIO Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 27 Aprilis 1895, censuit respondere : *Negative.*

## LUGDUNEN.

### DISPENSATIONIS MATRIMONII

*Die 27 Aprils 1895.*

**Sess. 24 cap. B de ref. matr.**

COMPENDIUM FACTI. Margarita Archidioecesis Lugdunensis in 25 aetatis anno constituta, die 24 Novembris 1892 legitimum matrimonium cum Georgio 32 annos nato, in parochiali Ecclesia contraxit.

Prima nuptiarum nocte copulam neoconiuges sunt experti, at vir, pluribus adhibitis conatibus, ut mulier testatur, matrimonium consummare non valuit. Tentamina ad opus coniugale perficiendum pluries per primos quatuor cohabitationis menses repetita fuerunt, sed uti videtur, ob viri

ad coeundum impotentiam, semper incassum. Quam miserrimam conditionem, narrat Margarita, nocumentum suae valetudini attulisse, quapropter ipsa mense Iunii 1893, maritali relicta habitatione, ad propriae matris domum se recepit, absolute recusans cum viro impotente vitam ducere maritalem.

Transactis aliquot mensibus a praedicta separatione, ad Sanctissimum confugit Margarita, enixe supplicans pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Patroni, quos sibi elegit actrix, in primis ad matrimonii huiusmodi inconsummationem adstruendam referunt Margaritae iuramentum. Ipsa siquidem magno animi candore in iudicio iuravit, matrimonium consummatum haud fuisse, et in tota sua depositione constantissime confirmavit, quod in libello ad S. Sedem exposuerat, nimirum quod nunquam effecta fuerit una caro cum viro suo.

Porro haec sola mulieris confessio, iuxta oratores, satis fere esset ad causae definitionem : non enim simplex et nuda est facti enunciatio, sed talibus vallata est circumstantiis, ut rationabile dubium de mendacio minime admitti possit. Sane quid sibi vult sollicita illa relatio tam cito, et in ipsa novitate, post primam nempe nuptiarum noctem matri peracta , de non secuta matrimonii consummatione ob impotentiam Georgii ad coeundum? Quid sibi volunt efiusae illae quaerelae cum aliis suis propinquis de eodem infortunio, tempore prorsus insuspecto, quando nempe Margarita de matrimonii dispensatione impetranda ne cogitaret quidem? Porro nonne haec omnia revelant supradictam Margaritae confessionem veram esse, et cuiusvis collusionis expertem ?

Praeterea huiusmodi confessionis veritas magis ac magis firmitatem ac vim accipit ex maxima coniugum consensione, mutuaque ipsorum benevolentia, qua matrimonium initum fuerat ; unde argumentantur patroni, non ad versio, non dissidium, multo minus florens mulieris aetas *24* annorum, ve-

nus ta forma, neque suaves et dulces eius mores impedimento esse potuerunt, ne vir cum uxore coiret ; sed tota huius eventus causa impotentiae viri est adscribenda.

Quin hic officiât, iuxta patronos, pertinacis illa viri contumacia, quia uti tacita confessio in iure habetur; ideoque ea omnia, quae ab uxore circa hoc punctum prolata fuerunt, veluti tacite, a viro confessa haberi debent, ceu S. Congregatio saepissime docuit; quandoquidem in similibus causis probata ab uxoribus non consummatione matrimonii, spreta contumacia viri, dispensationem concessit. Ita in *Ianuen, matrimonii 7 Septembris et 22 Iulii 1822;* in *Versalien. Dispensationis Matrimonii mense Iulio 1891 ;* in *Varsavien. Disp. Matrimonii 1 Septembris 1894,* etc.

Intrinsecis hisce veritatis characteribus extrinsecum addunt testimonium, a septima propinquorum manu petitum. Porro ne unus quidem ex istis reperitur qui aliquid dubii ingerat de singulari Margaritae probitate, et eius dictorum veritate, eique proinde omnis fides est habenda.

Ulterius, pergunt patroni, certius hoc factum non secutae consummationis evadit, si moralis certitudo addatur de viri impotentia ad coeundum. Iamvero haec praeprimis aperte scatet ex magna illa Georgii haesitatione in pervigilio solemnitatis matrimonii pandi ta, quando nimirum desponsatorum animi ad hilaritatem potius, et ad laetitiam excitantur. Confirmant ex facto uxoris, quae, ut superius relatum fuit, iurata in iudicio fassa fuit, Georgium insequenti nuptiarum nocte, ac deinceps copulam tentasse, et nihil egisse, imo licet per quatuor circiter mensium intervallum ipsa libenter marito succubuerit maritali copulae explendae, tamen eam perficere non valuisse ; et confirmant praeterea ex facto ipsius viri, qui certe non per iocum postero die a celebratis nuptiis, medicos adivit, instantibus socru et sponsa, eosque consuluit ad recuperandam viripotentiam pro habenda re uxoria.

Nec satis: evincunt etiam ex ipsius viri extraiudiciali confessione, nedum quoad inconsummationem sui matrimonii,

sed et quoad statum suae impotentiae eiusque characteres, quae haud leve pondus, et vim habet, cum nemo in sui damnum mendax esse putetur. Concinunt his omnibus nonnulli alii testes iurati ; proinde concludunt oratores, sponte veluti sua fluere mulieris claustrum virgineum, incorruptum permansisse, et Margaritam virginem impollutam a tot mariti amplexibus discessisse.

Verum id uti lux meridiana emicare contendunt patroni ex Margaritae corporis inspectione, quam iuxta Canones et Benedictinam Constitutionem, necnon S. C. Congregationis instructionem esse feliciter peractam commemorant.

Haec itaque de matrimonii inconsummatione : ad causas vero dispensationis oratores descendentes, has recensent : prima est dubia vel probabilis alterutrius coniugis impotentia, quae sola, et unica iugiter habita fuit, uti iustissima, gravissima et ad matrimonii dispensationem obtinendam satis superque sufficiens. Ad rem Sánchez *lib. 2, disp. 16, n. 6.* Cosci *lib. 1, cap. 16, n. 197, ac lib. 3, cap. 2, n. 386.* - Ibi - « quando impotentia adstruitur pro'motivo, et causa gratiosae dispensationis, non illam exigit certam et concludentem probationem, sed satis est, quod dicta impotentia sit adeo probabilis, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit, et ad gratiam moveri ».

Huic causae alteram non minoris gravitatis adiiciunt, scilicet incontinentiae periculum. Agitur enim in casu de muliere in aetate fiorenti 27 annorum constituta, de muliere vitae coniugalis cupida, cui si hoc remedio non subveniatur, procul dubio exposita maneret incontinentiae periculo, quod saepissime peccata, et scandala confo vere experientia docet. Hinc aeternae huic salutis discrimini occurrendum esse dispensationis indulto antequam scandala eveniant DD. unanimiter docent ac praesertim Cosci *lib. 3, cap. 2, num. 107;* - ibi - « Non est expectandum ut veniant scandala ad praestandum remedium ; sed cum praevidentur, sive timentur ad paternum Supremi Ecclesiae Moderatoris officium spectat, imminentibus malis opportune providere ».

Hisce tandem addunt adversionem animorum ex facto impotentiae Georgii provenientem. Ursaya *discept. 21, n. 60 et seq. tom. 3, par. 2, et discept. 7, n. 76, 77 tom.. 3, par. 1.*

Profecto omnes Margaritae parentes huiusmodi dispensationem necessariam esse unanimiter tenent, ac proclamant..

Tandem ipsa Margarita dispensationem vehementer exoptat ob viri sui impotentiam coeundi, eo quod ab ea sanari nequit, et quia est causa suae infirmitatis atque infelicitatis.

ANIMADVERSIONES SACRAMENTI ASSERTORIS. Sacramenti vindex e contra imprimis observat, quomodo, posita pacifica coniugum per complures menses cohabitatione, matrimonium violentissima iuris praesumptione consummatum censeatur : et de vinculi coniugalis relaxatione agere nefas est, nisi inconsummati matrimonii scateat certitudo, ceu constanter tradidit S. C C . ac praesertim in *Mediolanen,* seu *Valentina matrim, die 18 martii 1722:* « Quamvis dispensatio sit gratia, tamen non habet locum, nisi cum certitudo adest matrimonii tantum rati et non consummati ; adeo ut causa haec de dispensatione sit magis rigorosa uberioresque exigat probationes, quam illa de nullitate ».

Praesenti autem in causa, prosequitur defensor, neque asserta viri impotentia, neque mulieris integritas virginalis, neque inconsummatio matrimonii ad iuris amussim demonstratur. Ea quae sive ad unum sive ad alterum confirmandum in medium afferuntur argumenta nec ineluctabilia sunt, nec concludentia: imo complura quae ad veritatem dignoscendam necessaria omnino sunt atque a lege praescripta, pars adversa, cui probandi onus, ceu compertissimum est, incumbit, producere minime fuit sollicita, et iudex inquisitor atque sacramenti vindex taciti illa praetereunt. Ut hoc évinçât singulorum testium depositiones excutit vindex.

Insuper saepe dicti testes, notat matrimonii assertor, inducti ab actrice omnes sunt. Iam vero in quolibet iudicio depositiones testium ab actore inductorum haud in pretio habentur, nisi prius cribrentur per testes ex altera parte al-

latos. Hanc ob causam in cit. Instructione S. C. Congregationis diei 22 Augusti 1840 cavetur : « procedendum erit ad examen septimae manus, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ». Nec obiicias, ait ipse, id adscribendum esse culpae Georgii, qui ad iudicem rescribit sese nolle adesse iudicio super hanc rem. Etenim primo Georgius haud erat in iudicium vocandus, quasi ageretur solummodo de suis protuendis iuribus, sed praemonendus etiam erat, quod res est de sanctitate sacramenti in discrimen adducta; et proin ipsi praeprimis onus incumbebat facta, prouti iacent, denuntiandi ad iudicem et designandi testes ad quos factorum notitia pervenisset. Deinde si Georgius, hac non obstante monitione, contumax perstitisset, iudicis atque sacramenti vindici s erat testes de re instructos ex officio inducere. At nec unum, nec alterum praestitum est.

Praeterea, urget defensor, inspectio in mulieris corpore, expleta non est iis adhibitis cautelis, quae a lege praescriptae sunt, ut exploratores nec decipi, nec decipere queant. Monet enim Sánchez *De matrim, lib. 7, disput. 108. n. 8:* « Saepe oculi et manus (explorantium) falluntur : eo vel maxime quod feminae multis utantur fraudibus, quibus virgines appareant ». Et Zacchias *quaest, medie, legal, lib. 3, tit. 2* tradidit : « Quoniam interdum pro veritate medicus interrogatur, ut de integra, seu violata virginitate sententiam ferat, ne ex simulata per haec medicamenta decipiatur in iudicando, paucula haec quae sequuntur animadvertere debet. Et primo debet... non ea solum, quae ex muliebrium vasorum constitutione desumuntur perpendere, sed alia quoque, quae ex mammarum, pectoris, ventris, totiusque denique corporis statu elicere licet... » At praesenti in casu medici cognitores muliebria tantummodo considerarunt, praetermissa aliarum mulieris corporis partium investigatione. Ne medici cognitores, qui ceteras corporis partes, praeter muliebria, non considerant, decipiantur timendum est non solum ob memoratum fraudis periculum, sed etiam ob alias causas omnino naturales, quas recenset antedictus Zacchias *lib. 4,*

*tit. 2, q. 1* num. 28 et seqq.* « De integritate hymenis, etiam corrupta existente muliere, patet, per ea, quae alias de imperforatis dixi: nam potest virgo deflorari, imo etiam concipere absque eo quod hymen disrumpatur, ut concludunt nonnulli praedictorum auctorum ». Et hic orator fuso calamo refert cum citato Auctore diversos modos, quibus hoc evenire potest.

Insuper saepedicta Instructio die *22* Augusti 1840 disponit : « Iudex tres saltem obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico et altero chirurgo sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione... Peracta hinc recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis aut curruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis *ei* depositis ab obstetricibus » (1).

Nemo non videt discrimen immensum, prosequitur matrimonii vindex, quod inter recognitionem a S. C. C. memorata Instructione praescriptam et expletam a lugdunensibus peritis revisionem cedit. Dum enim tres saltem obstetrices et duo saltem periti ad difficillimum explendum negotium requiruntur, duo solummodo medici cognitores praesenti in causa rem confecerunt. Nec satis: tanta est inter unius alteriusque medici testimonium in periodis, in periodorum membris atque ipsis in verbis consonantia, ut ea prodigium sapiat, nisi unus testimonium alterius ob oculos habuerit quando illud exaravit. Quod sapientissime vetitum est in cit. Instructione S. C. C: « Ad corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit ». Videlicet alter (pe-

il) Instructio haec adest Vol, I, pag. 439.

ritus seu potius obstetrix) cubiculum, in quo manet exploranda mulier, non ingrediatur antequam alter, exploratione expleta, ex eodem cubiculo exierit. Etenim, si cognitores praedictum cubiculum insimul ingrediantur, insimul ibi commorentur et insimul exeant, coram muliere interesse habente, alter cum altero, ut experientia docet, de negotio disputant, de necessitate cogente iudicium suum manifestant sub humani- respectus influxu aliisque gravissimis incommodis: et subinde condictam edunt peractae explorationis relationem. Ad quae omnia vitanda cautum est ut quaelibet obstetrix seu peritus iudicium suum proferat et scriptam edat relationem, nedum absente et inscia explorata femina, verum etiam absentibus et insciis aliis cognitoribus, ita ut unusquisque iudicium et testimonium peractae explorationis emittat antequam sententiam aliorum cognoscat.

Quibus animadversis suppositum fuit enodandum

## Dubium

*An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO Sacra C. C. re disceptata sub die 27 Aprilis 1895, censuit respondere: *Affirmative.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

EP0RED1EN. Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Thaddaeo Machar episcopo Corcagiensi Beato nuncupato.

Ex nobilissima progenie medio circiter saeculo decimoquinto in Hibernia ortus est Thaddaeus Machar, qui puerilem ac provectiorem aetatem litterarum pietatisque studio excoluit, multasque ab invidis hominibus persecutiones forti animo tulit; donec ab Innocentio VIII, ad regimen et administrationem vacantium dioecesium invicem unitarum Corcagiensis et Glovensis anno millesimo quadrigentesimo nonagésimo evectus fuit.

Ab inimicis libertatis Ecclesiae, rapinam bonorum passus, prohibitus quoque fuit quominus ad suum gregem pervigil Pastor accederet. Quare Romam petiit, atque ad Pontificem Christi Vicarium, Petrique successorem, uti ad Supremum universi christiani gregis Custodem ac Vindicem, causam Ecclesiae suae detulit. Romanus Pontifex virum dignitate, doctrina ac virtute eximium, benignissime excepit, eique pro suo iure petenti Litteras dedit, quibus adversus iniquos bonorum possessores iniuriam repellerei et se suamque Ecclesiam vindicaret. Exulis ac peregrini forma assumpta, Christi pro nobis passi vestigia sequens, dum Roma profectus ad patriam remearet, Eporediae, quae olim Patritium Hibernorum Apostolum transeuntem viderat, constituit; ibique, ut pauper, humilis cunctisque ignotus, in publicum peregrinorum Hospitium receptus est. Verum longo itinere fessus gravique morbo correptus ante auroram diei 24 Octobris anno 1492 pientissime animam Deo reddidit atque extemplo, uti ferunt, mira lux lectum in quo eius exuviae iacebant circumfudit. Quare Episcopus Eporediensis Nicolaus Garigliatti, ad peregrinorum hospitium pergens Thaddaeum, vultu signis aliisque documentis in eius sarcinula repertis, statim recognovit. Insimul, coacto clero, sacras exuvias ea qua decebat veste ornatas solemni pompa ad Cathedralem Ecclesiam extulit, ibique, religioso funere rite absoluto, in ipsa urna quae sub altaris principis mensa extabat, quaeque S. Eusebii reliquias custodiebat, addito titulo inscripto : « *Beati Thaddaei Episcopi* » sacrum corpus condidit, universo populo Beatum ipsum acclamante. Hisce auspicatissimis publici et ecclesiastici cultus initiis mox accessit fama sanctitatis vitae, virtutum miraculorumque magis magisque in "dies clara, quae ab obitu Servi Dei ad haec usque tempora perdurans firmissimum robur ac incrementum eidem cultui addidit. Quum tamen hic cultus Servo Dei Thaddaeo Machar ab eius obitu indesinenter exhibitus, nondum ab Apostolica Sede recognitus atque approbatus fuisset, Revmus hodiernus Episcopus Eporediensis Processum hac de re instituit, ac favorabilem sententiam protulit. Quapropter Rmus D. Michael Antonini huius Causae Postulator, nomine etiam Rmorum Antistitum Eporediensis et Corcagiensis necnon Rmi Capituli ac Cleri utriusque dioeceseos, eiusdem sententiae confirmationem a Sancta Sede humillime expetivit. Hinc ab Emo et Rmo Dno Cardinali Vincentio Vannutelli, Causae Ponente, in Ordinariis

Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum propositum fuit, nimirum: « *An sententia praedicti Rmi Episcopi Eporediensis super casu excepto a Decretis fel. rec. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agitur?* » *Atque* Emi et Rmi Patres Sat iris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative,* seu *sententiam esse confirmandam.* Die 13 Augusti 1895.

Facta postmodum de iis per subscriptum S. Rituum Congregationis Secretarium SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit die 26 iisdem mense et anno.

LUCIDUS M.[a] CARD. PAROCCHI

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

# EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo universis Christifidelibus recitantibus ante vel post Communionem Rithmum Eucharisticum - *Adoro te etc.* - conceditur Indulgentia centum dierum.

BEATISSIMO PADRE

Il P. M. Fr. Tommaso Tinti, Priore del Ven. Convento di S. Maria Novella de'PP. Predicatori in Firenze, supplica la S.V. di estendere a tutti i Fedeli, che prima o dòpo la S. Comunione reciteranno *Y* infrascritto « Ritmo Eucaristico di S. Tommaso d'Aquino », la stessa Indulgenza concessa ai Sacerdoti, che la recitano prima o dopo la celebrazione della S. Messa, cioè l'Indulgenza di cento giorni. Che ecc.

## RITMO EUCARISTICO

IDI S. TOMMASO ID' J^G¿XTTJsTO

Adoro te devote latens Deilas,
Quae sub his figuris vere lati tas :
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Supplice ti adoro qui, ascoso Dio,
Sotto queste figure in Sacramento:
Tutto sommetto a te lo spirto mio,
E te nel contemplar, lutto m'anniento.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo luto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nihil hoc verbo veritatis verius.

In Cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas :
Ambo tamen credens atque confitens
Peto quod petivit Latro poenitens.

Plagas sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor ;
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus.vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Atque de te semper dulce sapere.

Pie Pelicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae.
Amen.

Qui il guardo inganna, il tatto ed il sapore,
Sol per l'udito è più sicura Fè.
Credo a'tuoi detti, o Verbo del Signore;
Nulla è più vero, eterno ver, di Te.

In Croce sol qual Dio ; qual uomo e Dio
Qui l'ascondesti; ond'uomo e Dio presente
Io li credo e confesso, e chiedo anch' io
Quel che ti chiese il Ladro penitente.

Come vide Tommaso, io no non vedo
Qui le tue piaghe; eppur, mio Salvatore,
Senza vederti in questo vel, ti credo :
Tu accresci in me, fede, speranza, amore.

Di Lui memorial, che per noi moria,
Vivo pan, che la vita ci alimenta,
Fa che viva di Te l'anima mia,
E sempre in sè la tua dolcezza senta.

Pietoso Pellican, Gesù Signore,
Col sangue tuo purifica me immondo;
Del tuo sangue una stilla ha tal valore,
Che può salvare da ogni colpa il mondo.

O Gesù qui nascosto, io cui m'affiso,
Prego, sazia l'ardente sete mia,
Sicché in vederti disvelato il viso,
Della tua gloria ognor beato io sia.
Amen.

*Die 10 Iunii 1895.*

Ex Audientia Sanctissimi.

SSmus D. N. Leo Papa XIII referente me infrascripto Secretario S. Indicis Congregationis, benigne annuit pro gratia in terminis concessionis pro Sacerdotibus.

L. ✠ S.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI
*Proc. Gen. Ord. Praed.*
*S. Indicis Congreg, a Secretis.*

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae: die 17 Iunii 1895.

L. ✠ S.

✝ ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

# APPENDIX IL

## EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. Concilii 5 Iulii 1629. — De versione Tridentini in alias linguas.

**Proposito articulo de ordine SSmi D. N. a Congregatione de Propaganda Fide remisso : « An translationes S. Conc. Tridentini in alias « linguas sint permissae, an potius comprehendantur in Constitutione « fel. rec. Pii IV prohibente illius interpretationes et glosssas » ; S. C. Cardinalium Concilii Trid. interpretum censuit translationem eiusdem S. C. Concilii Trid. de lingua latina in gallicam, vel alias linguas esse prohibitas, ideoque significandum S. Congregationi Indicis, ut omnino prohibeat translationes huiusmodi factas, quae absque speciali auctoritate huius S. Sedis Apostolicae impressae sint.**

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide 21 Maii 1856. — (ad Vic. Ap. Tunk. Centr.) Quoad pias meditationes lectas a puellis in Ecclesiis.

**Ex antiqua consuetudine Episcopus Tricomiensis (Vicarius Ap. decessor) retulit ortum, ut nunc quoque preces quotidianae alternatim a viris et mulieribus recitentur tam in ecclesia quam extra, et aliquibus abhinc annis morem invaluisse, ut dum sacerdos Missam celebrat, tres qualuorve puellae, iam nubiles, pias meditationes ad unamquamque Missae partem accommodatas alta voce recitent seu decantent. Hac praxi, aiebat Praesul, christiani valde adiuvantur ad continendas evagationes mentis, Missamque pie ac devote audiendam ; nihilominus a multis improbatur quasi contraria verbis Apostoli dicentis:** *mulieres in ecclesiis taceant,'* **quibus ipsa S. C inhaerens in instructionibus datis ad Vic. Ap. Sutchuen. 29 Aprilis 1784 et ad calcem Synodi Sutcbuensis impressis, prohibuit «ne in publico virorum conventu virgines vel verbum Dei praedicare, > vel docere, aut palam legendo vel singulariter praecinendo quodam- » modo annunciare praesumerent » quod anno 1844 confirmatum est. Hoc minime obstante, quaerebat Praesul, an S. Congregationis auctoritate abolendam penitus praxim hanc videretur, quod forte haud omnibus in aliis praecipue Missionibus expedire persuasum erat : vel potius to-**

**lerandam, aut permittendum, ut dictae piae meditationes a pueris decantentur seu a cathechista aliquo ad omnes praecavendas obloquutiones. Serio autem libratis omnibus quae a laudato Antistite adnotata fuere, Emi PP, rescribendum censuerunt: — Firma alterna recitatione vel cantu iuxta consuetudinem, servatis tamen decretis anni 1784 et 1844, curandum prudentiori modo quo poterit, ut id tantum a pueris vel ludimagistris fiat.**

Decr. S. C. de Prop. F. 20 Nov. 1838. — De transitu ab aliquo ritu ad alterum apud orientales.

**Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide recto Ecclesiae regimini in Orientis partibus valde profuturum cognoverit, et regula quaedam traderetur circa transitum ab aliquo ex ritibus orientalibus ad alterum : in generali Conventu habito die 10 Septembris anni 1838, referente Emo ac Rmo D. Iosepho S. R. E. Cardinali Mezzofante, quae sequuntur decernenda censuit. Ex orientalibus nonnulli, uti sunt armeni et maronitae, cum Ecclesia latina pro Eucharistia utuntur azymo ; alii vero fermentato, melchitae nimirum, chaldaei, syri, et cophti : nemo proinde a ritu in quo fit usus azymi transire valeat ad ritum in quo conficitur in fermentato, absque beneplacito Sedis Apostolicae; idemque erit servandum circa transitum ex ritu in quo adhibetur fermentatum ad ritum in quo praecipitur usus azymi. Cum autem inter duos ritus permutandos non adest praefata materiae in Eucharistia disparitas, sufficiat consensus duorum Episcoporum a quo, et ad quem fit transitus. Haec pro illis sunt constituta qui iamdiu catholicam fidem profiteantur ; quod vero ad haereticos et schismaticus pertinet, qui ad Ecclesiae sinum redeunt, permittendum censuit S. C. ut orientalem ritum qui magis iis placuerunt amplectantur.**

**Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo D. N. Gregorio div. prov. PP.** XVI... **relatam in audientia diei** 16 **eiusdem mensis et anni, SSmus benigne approbavit atque in omnibus servari praecepit.**

Ex Const. *Allatae sunt* Bened. XIV 26 Iulii 1755. — Quoad rituum commixtionem.

**Iure canonico illud quidem statutum habetur, ritum orientalem et graecum cum latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra Decretali Caelestini HI apud Gonzalos** *cap. Cum secundum, De temporibus Ordinationum,'* **atque in Decretali Innocentii III cap.** *Quanto, De consuetudine,' cap. Quoniam, De officio Iudic. Ordinar,* **et in Decretali**

**Honorii III** *cap. Litteras, De celebrat. Missar.;* **at nullo iure affirmari potest, ritus commixtionem Apostolica aliqua Constitutione vetitam induci ex eo tantum quod armenus, maronita, aut graecus iuxta ritum suum in latina ecclesia, vel Missae Sacrificium vel alias coeremonias cum populi sui ritus exerceat, aut versa vice latinus in orientalium ecclesia idem praestet, dum praesertim legitima aliqua subest causa.... Vetita sane ritus admixtio esset, si latinus in fermentato consecraret, ut Eucharistiam in fermentato consecratam latinis administraret. Idemque dicendum esset, si orientales qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo ram divinam facerent, et genti suae sacram Eucharistiam in azymo distribuerent.... Vetita quoque ritus permixtio esset, si latinus sacerdos, modo iuxta latinum, modo iuxta graecum ritum: aut sacerdos graecus, modo graeco, modo latino ritu, Missam celebraret. Id enim interdicitur in Constitutione S. Pii V quae incipit :** *Providentia,* **quaeque est 21** *Tom. 4 pari. 2 Buttar, novi* **Romae impressi; ubi facultates omnes quae praecedentibus temporibus nonnullis presbyteris super hoc concessae fuerant, omnino revocantur. Huic Constitutioni S. Pii V congruit quoque praeindicata nostra** *(Etsi pastoralis)* **§ 7 n. 10. Quod si presbyteris Societatis Iesu qui collegiis Nationum orientalium Romae erectis praesunt, et qui praedictae Societatis institutum amplectentes, a graeco ritu ad latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missae sacrificium graeco, et orientali ritu celebrent; hoc ideo factum est, sicut praemonuimus, ut alumni, qui graecorum, et maronitarum ritum profiteri debent, Missam praedicto ritu celebrare addiscant, et iuxta eumdem, divina officia toto vitae suae curriculo persolvere : verum circumstantiae peculiares huiusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda: quo adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI Praedecessor! nostro exposuerit, valde profuturum catholicae religioni, si latinis missionariis permitteretur, ut in Hungaria graeco ritu celebrarent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad latinum ritum redirent: idem tamen Pontifex perpendens animo debere unumquemque, iuxta canonicas sanctiones, in suo ritu permanere, neque licere sacerdoti, modo latino, modo graeco ritu celebrare, facultatem, quae a praedicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit, uti patet ex eius Epistola in forma Brevis, quam ad eumdem Cardinalem dedit 9 Maii anno 1705, et quae continetur** *t. 1 Epistolar, et Brev. selectior. eiusdem Pontificis typis editorum pag. 205.*

S. C. de Prop. Fide — C. G. il Decembris 1838.
Dubia quoad administrationem sacramentorum a Latinis faciendam erga Orientales.

**1. Utrum missionarii latini possint administrare orientalibus Sacramenta Baptismi, Extremae Unctionis ac Matrimonii ritu latino in ecclesiis orientalibus, casu v. g. quo missionarius latinus parochi fungeretur officio in iis ecclesiis.**

**2. Utrum missionarii iisdem orientalibus eadem Sacramenta possint administrare ritu latino in ecclesiis latinis.**

**3. Utrum missionarii possint orientalibus ministrare Sacramenta praedicta ritu orientali servando illius ritum cui administratur Sacramentum.**

**4. Utrum missionarii possint in aliquo casu administrare latinis Sacramenta ritu orientali v. g. ad benedicendum matrimonium cuius altera pars latina, altera vero orientalis.**

**5. Utrum missionarii latini fungentes sacra functione in ecclesia orientali possint ritui orientali aliquid immiscere ritus latini, v. g. ad Benedictionem SS. Sacramenti post cantum orientalem recitare orationes lingua latina, et sic de ceteris.**

**R. Ad 1. Affirmative.**

**Ad 2. Affirmative.**

**Ad 3. Negative.**

**Ad 4. Negative.**

**Ad 5. Negative quoad sacram Liturgiam; in reliquis servetur consuetudo.**

S. C. de Prop. Fide — C. G. 25 iulii 1887 — Deleg. Ap. Mesopotamiae.
Quoad dispensationem a ieiuniis ei festorum observantia erga famulos et opifices apud dominos diversi ritus morantes.

**1. Utrum pro dispensandis famulis et opificibus apud dominos diversi ritus commorantibus supra ieiunia et observantiam festorum requiratur necessario dispensatio specialis, nec non facultas expressa dispensandi, quin sufficiat dispositio iuris communis circa familiares.**

**2. Utrum alia sit ratio dispensandi cum famulis et opificibus ordinariam in domo dominorum habitationem habentibus seu operam praestantibus, et alia cum iisdem tantum accidentaliter servientibus.**

**3. Utrum servi familiares Tertiarii orientales in conventibus missionariorum seu praelatorum latinorum , sub eorumdem Superiorum obedientia permanenter viventes, privilegiis gaudeant quae Ordinibus**

Regularibus fuerunt concessa et approbata, nimirum ut sese conformare valeant in omnibus ritui latino, et imprimis SSmam Eucharistiam et Sacramenta paschalia ab iisdem Superioribus suscipere.

4. A quonam Episcopo dependere censeantur fideles orientales propriis pastoribus destituti, si infra propriae dioeceseos limites missionario latino gaudeant tamquam parocho; num ab Episcopo orientali, an ab Episcopo latino? Quid vero si extra limites propriae dioeceseos versentur?

5. Utrum indistinctim dicti orientales sub cura missionariorum constituti sese conformare debeant ieiuniis et festis ritus latini, an proprii.

6. *a)* Utrum in proposito quid vel nihil importet differentia azymi et fermentati, ita ut graecus ex. gr. proprio sacerdote destitutus SSmam Eucharistiam a missionario latino sub azymo recipere valeat et debeat, non obstante existentia in eadem civitate sacerdotis alterius ritus in fermento consecrantes.

*b)* Utrum si eidem graeco, prout fuit aliquando a S. G. responsum, libertas concedatur sese communicandi sub fermentato, dicta libertas vigeat pro communione quae est *de devotione* tantum, an etiam pro communione de *praecepto.*

*c)* Item si idem graecus maluerit Eucharistiam in specie fermentata accipere censeturne ex ipso facto Communionis dependere quoad iurisdictionem parochialem a superiore ritus orientalis fermentum habentis, an, non obstante Communione, semper dependeat a superiore latino.

R. Ad i. Affirmative ad 1. partem ; Negative ad 2.

Ad 2. Negative, si in utroque casu mensa sit communis.

Ad 3. Negative quoad Sacramenta; quoad reliqua provisum in primo.

Ad 4. A proprio Episcopo orientali.

Ad 5. Negative ad 1. partem; Affirmative ad 2.

Ad 6 a). Servetur instructio pastoralis s. m. Benedicti XIV, in qua permittitur orientalibus communio ritu latino tantum in subsidium, nempe cum difficulter communicare possunt in proprio ritu. Congruum vero erit ut orientales fermentato utentes, et proprii ritus sacerdote destituti, S. Communionem a sacerdotibus alterius ritus in fermentato consecrantibus suscipiant.

Ad 6 6). Negative ad 1. partem; Affirmative ad 2. dummodo difficulter in proprio ritu communicare possit.

Ad 6 c). Negative ad 1. partem; Affirmative ad 2.

S. C. de Prop. Fide — C. G. 25 Iulii 1887 — Deleg. Ap. Mesopotamiae.
Quoad uxores quae sequuntur ritum virorum suorum.

**Decretum S. G. anni 1759 quod permittit « ut uxores suorum vi-» rorum ritum *sequantur,* dummodo uxor non sit ritus latini » ex se patet, et a nullis fuit negatum; verumtamen circa extensionem et interpretationem practicam huiusmodi facultatis variae oriuntur quaestiones quas exponere liceat.**

**1. Utrum in casu proposito detur differentia inter verbum *sequi* in praesenti decreto usurpatum, et verba *eligere* et *adoptare* quae alibi pro casu identico reperiuntur.**

**2. Utrum facultas facta mulieri nubenti sequendi ritum viri sui, aequivaleat verae mutationi ritus pristini, ita ut omnibus obligationibus ritus maritalis teneatur, etiam mortuo viro.**

**3. Utrum mulier quae non potuit aut non voluit sequi seu adoptare ritum viri sui, nihilominus eidem sese conformare valeat in ieiuniis et diebus festis propter necessitatem vel sine necessitate. Quaenam proinde necessitas requirenda, et quae licentia.**

**4. Utrum mulier quae tempore initi matrimonii prorsus ignoravit sibi licere ritum viri sui sequi seu adoptare, et post cognitum errorem, declarat se libenter eumdem adoptaturam fuisse si scivisset, et nunc quidem idipsum sequi cupere, possit dicta mulier quasi innovato beneficio gaudere, et deinceps ritum maritalem, nova facta declaratione, sequi et adoptare.**

**5. Utrum recenter et reapse, uti asserere volunt nonnulli, S. Sedes declaraverit mulierem, quae secuta est modo regulari ritum viri sui, ad pristinum ritum reverti posse aut etiam violenter reduci.**

**R. Ad 1. Negative.**

**Ad 2. Affirmative.**

**Ad 3. Negative absque Apostolica dispensatione.**

**Ad 4. Affirmative.**

**Ad 5. Recurrendum in singulis casibus.**

LITTERAE SSmi D. N. Leonis Papae XIII ad Emum Cardinalem Marianum Rampolla del Tindaro, quoad publicos clamores Romae peractos die vigesima Sept. 1895.

*Signor Cardinale.*

Le insolite manifestazioni politiche, delle quali è spento appena per le vie della città l'ultimo suono, Ci traggono a indirizzarle su tale argomento qualche parola, non tanto a sfogo dell'animo contristato, quanto a fine di rilevare la gravità del fatto, e gli intendimenti che lo ispirarono. — Veramente per quel senso d'umanità insieme e di decenza che alberga anche negli animi presi dalla passione, non Ci pareva soverchio lo sperare un riguardo almeno alla Nostra canizie. Si volle invece andar oltre ruvidamente: di guisa che siamo stati condotti a questo, di dover essere quasi immediati testimoni all'apoteosi della rivoluzione italiana e della conseguente spogliazione della Santa Sede. Famigliari per divino favore, alla sofferenza e al perdono, mettiamo da un canto l'affronto recato alla persona : molto più che a lenire la presente Nostra amarezza accorse spontanea la pietà delle genti cattoliche; e segnalossi tra queste l'Italia per protestazioni generose e testimonianze di affetto preziosissime. Ma quel che ci commuove e trafigge, si è la solennità deb

*Eme Cardinalis*

Publici ac populares, praeter morem, clamores, quorum ultimus per Urbis vias sonus vix extinctus est, nonnulla ad te hac super re verba facere Nobis suadent, haud equidem ut iustum moerori nostro solatium comparemus ; sed potius ut facti gravitatem, atque eorum, qui illud inspirarunt, consilia opportune patefaceremus.

Profecto ille humanitatis sensus ac dignitatis, qui in animis etiam vehementi affectu concitatis inesse solet, sperare nos sinebat, aliquam saltem senectutis nostrae rationem habitum iri. At vero inurbane omnia potius agere placuit; adeo ut nobis contigerit ferme proxime testes esse apotheoseos rerum novarum italicarum, et, quae exinde consecuta est, expoliationis S. Sedis. — Iniuriis tolerandis, et veniae facile concedendae Deo adiuvante, assueti, contumeliam personae illatam praeterimus, praesertim vero cum ad hanc animi nostri maestitiam leniendam catholicarum gentium pietas sponte subvenerit; quas inter Italia generosis protestationibus, et pretiosissimis benevolentiae significationibus exhibitis eminuit.

l'offesa alle ragioni della Sede Apostolica e l'evidente proposito di perpetuare, anziché comporre un conflitto, di cui niuno può misurare i calamitosi effetti. — La gravità del fatto, palese per sé medesima, riceve luce purtroppo dalle confessioni degli artefici ed encomiatori di esso. Col glorificare, nel modo che s' è veduto, il successo del settanta, hanno avuto in mira anzitutto di assodare i frutti della conquista, e fare intendere all'Italia e al mondo che il Pontefice, quanto è da loro, deve rassegnarsi ormai alla cattività, senza speranza di redenzione. E qui non è tutto. Hanno voluto inoltre fare un passo di più verso un ideale essenzialmente antireligioso. Poiché lo scopo ultimo della occupazione di Roma, non diciamo nella mente di quanti vi cooperarono, ma delle sètte che ne furono i primi motori, non è, o almeno non è tutto nel compimento dell' unità politica. No : quell' atto di violenza, che ha pochi esempii nella storia, doveva nei decreti settarii servire come mezzo ad esser preludio di un assunto più tenebroso. Se si stese la mano a squarciare le mura della metropoli civile, fu fatto per meglio battere in breccia la città sacerdotale: e per sortire l'intento di assalire da vicino la

Verum quod magis Nos commovet et angit est ipsa publica iniuriae huic Sedi Apostolicae inlatae ostentatio, atque evidens animi propositum perpetuo conflictum prosequendi potius quam amice componendi, cuius tristissimos effectus recensere nemo potest.

Facti gravitas per se cuique nota, ex ipsis eorum, qui eiusdem facti auctores vel laudatores extiterunt, confessionibus clarius patet. Laudibus quippe quod anno MDCGCLXX hic gestum est, in Coelum extollentes id in primis spectarunt, ut quod tum bello obtinuerunt, id stabile ac firmum statuerent, atque Italiae Orbique universo denuntiarent, Romanum Pontificem, ad ipsos quod attinet, servili iugo subeundo, sine ulla spe libertatis recuperandae, iam acquiescere oportere.

Nec satis : ulterius insuper progressi sunt, ut impium, quod mente conceperunt, consilium re ipsa perficerent. Quippe in occupanda Urbe finis ultimus, quamvis fortasse non in omnium mente, qui in id operam contulerunt, sed profecto perduellium societatum, qui primi auctores fuerunt, haud quaquam est, aut saltem non unicus, politica italicae unitatis constitutio. Enimvero ille adeo efferatae violentiae actus, cuius in historia raro admodum

podestà spirituale de' Papi incominciossi dall'abbatterne quel propugnacolo terreno. Insomma quando vennero ad imporsi al popolo romano, a questo popolo che tenne fede al suo principe sino all' ultimo, resistendo vigorosamente a possenti e diuturne tentazioni venute di fuori, essi recavano il concetto ben fermo di mutare le sorti della città privilegiata, trasfigurarla, tornarla pagana : ciò che fu denominato in loro gergo, dar vita ad una terza Roma, d'onde irradierebbe come da centro, una terza civiltà. E infatti si diede e si dà opera più che non paia ad attuare il funesto disegno. Son cinque lustri che, guardandosi attorno, Roma vede padroni del campo gli oppugnatori delle istituzioni e delle credenze cristiane. Diffusa ogni più malvagia dottrina : vilipesa impunemente la persona e il ministero del Vicario di Dio; contrapposto al dogma cattolico il libero pensiero, e alla Cattedra di Pietro il seggio massonico. E appunto a questo insieme nefasto d'idee e di fatti si pretese novellamente di dar sembianza di diritto ed essere di stabilità, mediante il suggello di una nuova legge e le clamorose manifestazioni che secondarono, capitanate a viso aperto dalla setta nemica di Dio. È forse questo il trionfo della causa ita-

exempla occurrunt, in perduellium decretis velut adminiculum ac praeludium esse debebat nequioris consilii. Si manus ad moenia civilis huius Metropolis difflndenda protensa fuit, hoc ideo factum est, quo facilius Urbs Sacerdotalis per ipsos expugnaretur ; utque cominus, quod adeo expetebant, Spiritualem Romanorum Pontificum potestatem labefactarent, terrestre huius propugnaculum perduelles isti primo adnisi sunt demoliri. — Quinque abhinc lustris Roma circumspiciens, campum velut Dominus obtinere christianarum institutionum ac dogmatum oppugnatores videt: reprobam quamque doctrinam late diffusam : Christi Vicarii personam et ministerium impune despectum: loco christianae Fidei ius libere cogitandi atque credendi suffectum, et Petri Cathedrae, novae perduellium sectae magisterium. Atque huic nimirum nefasto idearum factorumque complexui nuper ausum est iuris et perpetuitatis speciem attribuere novae legis promulgatione sancitam et fragosis publicisque clamoribus, quos impiae sectae fautores praeeuntes sine pudore obsecundarunt. Est ne istud, quaesumus italicae unitatis triumphus, an vero apostasiae proclamatio ?

Iustitiam finalis triumphus

liana, o non piuttosto l'avvenimento della apostasia ?

La giustizia è sicura del trionfo Anale, come Roma della immutabilità de' suoi alti destini. Ma intanto quella è sopraffatt a, a questi si attraversa la congiura di congreghe perverse e l'opera dissennata di chi le favorisce. E che pro ne coglie la nazione? L'acquisto di Roma fu preconizzato ai popoli italici come albore di salute e auspicio di prosperità futura. Non cercheremo se gli avvenimenti abbiano avverata la promessa dalla parte de' beni materiali. Ma certo il compiuto acquisto ha diviso moralmente l'Italia, invece di unirla. È poi un fatto, che in questo mezzo pigliarono vieppiù ardire le cupidigie di ogni maniera, si allargò all'ombra del giure pubblico l'immoralità del costume, e il conseguente aftievolimento della fede religiosa: moltiplicarono i prevaricatori delle leggi umane e divine: crebbero di numero e di forza i partiti eccessivi, le schiere fremebonde, congiurate a sovvertire dalle fondamenta gli ordini civili e sociali.

E tra l'ingrossare di tanti guai, non che quietare, inasprisce la guerra a quel divino instituto, nel quale dovrebbe ripo-

certissime manet, quemadmodum Roma de immutabili ac divina sua destinatione secura est. Interea tamen illa pessumdatur; huius vero destinationis effectus pessima sectarum coniuratione, atque eorum qui ipsas fovent, iniqua opera praepeditis. Quid hoc italicam nationem iuvat ? Romae occupatio Italiae populis velut salutis prima lux, et futurae prosperitatis auspicium conclamata fuit. Nequaquam inquiramus, utrum eventus, ad materialia bona quod attinet, promissa conflrmarint. At vero certum omnino est, per Urbis acquisitionem, armis comparatami, si animos species, divisam potius Italiam fuisse, quam unitate donatam. Constat autem hoc intervallo audaciores evasisse cuiusvis generis cupiditates ; morum licentiam, iure publico favente, late ubique obtinuisse, et quae inde consequitur, religiosae fidei imminutionem ; eorum qui humanas divinasque leges contemnunt, excrevisse numerum ; extremas (quas vocant) factiones numero ac vi auctas esse, füren tesque phalangas in civilem ordinem atque socialem funditus evertendum coniuratas.

At enim inter tot malorum eluvieni secta isthaec infensa haud quaquam quiescit, sed bellum in illud divinum insti-

sare la speranza del maggiore e più sicuro rimedio. Vogliamo dire alla Chiesa, e particolarmente al suo Capo visibile, a cui fu rapita insieme col principato civile l'autonomia, non meno convenevole alla dignità del pontefice, che necessaria alla libertà dell'apostolico ministero. Ed è vano il ricorso a spedienti legislativi : nessuna maniera di provvedimenti giuridici potrà mai conferire indipendenza vera senza giurisdizione territoriale. La condizione che pur affermano d'averci guarentita, non è quella che Ci è dovuta e Ci bisogna : essa non è indipendenza effettiva, ma apparente ed effimera, perchè subordinata al talento altrui. Questa foggia d'indipendenza, chi la die, la può togliere : ieri la sancirono, ponno cassarla domani. E non fu in questi giorni medesimi chiesta da un lato, e fatta intravvedere minacciosamente dall'altro, l'abrogazione di quelle che chiamano guarentigie del pontefice? Ma non minaccie, non sofismi, né invereconde accuse d'ambizione personale riusciranno a far tacere in Noi la voce del dovere. Qual è, quale doveva essere la guarentigia vera della indipendenza papale fu potuto antivedere sin da quando il primo Cesare cristiano si avvisò di trapiantare a Bisanzio la sede

tutum inferre ferocius pergit, in quo validissimi omnium ac tutissimi praesidii repériundi spem reponi oporteret. Ecclesiam videlicet, speciatim vero eius visibile Caput, cui una cum civili Principatu «ùrovo^la sublata est, haud minus Pontificis dignitati conveniens, quam Apostolici ministerii libertati necessaria. Vanum est autem ad civilis legis remedia effugere; nullum quippe ex iuridicis statutis veram ac plenam libertatem sine certa quadam territoriali prorsus immuni dominatione, in Nos conferre potest. Ea vero vitae conditio, quam hi Nobis omnino tutam praestitisse affirmant, nequaquam ipsa est, quae Nobis competit atque opus est. Ea vera libertas non est, sed specie tantum et insuper incerta atque instabilis, quia alieno arbitrio obnoxia. Hanc quippe libertatis speciem qui dedit, idem auferre potest: heri sancita est, cras deletur. Reapse enim non hisce iisdem diebus, eorum quae Pontifici tuendo per legem statuta fuerunt, hinc impudenter flagitata, inde vero minaciter intentata abrogatio fuit? At enimvero nec minae, nec sophjsmata, neque impudentes criminationes, quasi ita persistendo inanem Nobis gloriam conquirere velimus, efficere poterunt, ut Apostolici nostri muneris

dell' impero. Da quel tempo insino alle età a noi più vicine, niuno mai fu visto assidersi in Roma di quanti furono arbitri delle cose italiane. Così ebbe nascimento e vita lo stato della Chiesa, non per opera di fanatismo, ma per disposizione di Provvidenza, accogliendo in sè i migliori titoli che possono rendere legittimo il possesso di un principato, vale a dire l'amore riconoscente di popoli beneficati, il diritto delle genti, l'assenso spontaneo del mondo civile, il suffragio dei secoli. Nè lo scettro in mano ai Pontefici fu d'impaccio al pastorale. Scettro infatti portavano questi Nostri antecessori, che rifulsero per santità di vita ed eccellenza di zelo. E sono essi medesimi che pure furono sovente chiamati a comporre i più ardui litigi : che opposero vittoriosamente alla esorbitanza dei potenti il petto fortissimo : che salvarono all' Italia in pericolosi frangenti il tesoro della fede, e propagarono dall'orto all'occaso la luce della cristiana civiltà, i benefizi dell' umano riscatto. E se oggi, nonostante le condizioni malagevoli e dure, prosegue il Papato tra la riverenza delle genti la sua via, non lo si arrechi al manco di quel presidio umano, ma sì veramente all'assistenza della grazia celeste, che non fallisce mai

vox sileat. Quodnam sit, quodque esse debeat verum Pontificiae libertatis praesidium, iam tum perspici potuit, cum primus christianus Imperator, relicta Roma, Byzantium imperii sedem transferendam duxit. Exinde ad haec usque tempora, nemo eorum, qui rerum Italicarum potiti sunt, Romae considere visus est. Inde initium vitamque sumpsit civilis Ecclesiae dominatus, haudquaquam phrenetici furoris ope, sed divinae Providentiae consilio, optima quaeque nomine praeseferens, quae legitimam constituere valent cuiuslibet Principatus possessionem ; nimirum grati animi in populis beneficio affectis, ius gentium, spontaneum civilis assensum, suffragium denique saeculorum. Neque vero sceptrum in manibus Pontificum Episcopale eorum ministerium praepedivit. Sceptrum reapse gestabant ii ex Antecessoribus nostris, qui vitae sanctitate et in christianae Reipublicae salutem praeclaro ardentique studio praefulserunt. Iidem ipsi praeterea fuerunt, qui velut arbitri maxime ardua imperantium iurgia componendi gratia saepenumero adlecti sunt; qui insanae Regum impotentiae invictissimum pectus vincendo opposuere; qui périclitant! Italiae in adversis formidandisque

al sommo sacerdozio cristiano. Fu opera forse delle persecuzioni imperiali il meraviglioso incremento della Chiesa adolescente ?

eventibus Fidei thesaurum sartum tectum servarunt, atque ab ortu solis usque ad occasum christianae institutionis lucem, et humanae redemptionis propagarunt beneficia. Et si hodieque, quamvis in difficillimis asperisque temporum conditionibus versetur, inter obsequentes Nationes viam suam incedere pergit, ut nequaquam humani cuiusque praesidii defectui. Sed Gratiae coelestis auxilio, quod supremo sacerdotio christiano nunquam deest, tribuendum ducimus. Num ne Imperatorum romanorum oppugnationibus mirabile adolescentis Ecclesiae incrementum quispiam tribuat?

Queste cose vorremmo che meglio fossero comprese al senno pratico degli italiani. Non parliamo dei fuorviati per erronee dottrine o legami di setta; ma degli altri, ai quali tuttoché immuni da quei legami, né ciechi seguaci di quelle dottrine, fa velo la passione politica. Veggano essi quanto sia opera perniciosa e stolta contrastare ai veraci disegni della Provvidenza, e ostinarsi in un dissidio non profittevole che alle mene di fazioni audacissime, e più ancora ai nemici del nome cristiano. L'essere stata eletta fra mille a custodire il seggio apostolico, fu privilegio singolarissimo e gran ventura per

Haec omnia ab Italis consilio atque experientia praeditis melius intelligi velimus. Haud Nobis sermo est, de iis qui sive falsis imbuti doctrinis, sive inipiae sectae vinculis obstricti viam deviam sequuntur; sed de coeteris, quibus, quamvis horum vinculorum immunes sint, neque coeci illorum dogmatum sectatores, inordinatus tamen rerum novarum amor obnubilât intellectum. Videant hi quam periculosum sit atque insanum sapientibus divinae Providentiae consiliis obsistere, et in dissidio, quod solum pessimis audacissimarum factionum propositis, praecipue vero christiani nominis hostibus pro-

la nostra penisola: e ogni pagina della sua storia testifica quanta copia di beni e quali incrementi di gloria le vennero ognora dalle immediate cure del pontificato romano. Sarebbe forse mutata l'indole di esso o affievolita l'efficacia? Si tramutano le cose umane, ma la benefica, virtù del magistrato supremo della Chiesa viene dall'alto ed è sempre la medesima; con questo di più che, essendo esso ordinato a durare quanto i secoli, tiene dietro con amorosa vigilanza al cammino dell'umanità, nè ricusa, come sognano i suoi detrattori, di attemperarsi quanto è possibile ai ragionevoli bisogni dei tempi. — Se, porgendoci docile orecchio, attingessero gl'italiani dalle tradizioni avite e dalla coscienza de' loro veri interessi il coraggio di scuotere il giogo massonico, apriremmo l'animo alle più liete speranze in ordine a questa caramente diletta terra italiana. Ma quando avvenisse l'opposto, Ci duole il dirlo, non sapremmo presagire che nuovi pericoli e maggiori rovine.

Con effusione di particolare

dest, pertinaciter persistere. Peninsulam nostram Apostolicae Sedi protuendae electam fuisse ex millibus, singulare prorsus privilegium fuit, ac maximum Italicae Nationis emolumentum: profecto unaquaeque italicae historiae pagina, quam bonorum copiam, quodque gloriae incrementum ex assiduis Romani Pontificatus curis Italia perceperit aperte testatur. An vero eius indoles immutata, aut efficacia immutata fuit? Humanae quidem res mutantur; -sed benefica supremi Magistratus ecclesiastici virtus e Coelo est, ac semper eadem persistit: imo cum ille in terris perpetuo duraturus constitutus sit, humanitatis incessum peramanti vigilantia consequitur; neque, ut eius detractores effutiunt, iustis temporum necessitatibus, quoad licet, se conformare recusat. Si dociles Nobis aures Itali praeberent, atque ex avitis traditionibus et ex propriarum conscientia rationum vim animumque haurirent, impositum sibi a perduellibus iugum excutiendi, dulcissimam spem de hac Nobis in primis dilecta Itala terra conciperemus. At vero si contra fieri contingat, dicere piget, nonnisi nova pericula, gravioresque ruinas profecto Nobis fas esset pra enuntiare.

Apostolicam Benedictionem

affetto le impartiamo, signor Cardinale, l'apostolica benedizione.

Dal Vaticano, 8 Ottobre 1895.

LEO PP. XIII.

tibi, Eme Cardinalis, peculiari benevolentia impertimus,

Ex Vaticano: Die viii Octobris MDCCCXCV.

LEO PAPA XIII.

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII quibus conceduntur plures indulgentiae pro die 15 Decembris huius anni, quo solemni ritu celebratur iubilare festum patronale s. Iosephi, V. Mariae Sponsi.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum sicut ad Nos relatum pluribus in Catholici orbis dioecesibus hoc anno die decimaquinta proximi Decembris mensis solemni ritu iubilare festum patronale S. Iosephi Virginis Mariae Sponsi sit concelebrandam, Nos quibus nihil est magis gratum quam ut tam gravibus potissimum pro Ecclesia Dei temporibus fidelium pietas erga coelestem suum Patronum excitetur, ac maiora in dies suscipiat incrementa, hac ipsa auspicatissima occasione coelestes thesauros quorum Nobis Altissimus dispensationem commisit, reserare benigne censuimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, omnibus et singulis in toto terrarum orbe degentibus fidelibus utriusque sexus, qui vere poenitentes ac confessi ac S. Communione refecti supramemorata decimaquinta mensis Decembris die vel uno e septem continuis immediate sequentibus ad cuiusque eorum lubitum sibi eligendo quamlibet Ecclesiam, in qua Sancti Iosephi Patriarchae festum agetur, dummodo tamen quinquies novemdialibus aut singulis triduanis diebus praecedentibus supplicationis solemnibus adfuerint, secus rite parochialem propriam cuiusque ecclesiam devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem vero fidelibus saltem corde contritis, quo die novemdialibus vel triduanis hisce precibus intererint, biscentum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae con-

sueta relaxamus. Quas omnes ac singulas indulgentias, peccatorum remissionem et poenitentiarum relaxationes, etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis, per modum suffragii, applicari posse indulgemus. Praesentibus hac vice tantum valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et persona in ecclesiastica dignitate constitutae praemonitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxiv Septembris MDCCCXCV, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

LEO PP. XIII.

# EX 3. CONGREGATIONE CONCILII

## NANCEIENSIS ET TOULLENSIS

### DISPENSATIONIS MATRIMONII

*Die 25 Maii 1895.*

**Sess. 21 cap. 1 De reform, matr**

COMPENDIUM FACTI. Maria 29 annos nata, die 10 Decembris 1890 matrimoniali foedere iungebatur Corniti Rogerio, qui tunc aetatis suae annum 39 attigerat. Nuptiae, omnibus servatis solemnitatibus, celebratae fuerunt coram parocho proprio.

Attamen infausto omine connubium hoc fuisse conciliatimi subsequens monstravit eventus. Neoconiuges enim, uti mulier fatetur, cohabitationis tempore duas vices maritale opus aggressi sunt, at numquam illud perficere valuerunt. Cum autem vir copulae impossibilitatem tribueret uxori ex conformationis defectu, ipsa salutaris artis peritum consuluit, qui in eius muliebribus levem incisionem peregit, ut faciliores coniugales actus redderentur. Sed postea, opera-

tione peracta, quia maritus amplius copulam non pertentavit, mulier, ut ipsa narrat, illum impotentem existimavit.

Interea Rogerius, si Mariam audiamus, eam acerbe tractare atque etiam verberibus afficere incoepit, donec die 1 Februarii 1891 domum paternam remeare iussit.

Tunc, paucis a separatione coniugali transactis diebus, Maria Summo Pontifici supplices dedit preces pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato. Episcopus, cui de more ablegatus fuit libellus cum facultate subdelegandi-, processum conficere curavit per Iudicem delegatum : qui sub iuramento actricem et septem testes ex eius latere excussit, atque obstetricum attestationes, quae mulieris corpus exploraverunt, recepit.

Vir, etsi pluries rite citatus, semper contumacem se praebuit, ac tandem per litteras Iudici missas, matrimonium non fuisse consummatum asseruit.

Episcopus iussu S. Congregationis novam mulieris inspectionem ordinavit, quae, etiam hac vice, non videtur in omnibus adamussim exacta fuisse. Excusso insuper medico, qui incisionem olim peregit; atque testium examine septimae manus mulieris excepto, Tribunal asserit, hoc rite confectum fuisse novamque eorum depositionem sine magna difficultate ac scandalo fieri non posse, quum de eorum bona fide et sinceritate dubitari non possit; virum autem non semel, post primum processum, sed semper incassum fuisse citatum ad comparendum et ad testes designandos.

## Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Duo sibi esse inquirenda, ait Theologus, utrum videlicet, ad iuris tramites, de inconsummatione praesentis matrimonii sat constet, necnon, utrum sufficientes dentur atque idoneae causae consulendi SSmum quatenus petitam dispensationem concedere dignetur.

Ad primum quod attinet, prosequitur consultor, hoc ex

tribus, prout scitum est, colligitur, nimirum ex declaratione coniugum, ex septimae manus confirmatione, ex inspectione corporis.

Iudicialiter atque sub sacramenti religione mulier testata est matrimonium haud consummatum fuisse, quia corporum contactus tantum locum habuerunt, sine erectione ex parte viri, nec seminis dispersione. Maritus censuit vitium meae constitutionis obesse consummationi matrimonii ; sed Chirurgus, levi incisione, abstulit parvum defectum, quem ille ipse adesse cognoverat. Postea vir, numquam petiit debitum coniugale : et ideo censui illum esse impotentem.

Alter autem coniux extraiudiciali scripto ad ecclesiasticum iudicem transmisso declaravit : « His praesentibus ego Roger testor fìrmissimeque assevero matrimonium cum virgine Maria, a me contractum in ecclesia parochiae, anno gratiae 1890, die decimo mensis Decembris, neque eo tempore, neque postea nullo modo fuisse consummatum; persuasum habeo puellam illam esse adhuc virginem ».

Inconsummationis factum verbis non ambiguis hic enunciatum a marito habemus, cuius testificatio, licet actu extraiudiciali prolata sit, tamen utpote a viro nobili in publici magistratus officio constituto exarata, maximi momenti, me auctore, facienda est. Ari causas autem quod attinet inconsummationis eas apud uxorem exquirendas esse ipse putat scribens ad Vicarium generalem parisien.

Concors itaque in essentialibus utriusque coniugum declaratio apprehenditur, scilicet, eos iterato conatu in rem complendam enixos esse; ast ullo absque profectu, ita ut puella illaesa semper remanserit, causam autem huius esse impotentiam vel absolutam alterutrius vel saltem relativam ad invicem. Ceteroquin collusionis suspicionem excludendam hic esse omnino puto et quidem : quia post cohabitationis mensem, quo decurrente, neuter de petenda dispensatione vel cogitasse videtur, coniuges nunquam simul convenerunt; quia vir de eadem impetranda parum curare dicendus est, cum se sistere coram iudice, vel testes producere constanter

recusavit; quia demum iri singulis coniugum dicta prout in plano est, minime concordant.

Verum ex *Cap. V De frigidis et maleficiatis:* « Si quod nunquam se invicem cognoverint, ambo fateantur » id a « septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae tactis sacrosanctis Evangeliis » confirmandum atque roborandum est.

*Testes septimae manus,* ex parte tantum mulieris, fere iisdem explicitis verbis tria haec sub sacramento declararunt, nempe se audivisse matrimonium de quo agimus, non fuisse opere plenum: hoc contigisse ex probabili impotentia viri: oratricem esse veracem atque pro pietate morumque honestate omni laude dignam.

Hisce omnibus rite perpensis, moralis iam probatio de non secuta consummatione matrimonii in themate sat tuta atque firma esse videtur. Ne autem in re tanti momenti quid deficiat, ex iure et Ecclesiae praxi, ad aliud demum argumentum atque adminiculum recurrendum est, quod ex corporis feminei inspectione eruitur. Imo in hac instituenda cum teste oratrice, ipsa, a medico chirurgo, ut apta magis ad copulam reddatur, incisionem passa sit, speciali mandato S. C. C. voluit ad unguem servari omnia, hac de re servanda, atque ipsum chirurgum iuridice audiri qui puellam incidit. Quae singula, prout acta testantur, adamussim fuerunt servata. Praemisso scilicet requisito balneo, a tribus successive matronis, in arte obstetricia peritis, sedulo manu et oculo inspecta fuit, quae deinde cum medicis duobus de singulis contulerunt. Coram iudice autem sub sacramento uno ore declararunt obstetrices : apud oratricem membranam hymenem esse integram, resistentem, non laceratami : incisionem a medico chirurgo factam, omnino esse minimam millesimam metri partem vix superan tem; neque quid commune habere cum specifica laceratione, quam, copula perfecta, si admissa fuisset, secum traxisset; propterea dictam mulierem ut virginem esse habendam atque matrimonium eiusdem nunquam fuisse consummatum. Obstetricum depositionem medici confirmarunt.

Hucusque relata testimonia, ait Consultor, talis indolis esse autumo ut prudenti, ni fallor, iudicio pronunciare S. C. C. possit: *Sat constare de inconsummatione subiecti matrimonii.*

Semel alicuius matrimonii probata inconsummatione, quod primum et maxime Pontificem movere notum est ad solvendum coniugale vinculum, videtur esse vinculi eiusdem probabilis defectus seu dubia ob probabilem impotentiam matrimonii firmitas. Hoc communis tenet auctorum sententia. *Coscius, L. 3 cap. 2,* Pignatelli, etc. Porro in themate virum impotentem inveniri plura omnino suadent ; coniugis scilicet atque integrae septimae manus attestatio ; declaratio medici Poincarré, imo mariti ipsius confessio. Nonne in his etiam reum habemus confitentem, se ex venereorum nimio abusu ad punctum hoc venisse, ut ad generationem impar iam redderetur *i* Sane, non subobscure, id ulterius erui posse videtur ex septimi testis depositione, facientis ipsas prostitutas mulierculas sermocinari de istius impotentia : « des filles publiques auraient elles-mêmes parlé de son impuissance ».

Causam dispensationis alteram theologi ex coniugum discordia atque aversione animorum desumunt ; Sánchez, *de matrim. L. 2, disp. 16, n. 4.* Quae in praesenti casu talis apprehenditur, ut dicenda sit vix unquam non extitisse. Narravit enim iurata oratrix ab initio perpetuis atque duris obiurgationibus imo et calcibus et pugnis se a marito fuisse afflictam.

Tertiam demum causam urgere hic puto, desumptam ex incontinentiae periculo et animae damno, quod actrici imminere posset, cum de muliere agatur in fiorenti adhuc aetate constituta, patre recens orbata atque mediis destituta, quibus ad agendam vitam sibi sufficiat. Causam huiusmodi multum valere in casu docent communiter omnes, ut videre est apud Sánchez, *de matr. Lib. 12* disp. 15.* Cosci *De separat, thori Lib. 1, c. 16.*

VOTUM CANONISTAE. Fatendum est processum, quamvis

duplicem, parcum admodum esse quoad facta. De praecedentibus matrimonium nihil fere habetur, ita ut eius historia, brevissima sit, oportet. Ex confessione iudiciali oratricis Mariae, habemus quod matrimonium contraxerit cum Rogerio die 10 Decembris 1890, quod simul cohabitaverint usque ad 1 Februarii 1891, qua die, eam maritus remisit domui paternae.

Vitium aliquod organicum in uxore causa fuit, iuxta maritum, separationis ; mulier diversam assignat, nempe impotentiam mariti. Affirmat Maria, omnia adhibuisse media, ut mariti sui mentem leniret, et nullam unquam invidiae causam ei attulisse, asserta, quae ceteroquin, a viro in variis suis epistolis confirmantur. Quicquid demum sit de causis, vir post breve tempus Mariam ad paternos lares remisit, ubi ipsa libenter et sponte permansit sine ullo desiderio revertendi ad domum mariti.

De dispensatione ergo, non de nullitate ex impotentia agitur; optimo quidem consilio, quantacumque sit probabilitas existentiae illius impedimenti, cum longe difficilior sit impotentiae perpetuae probatio, quam facti « non consummationis » quod principalis res est in dispensationibus. In casu praesenti, peritorum testimonium excludit absolute impotentiam ex parte mulieris, et quamvis ex parte viri probabilis valde sit, haec probabilitas ex praesumptionibus et motivis deducitur iis, quae non valent constituere probationem plenam, quin dicam plenissimam, qualis in huiusmodi negotiis requiritur; dum e contra, impotentia probabilis viri, maximi momenti est in causis, huic similibus, quia rationes quae illam suadent, argumenta non-consummationis coadiuvant, et quia causa esse potest validissima dispensationis, siquidem dura res esset et periculi plena, mulierem cogere ad continentiam perpetuam servandam, aut ad vitam ducendam in simulacro quodam ridiculo aeque ac ignobili matrimonii.

Causas graves esse oportet, sed sufficit ut ex bono privato oriantur, quales essent, v. g. periculum scandali ex in-

continentia mulieris, vexationes et consortium maritale odiosum, ob rixas, convicia et cetera huiusmodi, pertimescendae nimis in tali miserrimo coniugio. Quoad haec DD. sunt unanimes, praesertim recentiores, et Card. de Luca, De Matrim, lib. 14, dis. 9, nn. 7, 8, ait « Communis est Canonistarum sententia, quam... servat Curia Romana, ut Papa, ex iusta vel honesta causa, illa praesertim odii et inimicitiarum, dispensare possit super matrimonio rato tantum ». Sufficit etiam, videtur, quando coniuges valde sibi displicent, scandalum, quod evenire potest ob inimicitias, quae inter eorum cognatos vel eorum consanguineos timentur; *Sánchez ad Tit. Disp. 16, n. 3.*

Haec omnia favent oratrici in casu, et suadent dispensationem, dummodo inconsummati» sit extra omne dubium; quia nulla est potestas dispensandi in matrimoniis consummatis fidelium : « quod, enim, Deus coniunxit homo non separet ». Tota ergo vis disputationis circa hoc versabitur : utrum, cohabitatione sex hebdomadarum circiter, non obstante, probari possit, et reipsa probetur, matrimonium a Rogerio et Maria inter se contractum, inconsummatum remanserit ?

Quoad possibilitatem probationis in genere, nullum potest esse dubium. Si enim argumentis certis impotentia viri evincatur, et simul constet de integritate mulieris e talamo nuptiali egressae, res omnino conficitur : conficitur quoque, si de uno extremorum, aequali certitudine, constet, scil. aut de impotentia viri, aut de virginitate mulieris. Hoc deducitur ex Decreto Greg. VII Cap. *Proposuisti,* de Probat. « Mulier proposuit, se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci, quod tam *proprio iuramento,* quam *testimonio septem mulierum* probavit, quae per aspectum corporis eam esse virginem asseruerunt, viro per iuramentum suum contrarium, asserente. Videtur igitur nobis, quod *iuramento puellae et testimonio illarum septem mulierum fides est adhibenda* ».

Verissimum est, in iure novissimo plura quoad processus matrimoniales requiruntur, quae in Constitutione Bene-

dictina, in instructione S. O. C, 1840, et in alia S. C. praescribuntur, quaeque formam, non solum, sed et genus et vim probativam argumentorum determinant ; sed non minus verum, S. C. C. et alia Tribunalia, salvis semper essentialibus, et rei veritate perspecta, non stare in apicibus, ut ita dicam, iuris quoad numerum testium, et formalitates sub quibus testimonium solet exquiri iuridicum. Quae praxis si licita sit unquam, licet sane in processu informativo, qui non pro sententia iudiciali habenda instituitur, sed ad indagandam simpliciter rei alicuius veritatem. Facti veritas est obiectum principale et unicum in istiusmodi processu, quapropter congruum videtur, testimonia quaevis credibilia admittenda esse, etiamsi a norma stricta Constitutionis Benedictinae et instructione SS. CC. in aliquibus deficiant. Revera, simile quid sancitum videmus per Constitutionem Clementis X « Cum alias » pro processu ad probandum obitum alicuius coniugis. In illa Constitutione, recensitis testimoniis, vel probationibus certis, ex Cap. *Dominus,* de Secundis Nuptiis, et Cap. *In praesenti,* de Spons. et Matrim, quae si, ob casuum infinitas vices, quandoque desint, permittitur relaxatio quaedam, his verbis: « Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sac. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint ac sufficientes ».

Lectis igitur et ponderatis, quae in processu habentur, videtur consultori, matrimonium in themate inconsummatum permansisse. Id imprimis suadet confessio iudicialis Mariae affirmantis tum factum non consummationis, tum causam eius. Haec omnia Maria sub fide iuramenti affirmat, et religio eius et omnimoda sinceritas, ab omnibus, nullo excepto, testibus praedicatur. Deinde, interrogata a defensore matrimonii affirmat insuper « se, pro parte sua omnia adhibuisse media, ut mariti sui mentem leniret » et « nullam unquam invidiae mariti causam attulisse »; quarum affirmationum nonne luculentam et validam 'offert ipsa confirmationem, in eo quod operationi dolorosae et humilianti se

submiseri t non aliam ob causam quam ut habilis fieret ad officia coniugalia?

Testimonium Mariae de non consummatione confirmant quae leguntur in quadam epistola patris Rogerii; et apertius declaratur in attestatione quadam ipsius Rogerii.

Circa factum non-consummationis aperte loquitur Rogerius non solum in hac attestatione, sed etiam in epistola ad t>. Ioviot Vic. Gen. et Iudicem Delegatum in causa, die 1 Iunii 1891.

Concordant haec, quoad essentialia cum confessione Mariae; tantum vir veretur propriam impotentiam confiteri, et rem explicare conatur per indispositionem sive physicam sive moralem Mariae. Verum, non est cur soliciti simus circa causam, si effectus, id est non-consummatio, sit certus, et quod certus sit, apparet ex dictis coniugum, praesertim Mariae, cuius confessionem omnem fidem meretur, quippe quae conditionibus etiam iuridicis vestiatur, quae assensum cogunt. Nam testes producti et idonei sunt et « omni exceptione maiores » ut plurimum, et omnes, uno ore eam proclamant piam, sinceram et periurii absolute incapacem.

Aliud argumentum desumitur ex inspectione corporis, cui Maria libenter sese offert ; etenim si integritatis physicae signa desint, iam actum est de dispensatione ; si praesentia deprehendantur, argumentum validissimum efficiunt pro non consummatione. Ergo ipsa acceptatio examinis peritorum est praesumptio favorabilis 'Mariae, quae illud subiit non semel sed bis. In utroque examine, iudicio obstetricum et peritorum virgo reperta est, post discussionem finalem a domicilio coniugali ; et quamvis, ut iam dictum fuerat, praescripta a Iure non fuerint adamussim sequuta in primo, neque etiam in secundo processu, defectus eius generis videntur, qui sanationem admittunt et merentur, dum pars valida processus, seu quae nullitate non laborat, veram constituit probationem. Pars valida ea est quae respicit obstetrices.

Nam illae fuerunt a *Ridice delegato selectae, non ab ora-*

*trice;* fuerunt « *bonae famae, prudentes et arte sua et praxi peritae* » testatur ipse Iudex « *iuramentum emiserunt de munere fideliter adimplendo, et singulae depositionem propriam iuramento firmaverunt* ». Iam vero ex ipsarum testimoniis duo clare habentur: I°. Mariam esse virginem; 2°. parvam incisionem in corpore peractam, nullo modo obliterasse signa physicae integritatis ; siquidem membrana hymenis remanserit intacta, et dilaceratio, qualiscumque sit per operationem effecta, alia omnino est et diversa ab illa quae consummationem matrimonii sequeretur.

Submissis his peritiis obstetricum duobus medicis Vallois et Poincarré, illas approbarunt et confirmarunt.

Haec ex primo processu eruuntur; manca sunt, absque dubio, verum sua vi non carent. Sunt testimonia iurata a personis de quarum sinceritate et scientia non est cur dubitemus; ea, igitur, proferenda duxi ut adminicula in favorem confessionis Mariae.

In secunda corporis inspectione, primo adhibebatur balneum aquae tepidae per tres quadrantes horae et res tota in praesentia matronae designatae fiebat. Deinde tres vocatae fuere obstetrices, duae supranominatae cum altera. Depositiones sunt magis explicitae, affirmant existentiam hymenis et vaginae altitudinem naturalem, quae duo sunt, pro ipsis, indicia non dubia virginitatis, affirmant praeterea incisionem nullatenus laedisse hymenem.

Cui sententiae eo magis insistendum, quod Processus in quantum iuridicus, hic finitur ! Quae sequuntur, irrita sunt. In actis Processus testimonium iuratum medici nullum invenitur, nec verbum aliquod, quo gravissima haec omissio explicetur! Loquor non de primo, sed de secundo Processu post acceptas litteras'S. C C . instituto. Tam strana res est, ego equidem suspicari mallem errorem aliquem in transcriptione actorum. Sane, obvium est, testes, in causis, quoscumque, etiam peritos, iuratos esse debere, nam testis iniuratus non probat; vel si, uno ex mille praeiudiciis, quae nostro saeculo contra res et personas ecclesiasticas.pullulant,

hi medici, detenti, iuramentum recusaverint, aut quaerendi essent alii, aut saltem difficultas in Processu declaranda.

Ponamus autem depositionem medici Poincarré, debitis indutam conditionibus iudicialibus, nullum dubium quod summi valoris esset. Probat integritatem moralem et physicam Mariae, probat impotentiam saltem temporaneam Rogerii. Confirmat quoad haec, depositiones obstetricum, quae, licet in se probationes sint et ut tales in iure et penes S. C. C. admissae, nihilominus, robur, et vim maximam accipiunt ex testimonio independenti medici alicuius periti.

Verum, si rigorose standum est Constitutioni Benedictinae et Instructionibus citatis defectus processus erunt oratricis causae valde nocivi, quin dicam destructi vi ; sed ex alia parte, cum ipsa sit, quoad hoc, ab omni culpa immunis, cum partes proprias fideliter adimpleverit, producendo testes et inspectionem, bis subeundo. Crederem ego, sanari posse processum quoad hos defectus, et procedi « rei veritate inspecta » ad sententiam definitivam.

Cap. *Proposuisti*, de Probationibus, admittit iuramentum mulieris cum testimonio septem aliorum, quae per inspectionem, eam esse virginem deprehenderunt, contra virum, contrarium etiam sub iuramento asserentem. Hic autem vir fassus est matrimonium non fuisse consummatum, et nulla est formido collusionis inter partes cum ipse noluerit omnino coram Iudice se sistere aut testes producere. Insuper, praeter testimonium mulierum, habemus hic testimonium medicorum, extraiudiciale quidem, sed non propter hoc omni pondere et auctoritate privatum. Deinde nulla suspicio adest circa sinceritatem Mariae, cuius pietas et religio laudantur a gravibus sacerdotibus, qui hoc testimonium proferunt intuitu istius causae, quod certe nunquam fecissent, si vel umbra extitisset alicuius suspicionis. Consideratis, igitur omnibus, tum iudicialibus, tum extraiudicialibus, mihi videtur fidem plenam mereri depositionem Mariae, tot adminiculis confirmatam; ex quo concludere licet, matrimonium non fuisse consummatum, et hoc ob impotentiam viri.

Causae dispensationis ab Episcopo allegatae, nempe odium implacabile, et verosimilis impotentia viri satis apparent ex dictis,, in quibus cerni pariter possunt abalienatio animi et aversio ob indolem mariti et convicia et vexationes quae impossibile reddiderunt commune domicilium. Res eo progressa est nunc, ut nulla omnino affulgeat spes reconciliationis inter partes, etiam si, sine scandalo talis fieri poterit reconciliatio. Quapropter causae sunt gravissimae et cum nonconsummatio videatur certa, censeo posse supplicari S. Sedi pro dispensatione matrimonii rati, sed non consummati inter Rogerium et Mariam, quondam initi.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium, quod die 10 Decembris 1890, in aetate annorum 29 constituta, Maria cum comite Rogerio 39 annos nato, contraxit, opere imperfectum proclamat.

Neo-coniuges usque ad diem 1 Februarii 1891 vitam coniugalem duxerunt ; quo die ad paternam domum a viro Maria remissa est. Si Rogerium audias, Maria, si Mariam, Rogerius est ineptus ad opus.

Inquisitio vero adeo perfunctorie facta est, ut in ancipiti non solum sit per queni steterit quominus matrimonium consummaretur, sed, quod potissime attendendum venit an reipsa inconsummatum sit.

Lectissimus consultor canonista accurate inquisitionis vitia recenset. Ego autem, ne videar actum agere, contentus ero recolere cum iurisconsulto doctissimo Pauló* Rúbeo in S. Rot. *decis. 392, n. 27 et seqq. part. 4 rec:* « Quando agitur de dissolutione matrimonii, quod est magnum sacramentum, omnis diligentia et cautela adhibenda est, ut quantum humana fragilitas patitur, omnis fraus et error excludantur. Ideoque ecclesia induxit tam exquisitas solemnitates antequam similia matrimonia dirimantur».

Eapropter in sententiam humanissimorum consultorum, theologi et canonistae, descendere non possum, sed postulo ut compleantur acta processus ad formam iuris.

Hisce praenotatis, propositum fuit diluendum

## Dubium

*An consulendum sit SS ño pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. C. re discussa sub die 25 Maii 1895, censuit respondere : *Praevia sanatione actorum, affirmative.*

# TOLOSANA

## DISPENSATIONIS MATRIMONII

*Die 25 Maii i 895.*

**Sess. 24 Cap. 1 De reform.**

COMPENDIUM FACTI. Maria 22 ao^ens annos et Carolus Lodovicus 30 annorum, die 12 Augusti 1890, matrimonium iuxta formam a Tridentino praescriptam contraxerunt in Ecclesia vulgo, de la Dourade, Tolosae, ex qua. uterque ortum duxerat.

Huiusmodi coniugium infelicem habuit exitum, siquidem vir, si dictis Mariae fidem praestes, quum matrimonium consummare recusasset, a prima nuptiarum nocte uxorem turpe despicere cepit, eaque in diversorio sola derelicta, ad amasiam invisendam perrexisse videtur, quae eum a Baiona Tolosam sequuta erat.

Hinc iurgia ac contentiones inter coniuges, hinc vexationes, quas acerrime vir in uxorem exercere coepit Baionae, quo ipse redierat. Quum enim Maria, ut ipsa narrat, virum reprehendisset, eo quod publice quoque praedictam amasiam frequentare non erubesceret, suum infensum animum erga uxorem patefecit. Frequenter maritale domicilium per aliquot dies deserebat, falso eam esse amentem dictitabat, imo saepius crudeliter illam percutiebat, non sine eius vitae periculo.

Denique die 30 Iulii 1891, uxore definitive relicta, a Tribunali civili sententiam divortii petiit. Quod cum Maria resciverit, adivit et ipsa Tribunal atque separationem corporis bonorumque facile obtinuit, 27 Ianuarii 1892.

Postea actrix, omni spe deiecta virum ad bonam frugem reducendi, supplicem ad Supremum Pontificem misit libellum, enixe efflagitans dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Patronus ad matrimonii suae clientis inconsummationem probandam refert imprimis iuratam ipsius depositionem. Interrogata enim Maria a Iudice, num tuto affirmare posset matrimonium consummatum non fuisse, respondit : « Je persiste à affirmer que notre mariage n'a pas été consommé ».

Quod Mariae, notat orator, plena adhibenda sit fides, testes, inter quos Parochus, unanimi voce declarant. Confessionem autem ab actrice panditam, prosequitur advocatus, testes omnes confirmant unanimiter.

Nec, ait patronus, ex eo quod maritus Carolus licet rite citatus, in iudicio comparere recusavit et ideo etiam testes ab eo inducendi desint, damnum oratrici obvenire potest. Contumacia enim alterius ex sponsis, in causis matrimonialibus, praeiudicium afferre non potest alteri parti, quae iudicio sistit legitimam actionem explicatura.

Ceterum, prosequitur orator, si qua forte dubitationis alea posset superesse de inconsummatione matrimonii initi inter Mariam et Carolum, dubium evanescit omnino, si prae oculis habeantur depositiones et relationes Obstetricum et Peritorum Medicorum, qui ad iudicialem Mariae corporis inspectionem, servatis omnibus sacrorum canonum praescriptionibus processerunt.

His patronus circa matrimonii inconsummationem disputatis, ad dispensationis causas descendit.

Prima dispensationis causa, ait ipse, repetenda est ex pertinaci viri proposito matrimonium non consummandi, licet plurium mensium spatio cum uxore cohabitaverit. Ita in confessione apud iudicem oratrix profitetur: « La non consommation du mariage doit être attribuée à mon mari, le

quel ne m'a jamais demandé ce que j'ai su plus tard être l'acte coniugai ; s'abstenant de cet acte, soit parce qu'il ne voulait pas d'enfants, soit à cause d'une maladie honteuse, soit à cause de l'horreur qu'il manifestait pour moi, soit peut-être à cause des relations coupables qu'il entretenait au-dehors avec d'autres femmes ».

Secunda causa iuxta oratorem in reconciliationis coniugum impossibilitate habetur, uti testes omnes uno ore proclamant.

Aliam dispensationis causam repetendam esse vult patronus e periculo incontinentiae, in quo oratrix viridem adhuc agens aetatem, miserrime versatur. Nemo autem est qui ignoret, spiritualem utilitatem petentis dispensationem, plurimi semper fuisse habitam ad gratiam concedendam, ceu testatur *Perez de matr. Disput. 20, sect. 7, num. 11,* et docent passim *S. Pota* et innumerae Sac. huius Congregationis resolutiones.

Hisce orator addit fundatissimam impotentiae viri suspicionem.

Ultimam dispensationis causam invenit patronus in insuperabili Mariae aversione ab instaurando rursus cum Carolo matrimoniali contubernio. Et merito, cum inimicum potius quam maritum Carolus se praebuerit. Sufficiat enim recolere omnes illas gravissimas saevitias, quibus Carolus infelicem sponsam afficiebat, quaeque in probatis habita sunt etiam a Tribunali laico Baionensi.

Tandem advocatus contra Tolosanum vinculi defensorem, qui ultro admittens matrimonii inconsumationem, vellet a Summo Pontifice dispensationem non concedi, ne scandalum eveniret, refert Emi Archiepiscopi Tolosani testimonium, qui acta processus ad S. C. transmittens ita scribit: « Existimo absque gravi incommodo dispensationem posse concedi immo peropportune, si attendatur mariti prava agendi ratio et indignitas quae causa fuit cur sponsorum separatio de plano iam pronuntiata fuit in civili Tribunali Baionensi. Nec huic gratiae obstare mihi videtur haec consideratio,

quod hucusque honeste et religiose vixerit Oratrix, attentis humanae naturae infirmitate ac dictae Oratricis adhuc iuniore aetate ».

ANIMADVERSIONES S. VINCULI ASSERTORIS. Contra autem vinculi defensor, ex ipsis actricis verbis matrimonii consummationem probare contendit. Ait enim Maria, Carolum numquam, spatio unius anni cohabitationis, tentavit matrimonii consummationem. Sed. huiusmodi factum, quod suapte natura incredibile est, magis incredibile redditur a Maria, dum adiicit: supponi debet quod Carolus dum nuptias iniret, tantum ad oratricis dotem respiceret, aut aliquali detineatur impotentia ad actum coniugalem. Pauca nunc de utraque hypothesi per Mariam excogitata.

Quod attinet ad primam, ait orator, si Carolus Mariae divitiis inhiabat, potius credendum est, eum omni vi adlaborasse ut uxori satisfaceret illamque matrem efficeret, quam a re coniugali abstinuisse. Sciebat etenim quomodo, perdurante in Gallia lege civili divortii, quisquis e coniugibus possit a matrimonio resilire et omnia bona sua a coniugali domo asportare. Et in confessis insuper est, iuxta sacramenti defensorem, Carolum Mariam sibi matrimonio coniunxisse ardentissimo amore abreptum.

Ut hisce laqueis, observabat defensor, se expediat Maria, Carolum in virum traducit, mendacissimum omnium, et per quinque vel sex menses, dum indomiti amoris sensa manifestavit, semper mendacia dixisse. At contrarium in probatis est. Nam testis minime suspectus, actricis mater, refert : « Une femme qui avait connu Charles enfant, nous l'avait proposé et nous l'avait donné comme modèle, et les renseignements fournis par les Jésuites, ses anciens maîtres, furent excellents ».

Relate autem ad secundam hypothesim, quod nempe Carolus coeundi impotentia laboraret, satis est, prosequitur defensor, recolere, quae Maria laico magistratui denuntiavit quaeque inter se pugnant.

Si vera, observat orator, tribunali laico narravit Maria,

absolutis nuptiis, neo-coniuges voluptuario itineri se commiserunt, post mensis absentiam, Tolosam reversi sunt, uxor incidit in morbum, vir uxorem adversa valetudine affectam domi solam tota die relinquebat: uxor tum primum cognovit virum insanis alterius feminae amoribus irre tiri. Si versa vice vera renuntiavit Beatissimo Patri et ecclesiastico iudici, Carolus ipso nuptiarum die Mariam, adulterinis amplexibus illectus, reliquit, et postridie eius diei Mariae rem omnem aperuit. Certum est itaque, ait defensor, Mariam aut ecclesiastico aut laico iudici fabulam venditasse. Credit tamen potius eam veritati vim adhibere, dum sacratissimo Principi et iudici ecclesiastico cantiunculam recitat. Nemo enim mendax sine emolumento. Iam vero percommodum Mariae est supprimere voluptuarium nuptiarum iter, et asserere Carolum ex abrupto prima matrimonii nocte ab se divertisse atque insequenti mane adulterinos amores pandidisse. Igitur, advertit orator, si Maria factum adeo publicum, qualis est mensilis nuptiarum excursio, in actis solemnibus, in iudiciis modo comminiscet, modo pro lubitu supprimit, eidem fidem adiicere non debemus, dum facta narrat quae absque testibus et arbitris perficiuntur, dum affirmat Carolum, etsi omnigena amoris argumenta sibi exhibuerit usque ad matrimonii celebrationem, amorem in odium, expleto nuptiali ritu, statim vertisse et coniuges per annum in uno eodemque lecto concubuisse quasi statuas marmóreas.

Facta huiusmodi, notat matrimonii vindex, inter miracula absque ambagibus recenset Coscius *De separat, tor. lib. 3, cap. 2 num. 261 et seqq.:* « Si uterque coniux affirmet quod propter reciprocum odium et antipathiam copulam habere non potuerint, hoc opus, hic labor erit inveniendi aliquem qui absque ulla amaritudine statim illis credere possit hoc fecisse miraculum. Illud profecto (miraculum) facere nescierunt, qui invisum matrimonium per vim et metum cadentem in constantem virum propter antipathiam et odium, contrarietatem et aversionem, seu corporis deformitatem sine consensu nulliter contraxerunt, et tamen in oc-

casione positi ex eorum congressu filios procrearunt— Durum est ergo credere, quod duo sponsi ambo potentes, qui ad explendam libidinem voluntarie statum coniugalem elegerint, in ea aetate, quae viribus pollet, inter noctis tenebras, quae nec pulchritudinem admirari, nec deformitatem contemnere sinunt, inter tactus cuiuscumque partis-corporis diversi sexus, inter amplexus, qui in actu simili evitari non possunt, nec semel forsan, nec una tantum nocte, sed pluries in actuali situ coniunctionis positi, durum, inquam, est credere quod in duas lapideas statuas converti possint... »

« In his ergo circumstantiis, prosequitur Cose, non ita facile coniugum confessioni de non consummatione, nec obstetricum relationi de mulieris virginitate deferendum venit, sed scrupulose investigandum, an coniuges in eo actu, in quo, ut ait D. Augustinus, libido totam absorbet rationem, vere et realiter se non consummasse cognoverint, an obstetrices decipi potuerint, vel mendacio decipere tentaverint ». Eapropter nemo non videt, arguit defensor, quid responderet Coscius ad praesentem controversiam, in qua testimonium obstetricum nullimode obtinet, nec obtinere potest; a qua exulat quaecumque matrimonii coacti vel antipathiae suspicio ; qua in controversia testes, qui adversus matrimonium testimonium dicunt, nihil, prorsus nihil de inconsummatione sive a coniugibus sive ab aliis tempore non suspecto audierunt. Omnes enim contenti sunt spondere de honestate et veracitate actricis.

Dolet praeterea matrimonii tutor, quod medici obstetricibus minime significaverint alias praeter genitalia in recognitione corporis partes esse explorandas. Profecto Zacchias in hac re facile princeps, postquam praemiserat corruptas iuvenes nonnunquam vasa muliebria nonnullis lotionibus adstringentibus aliisque aptis medicamentis adeo adstricta et angusta reddere, ut non modo naturalem cohaerentiam ante violatam virginitatem adaequent, sed etiam longo exuperent prosequitur *lib. 3/tit. 2, q. 7, num., 3 et seqq. lib. 4, tit. 2, nuru. 13:* (ibi) « Quoniam interdum pro veritate

medicus interrogatum ut de integra, seu violata virginitate sententiam ferat, ne ex simulata per haec medicamenta decipiatur in iudicando, paucula haec quae sequuntur animadvertere debet. Et primo debet____non ea solum, quae ex muliebrium vasorum constitutione desumuntur perpendere, sed alia quoque, quae ex mammarum, pectoris, ventris, totiusque denique corporis statu elicere licet____» « Quibus ponderatis, ita ille, *cit. lib. 2, tit. 2, q. 7', num. 4,* ad muliebria loca consideranda se conferat, quae ubi naturaliter habeant, cohaerere quidem, ac conni vere reperiet, sed naturali quadam humiditate, earum partium propria, dotata adnotabit ».

Observat insuper defensor, explorationem ad muliebria limitatam, deceptioni obnoxiam esse non solum ob memoratum fraudis periculum, sed etiam ob alias causas omnino naturales, quas recenset antedictus Zacchias *lib. 4, tit. 2, q. 1, n. 28. et seqq,;* ubi perlongo sermone probat, quomodo, integro existente hymene, mulier deflorari, imo et concipere possit.

At Tolosanae obstetrices nihil, prorsus nihil, ait orator praeter Mariae cunnum recognoverunt.

Quibus hinc inde relatis, propositum fuit enodandum,

## Dubium

*An consulendam sit $S~w pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 25 Maii 1895. censuit respondere: *Affirmative.*

# CASTRIMARIS

## IURIS ADSCRIPTIONIS AD CLERUM

*Die 25 Maii 1895.*

**Concil. Trid. Sess. 27 c. 5 De ref.**

COMPENDIUM FACTI. Coetus Sacerdotum simplicium civitatis Castrimaris ab eiusdem Civitatis Communitate, sub anno 1766, Ecclesiam sub titulo *Iesu et Mariae obtinuit gubernandam,* et *administrandam,* quam antea Patres Iesuitae, postea, Carmelitae dereliquerant. Quia huiusmodi clerus huic Ecclesiae adscriptus in quemdam coetum coaluerat, nonnullis iuribus, praerogativis et emolumentis fruentem, ita pro admissione in eumdem, certae habitae sunt regulae quae iamdiu traditione et consuetudine continebantur, at sub anno 1801 tabulis cónsignatae fuerunt, competentis auctoritatis approbatione munitae. Inter cetera cavetur: *«La comunità adunque dei Sacerdoti semplici di Castellamare verrà composta da soli Sacerdoti della Diocesi, escluso sempre qualunque Sacerdote forestiero ».*

Nihilominus quamplurimi, aliunde nati, aliisve carentes requisitis pro cooptatione in dictum clerum necessariis, quum per fas et nefas contenderent in clerum adscribi ad eliminandas dissensiones et difficultates, idem coetus Sacerdotum simplicium congressum habuit sub die 18 Augusti 1857 pro declarando sensu genuino veterum statutorum. Deventum fuit unanimi sententia ad quamdam conclusionem, quam, Episcopus Castrimaris, eius expostulata confirmatione, ratam habuit et executioni demandari iussit decernens, ut in posterum novi Presbyteri, qui communitati praelaudati Cleri simplicis aggregari volunt, ac cupiunt, omnino habere debeant civilitatem naturalem seu originariam in hac civitate, videlicet illam provenientem ex nativitate propria in dicta Civitate ab externo patre, qui domiciliariam Civilitatem iam contraxerit in eadem Civitate et semper incardinationem Imbuerit apud Episcopum huiusce dictae Dioecesis.

Innixus huic decreto, contendens se Castrimaris civitate gaudere quidam *Antoninus di Napoli,* eo quod eius familia ab hac urbe duceret originem, inibi adhuc domicilium retineret et ibi ipse in Seminario educatus fuerit et ab Episcopo Castrimaris ordinatus, quamvis per accidens alibi sit natus et «ius familia huc illae per plures annos migrare coacta fuerit, vix ac fuit Sacerdotio initiatus die 11 Ianuarii 1892 petiit adscribi in clerum receptitium Ecclesiae sub titulo *Iesu* et *Mariae;* cuius intentioni idem clerus renuit, eam ob causam quia Sacerdos Antoninus non civitate Castrimaris frueretur a Statutis requisita, quum ibi non fuerit natus sed in Sorrentina archidioecesi.

Sacerdos *Di Napoli* contra hanc Statutorum interpretationem ad Curiam episcopalem recurrit, formiter intendens iudicium instituere. Clerus, conventus cum primis opposuit exceptionem fori declinatoriam ratione incompetentiae, praetexens, se efformare presbyterorum *laicalem* congregationem, quippe approbatam tantum a laicali Regis potestate. Hanc respuit exceptionem Curia episcopalis ob *personale clericorum* fori privilegium et sua declarata competentia, in merito causae, sententiam protulit favorabilem Sacerdoti Di Napoli decernens *die 22 Maii 1892 : « Sacerdotem Antonimim Di Napoli, civitatem naturalem et originariam possidere, esse Sacerdotem simplicem atque incardinatum Ecclesiae Castrimaris Stahiarum, ac proinde in iure se adscribendi in albo Presbyterorum Ecclesiae Iesu et Mariae ».*

Contra sententiam ad appellationem apud curiam Metropolitanam Sorrentinam confugit clerus Castrimaris receptitius, instans tum quoad exceptionem fori Ecclesiastici declinatoriam, tum quoad meriti decisionem. Curia Surrentina perfracte reiecit exceptionem incompetentiae, confirmans quoad hanc partem, sententiam primae instantiae, et infirmans sententiam Ordinarii Castrimaris, qui ius eiusmodi adiudicaverat Sacerdoti Di Napoli.

Appellationis auxilio fretus ad S. C. C. contra hanc sententiam confugit sacerdos Antoninus Di Napoli, qui in

processu apud Curiam Sorrentinam semper renuit respondere, se contumacem praebens, quare in eius contumacia sententia edita fuit. Contumaciae hanc praebuit excusationem, nimirum Curiam metropolitanam causam appellationis suscepisse praeoccupata opinione et iam publice significato proposito infirmandi sententiam prioris instantiae.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO COMMUNITATIS PRAESBYTERORUM. Communitas sacerdotum simplicium Castrimaris per constitutum patronum suas proferens allegationes, primo notat, potuisse adversarium repelli ab ulteriori appellatione, quia futilibus rationibus se contumacem reddidit, et citatus penes iudices arbitros ad re ferendas rationes, et probationes suae recusationis pertinaciter se abstinuit.

Dein instans patronus potius confisus in merito causae intrinseco, ait, quod adversarius in dictum clerum admitti non potest, quia destitutus originaria nativitate, nec non titulo constantis domicilii patris, qui alio se contulit ac civitatem Castrimaris deseruit. Nam art. 7. statutorum satis determinat eligendi qualitatem. « La comunità dei sacerdoti semplici del Clero di Castellammare verrà composta di soli Sacerdoti della diocesi ». Praeterea auctorante Episcopo decisive declaratum, ac pro lege decretum fuit, ut in posterum novi presbyteri, qui com munitati cleri simplicis aggregari volunt ac cupiunt, omnino habere debeant civilitatem naturalem seu originariam in hac civitate, videlicet illam provenientem ex nativitate propria in dicta civitate ab externo patre qui domici harem civilitatem iam contraxerit in eadem civitate.

Hoc decreto, iuxta patronum, lex statuti evidens et clara omnem aliam interpretationem expellit, et omnis prorsus excluditur exceptio sive in linea praescriptiva, sive praesumptiva vel interpretativa. In statuto duo copulative requiruntur nativitas in civitate et patris domicilium, quorum si unus deficit iure ad consortium sacerdos admitti nequit.

Siquidem qualitates plures a statuto requisitae omnes comprobari debent, nec sufficit probare unam sine altera, Rota *rec. decis. 78, p. 3 rec.* etc.

Quaelibet societas, pergit orator, quaelibet communitas, imo fere omnes civitates et regiones peculiaribus statutis reguntur, quae inviolabiliter sunt servanda quippe in casu non agitur de illicitis et iis quae disrumpunt nervum disciplinae ecclesiasticae. Ad rem Card. De Luca *De iudiciis disc. 36 n. 42 et seqq.*, apprime determinat peculiarium statutorum praevalentiam in iudicando, sive in foro laicali, sive in foro ecclesiastico, *num. 44* in primo casu docens statutum alicuius, universitatis subalternae esse primo loco attendendum, et deficientibus iuribus particularibus recurrendum esse ad ius commune civile in foro saeculari. In secundo casu nempe in foro ecclesiastico, sic edisserit *num. 49* ibi: « In altero autem genere iuris ecclesiastici seu canonici retinetur idem ordo comparative, quod scilicet prius attenditur ius magis particulare quod consistit in legibus vel statutis alicuius capituli, vel collegii aut alterius ecclesiasticae universitatis in iis quae seipsam eiusque membra concernunt. Postea vero attenduntur constitutiones synodales, dioecesis, et in istarum defectu successive, et gradatim constitutiones synodales provinciae. Et demum ius canonicum seu Pontificium generale, quod continetur in libris decretalium vel in Apostolicis Constitutionibus, quae pro Ecclesia Universali conditae sunt ».

Sed vero leges huiusmodi statutorum, instat patronus, éliminant abusus concurrentium ad participationem, quae ad minimum redigerentur cum praeiudicio aliorum, et cum negligentia divini cultus. .Aliunde Summi Pontifices in regno utriusque Siciliae hasce approbarunt consuetudines. Prae ceteris Paulus III. in Ap. Brevi. *In supereminenti* coarctat numerum participantium ad clerum ecclesiae Tarentinae, quippe propter innumeros clericos, qui importune admitti cupiebant ad clerum, singuli cives dictae civitatis, singulos eorum natos ad alimenta sibi necessaria aliunde quaerenda

cogebantur. Expostulabatur idcirco quod ex tunc de cetero admittendi in choro huiusmodi essent, et esse deberent idonei et de electo genere civium civitatis Tarenti iuxta antiquam consuetudinem, ac eisdem capitulo, et clero concessa privilegia. Cui petitioni benigne annuit Summus Pontifex, requisitis enumeratis, dummodo in dicta ecclesia, iuxta antiquam consuetudinem, deservierint, sitque de electo genere civium antiquorum Tarentinorum ex utroque parente procreatus. Et S. C. C. die 24 Apr. 1860 ad propositum dubium : « *An posita dispositione ]3revis Pauli III circa genus admittendorum ad participationem, possint admitti filii advenarum qui ultra decennium in civitate Tarentina vigore pragmaticae eiusdem dicti regni tamquam cives reputantur Ì* » respondit « *non posse in posterum admitti praefatos cives* ».

Dein Patronus affert in suam causam nonnullas SS. CC resolutiones. Sic S. C C. in Spoletana 30 Martii 1861 subsidii dotalis reiecit instantiam quarumdam puellarum, quae aliunde natae, praetendebant consequi dotale subsidium propter acquisitum domicilium ; cum in statutis designabatur qualitas puellarum cioè « che siano native di Usigni, o figliuole di padri e madri che abbiano abitato in Usigni, e che ancora vi abitino ». Sed S. Congr. ad dubium: « *An sint admittendae ad subsidium dotale* » responsum dedit *Negative.* S. Congr. EE. et RR. in Fanen. *Praelationis* diei 25 Augusti 1893 « relativamente alla concessione di due posti gratuiti pro alendis dictae terrae adolescentibus » contendens ex una parte Barbadoro di Monda vio, originario della terra, ex altera quidam Stortonius praetendens admitti, quantumvis aliunde natus, nempe in S. Andrea diocesi di Pergola, S. Congregatio resolvit, mansionem gratuitam dandam fuisse adolescenti Barbadoro e Mondavio (1).

Atque in hunc sensum pergit patronus, civilis iuris interpretes huiusmodi conditiones praesertim de naturali nativitate iudicium ediderunt. Inter alias decisiones affert PP.-

(1) **Habes hanc quaestionem Vol. XXVI, 563.**

gien. *Consortiu* coram Emerix diei 26 Aprilis 1676, ubi quidam Mauritius (ceu in casu Antoninus) a consortio reiectus fuit, quia bene ponderatis verbis constitutionis, ille non habere qualitates requisitas visus est, quae principaliter in vera et reali habitatione ac origine consistebant, adnotata per Abb. in *cap. Cum in cunctis de eieci.,* Garzia *De benef, cpuaest. 7. c. 15,* Rota cor. *Duram dec. 8 n. 3* etc. : « Constitutio enim (sic S. Rota edisserit) praedicta in *c. 12* disponens (quod in terra, seu oppido Herberiae natus, et de patribus qui per decennium saltem ante etc. et eum ibi educaverit, et non aliter, nec alio modo recipiatur, et electio aliter facta, absque requisitis praedictis, ipso iure sit nulla) duo distinguit casus, et in utroque diversa requisita exposcit : in primo scilicet in nato in oppido decennalem habitationem parentum; in secundo autem videlicet in nato in territorio originem eorumdem parentum ex ipso oppido. Hanc vero decennalem habitationem patris et matris in oppido Herberiae ante illius nativitatem non adstruunt testes, per eumdem Mauritium inducti, quia praeter exceptiones quas patiuntur, redarguuntur de contrario ab aliis, per consortiales examinatis super negativa habitationis, qui cum illam recte coarctent et adminiculentur, etiam sunt praeferendi; *cap. licet causam de prob.* etc. »

« Neque obstat quod Marius tenuerit in dicta terra Herberiae domum apertam, ibique possèdent bona, ac pro illis collectis solverit, ideoque videatur non amisisse domicilium, et habitationem saltem animo retinuisse, quoniam neque domicilium, neque ficta habitatio, qualis est animo detenta satisfacit menti dictae constitutionis, quae requirit veram et naturalem habitationem, prout indicant illa verba habitaverint et eum ibi educaverint quaeque solum haberi potest per corporalem existentiam, seu moram in ipsa terra, et ita distinguendo domicilium ab habitatione notant Barbosa *de off. et pot. Episc.* Menoch. *praesum. 42, n. 2, et Dec. Cons. 37, ii. 9,* ibi. Et dicitur habitare quando ibi moratur, comedit, et bibit ».

« Minus Mauritio concurrunt qualitates per constitutionem requisitae in secundo casu; ipse enim non est natus in territorio, sed in oppido, et Marius pater non ducit originem ex oppido, sed ex villa SS. Faustini et Io vitae ab eodem distante per duo milliaria, et Helena mater ex civitate Parmensi ».

In sequelam harum doctrinarum, advertit patronus, et post observationem ferme quadragenariam a confirmatione ac declaratione curiae Castrimaris non patet quo iure praesumat adversarius, contradicente statuto, adscribi in peculiare consortium.

Deinde observat advocatus quod sententia Curiae Castrimaris frustra recurrit ad Constit. *Speculatores* Innocenti XII confundens domicilii nativitatem cum acquisito domicilio ad ordines sacros suscipiendos. Nam nemo non intelligit quod si aliquis externus, puta Parmensis, Venetus, aut Neapolitanus Romae stabile domicilium vel beneficium residentiale consequetur, canonice possit ad sacros ordines extolli. Pariter vel a primis iurisprudentiae elementis addiscitur, posse Episcopum conferre sacros ordines familiari suo, qui per integrum , et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit.

Quare concludit, quod iam exposita sane non tangunt neque vulnerant aestimationem sac. Antonii Di Napoli, sed legem statutorum providentissimam protuentur, ne cum damno tertii participantes multiplicentur ; et obliteretur adagium: « Principiis obsta; sero medicina paratur ».

DEFENSIO SACERDOTIS DI NAPOLI. Favore huius Sacerdotis, qui speciales allegationes pro hoc appellationis gradu non protulit, nonnulla excerpta sunt ex actis et probatis in prima et secunda instantia. Ex his enim quoad factum originis et domicilii familiae Sacerdotis Di Napoli constat die 15 Iulii 1792, in paroecia Domus Castrimaris baptizatum fuisse Vincentium Di Napoli, avum Sacerdotis Antonini, natum ex coniugibus Antonino et Caietana di Napoli, qui cives Castrimaris et ipsi iam fuerant. A Vincentio procreatus fuit

Aloysius in civitate Neapoli, quo pater negotii causa sese contulerat, retinens tamen domicilium in Civitate Castrimaris. Ex Aloisio autem natus est Antoninus qui expleto anno undecimo ingressus est Seminarium Castrimaris; ubi ad sacros ordines promotus fuit usque ad sacerdotium inclusive et in Bullis sacrae ordinationis, adiectum fuit : *huius civitatis Castrimaris Stabiarum.*

Ad rem Schmalzgrueber Part. III, lit. IX, n. 37 ait : Ex illa autem dioecesi vel loco quis oriundus censetur, in quo dum natus est, pater eius domicilium constitutum habuit. Neque refert, quod ipse natus fuerit alibi, quia v. g. parentes eius officii, legationis et negotii gerendi causa, dum ipse nascebatur, extra domicilium suum morabantur, nam adhuc, fictione iuris, in loco domicilii natus censetur, ut colligitur ex L. *filios* 3. C. de mun. et orig. et L. *cives* in fine C. de incolis : Domicilium originis paternae etiam censetur domicilium filii. Et alibi passim. Notandum insuper est quod Concilium Tridentinum Sess. XXIII de Reformat. Cap. VIII praescripsit: unusquisque a proprio Episcopo ordinetur. Et Innocentius XII sua Bulla *Speculatores,* qua disposuit quod pro ordinatione procedere possit tam Episcopus originis, quam Episcopus domicilii, stabiliter constituti, vel per decennium saltem in eo loco habitando vel maiorum rerum ac bonorum suorum partem transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstravit et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Si vero ex *accidente,* occasione nimirum itineris, officii, legationis mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae seu permanentiae eius patris in illo loco natus fuerit, tunc vera et naturalis patris origo attendenda erit, ac proinde filius sequitur originem patris. Quam doctrinam sequuta est S. Congregatio Concilii in definiendis controversiis inter Archiepiscopum Neapolitanum et Episcopum Vici Equensi s pro ordinatione clerici Benedicti Mannella die XII Martii 1718

et inter Episcopum Tusculanum et Eminentissimum Vicarium Urbis pro ordinatione clerici Francisci Antonucci die XXVII Aprilis 1820. Ex documentis exhibitis autem et ex depositione testium, nulla opposita suspicione super iisdem, nec facta exceptione super eorum depositionibus, clarissime patet, familiam di Napoli a proavis sacerdotis Antonini Di Napoli in Civitate Castrimaris Stabiarum moram duxisse, ibique bona stabilia et negotium habuisse, ibique matrimonium contraxisse et mortem subiisse, ita ut vere originariam civilitatem possedisse. Nec obstat huic originali civilitati ortus Aloysii Di Napoli patris Sacerdotis Antonini ; qui ortus Neapoli evenit, ceu colligitur ex fide ipsa nativitatis, ratione itineris temporanei postea tamen Castrimarem reversus, ibidem artifex in Arsenali fuit et postea negotiationem exercuit usque ad mortem ; quamvis ratione infirmitatis uxoris, Surrentinam Dioecesim per aliquot annos petierit, numquam tamen animo ibidem permanendi, quod absolute ad domicilium acquirendum requiritur LL. cit. Etsi Sacerdos Antoninus Di Napoli Castrimari conceptus ex accidente in Paroecia S. Agnelli Surrentinae Dioecesis ortum habuerit, quia mater ex praescriptione doctoris physici, valetudinis causa Surrentum petiit, et quamvis in dicta dioecesi alias duas filias procreaverit, tamen transmigratio ipsa et reditus in patriam Castrimaris satis superque docet, numquam domicilium ibidem contraxisse eo magis, quia negotia et domicilium Castrimaris numquam Aloysius Di Napoli, caput familiae, deseruit. Cum vero in peninsula Surrentina, nunc uno, nunc in alio loco fuerit, apertum argumentum est nullibi animum fuisse ei ibi incolendi permanenter. Sacerdos vero Antoninus di Napoli undecimum aetatis annum agens clericatui Castrimaris adscriptus, in Seminarium fuit receptus, et iuris ordine servato, tamquam clericus Castrimaris tonsura initiatus, ad minores et maiores Ordines, usque ad Presbyteratum, promotus ab Episcopo Castrimaris, tamquam proprio eiusdem Episcopo, tempore utili preces porrexit Praeposito Cleri Ee-

clesiae Iesu et Mariae pro adscriptione sui nominis in albo presbyterorum eiusdem Ecclesiae quae preces fuerunt reiectae.

Hisce aliisque in utramque partem adductis, propositum fuit diluendum

## Dubium

*An sententia Curiae Metropolitanae diei 20 Nov. 1893 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. S. C. C. re disceptata sub die 25 Maii 1895, censuit respondere: *Sententiam esse infirmandum.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Censendum esse quempiam oriundum ex illa Dioecesi aut loco, in quo, dum natus est, pater eius domicilium constitutum habuit.

II. Non obesse huic maximae, aliquem alibi nasci dum parentes, locum alium petierint officii, legationis, aut negotii gerendi causa, firmo manente domicilio; nam fictione iuris, censetur natus in loco domicilii.

III. Filium sequi patris originem, quoties *ex accidente natus* fuerit in loco ubi pater temporalem habuit moram.

IV. In themate evictum videri, antecessores Sacerdotis Antonini numquam deseruisse domicilium proprium in civitate Castrimaris, cum animo alibi perpetuo manendi.

## NOVARIEN.

### FUNERUM

*Die 27 Maii 1895, et die 22 Iunii 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Die 21 mensis, mox elapsi ad Emum S. C. C. Praefectum litterae pervenerunt parochi ecclesiae SS. Trinitatis in Novariensi civitate, ab Ordinario commendatae, quae ita se habent :

« Novariae in Pedemontanis regionibus plures sunt paroeciae, commune Coemeterium extra muros habentes.— Non

raro evenit, ut nonnullorum cadavera, qui extra urbem defuncti sunt, via ferrea demandentur, ut in urbano coemeterio sepeliantur, qui defuncti vel usque ad mortem domicilium in urbe retinuerunt, vel olim tantum habuerunt, sed illud iamdiu amiserunt, vel nullum unquam domicilium aut quasi-domicilium habuerunt, sed illis tantum sunt parentes vel consanguinei in urbe commorantes. Mos porro hisce in casibus apud nos invaluit, ut clerus vocetur, qui erecta cruce, solemniter comitetur cadavera a loco, qui vulgo *Statio* viae ferreae, nuncupatur, usque ad commune Coemeterium, servato saepius recto tramite extra urbem, ducta aliquando per urbanas vias pompa, rarius autem exequiis aliquo in templo iteratis ».

« Hisce expositis, cum hic non agatur de simplici transitu cadaveris de loco ad locum, sed de vera funeraria functione rursum super cadavera instituenda, de quo speciali iam nihil in Dioecesana Synodo, et nihil pariter apud vel recentiores auctores, neque ulla usque nunc inveterata consuetudo, cum alias aliter actum sit, ad rectam agendi rationem, absque ulla iustitiae laesione dignoscendam, humillime a S. C. C. quaeritur :

« Num Parochus cuiuslibet urbanae paroeciae, indiscriminatim pro omnibus casibus superius recensitis, ad libitum vocari possit a parentibus vel consanguineis defuncti, vel potius semper, vel aliquo saltem in casu, ex superius recensitis, Parochus illius paroeciae sit *iure* vocandus, intra cuius fines *Statio* viae ferreae sita est ».

## Disceptatio Synoptica

Ex officio animadversum fuit in iure compertum esse, Parochum proprium pro funeribus illum esse in cuius districtu, quis dum moritur, domicilium aut quasi domicilium habet. *C. 3, De sepult, in VI Canic. Dudum De sepult, et Rit. Rom. De exeq.* Et idcirco ad Parochum domicilii aut quasi domicilii competit, nedum corpus efferre et dedu-

cere funus ; sed insuper, si defunctus in parochiali sepelienda sit, exequiales preces super illum peragere ac demum humo eumdem mandare Vecchiotti, *Inst. Can. vol. 2, lib. 3, cap. 5.* Quod si defunctus magis quam in parochiali, in alia electa sepultura condi debeat, tunc de iure ordinario et communi ad parochum proprium non spectat nisi corpus levare, illudque ad ecclesiam, uti hodie vocant *exponentem* deducere, ad quam exinde cetera pertinent, soluta tamen Parocho quarta funeraria.

Quod si sepultura in dissita regione sit, non ideo iura mutantur. Tantummodo differentia in hoc datur, quod nempe ne defuncto suffragia nimium differantur, ipse domicilii parochus, saltem ordinario, iusta funebria super cadaver persolvit; et idcirco illud ad parochialem ecclesiam primum conducit, et inde omnibus absolutis ad tumulantem associât. Haec statuta cleri Romani praescribunt et respondent iuris principiis. Rota *decis. 76 cor. Decursii* § *6,* D'Annibale *Sum. tom. 3* § *481.*

Ceterum quoties defunctus vel defuncti familiae constituant, ut, parentalibus expletis, corpus in remota regione humi mandetur, certum est, statim ac cadaver quo humandum est pervenerit, ecclesiae tumulantis iura reviviscere, et parochum defuncti proprium cadaveris traditionem rectori ecclesiae peragere debere, cui deinde corpus, benedictionibus praeviis, sepelire reservatum-est. Benedictus XIV. *n. 105.*

Haec perspicua plane sunt : verumtamen punctum in quo maxima difficultas enascitur, illud est, quod nempe in casu, defunctorum sepulcra non in aliqua determinata ecclesia, nec in coemeterio uni peculiari ecclesiae proprio et adnexo existunt, sed in coemeterio municipali ad quod plures ecclesiae ius habent. Obvium proinde est ut quaestiones orire possint. Ne igitur confusio fiat in casu nostro, distinguere oportet inter defunctos qui usque ad mortem domicilium in urbe retinuerunt, et eos qui nullum unquam domicilium vel quasi domicilium habuerunt, vel saltem illud iamdiu amiserunt.

In primo casu cum regula certa et probata sit, quod municipalia coemeteria singularum ecclesiarum sepulturis subrogata sint, adeo ut singulae ecclesiae iura quae olim apud se, nunc in respectivis coemeteriis exercent, et cohaerenter ex lege, qua intra moenia defunctorum corpora humari prohibebatur, nulli ecclesiae sublatum fuisse ius sepeliendi, sed dumtaxat variatum locum, cfr. Vecchiotti *loc. cit. %61 in nota,* Emum D'Annibale *I. c. nota 84* et S. C. C. in *Ariminen, Funerum 16 Iunii 1827* et *Forolivien. 26 Ianuarii 1833* etc. : quoties corpora defunctorum ad *Stationem* viae ferreae No variae accedunt, non aliis quam propriis parochis illa recipere et ad conditorium deducere reservatum videretur.

Neque parochus in cuius districtu *statio* viae ferreae sita est, ius funeris et sepulturae sibi tribuere posset, suam quia corpus ad paroeciam pervenit et per eam pertransit. Nam receptum probatamque est apud G-ardellini *tom. 7 in supplent, num. 35,* Benedictum XIV, *not. 105,* Innoc. XI *decr. a. 1676* apud Ferraris *v. Parochus § 3, n. 40,* parochum defuncti proprium alienam paroeciam ingredi posse cum Stola et Cruce, sive ut inde efferat, sive ut per eam ad tumulantem ecclesiam comitetur, sive ut ad coemeterium cadaver deducat; quin parochus loci, qua funebris associatio transit, obsistere, aut quaerere, aut iurisdictiones sibi vindicare possit.

Verum ex altera parte observari debet, quod funebris associatio per alienam paroeciam *sine solemni pompa et recto tramite* esse debet. Cfr. Vecchiotti *I. c. § 62 in nota,* et Emum D'Annib. *tom. 3 § 481 num. 79* iuxta resolut. S. C. C. diei 25 Ian. 1846 et 24 Feb. 1872; at in themate aliquando funebris associatio *cum pompa,* et per urbanas vias deducitur. Porro in his casibus iura parochi loci *Stationis* sarta tectaque esse debent : ac proinde parochi mortuorum proprii viderentur haud posse ad stationem viae ferreae accedere, defunctum recipere, ac funus solemniter deducere; nam fines et iura alterius paroeciae plane invade-

rent, contra id quod canones sanciunt. Barbosa *De Off. Par. part. 1, I. 12;* Benedictus XIV *not. 105.*

In altero casu, idest cum aliquis, a quacumque ex Novariensibus paroeciis extraneus ad *Stationem,* viae ferreae appellit, cum nihil in Dioecesana Synodo statutum sit, neque ulla consuetudo invaluerit, ius capituli ecclesiae cathedralis privative ad ceteros parochos, quibus nulla iurisdictio competit super defuncto nec ratione originis, nec ratione domicilii, nec alio titulo, tueri posset; cum ecclesia cathedralis censeatur in iure tamquam parochia universalis totius civitatis et districtus, et talis sit reapse in funeribus peregrinorum et advenarum. Barbosa *De Paroc. part. 3, c. 26, num. 35;* Passerin. *De hom. stat, et off. tom. 2, qu. 87, n. 314* et S. C. C. in *Caven. Funerum 7 Febr. 1733.*

Ex adverso vero cum aliquo fundamento forsan etiam Parocho paroeciae, intra cuius fines *Statio* viae ferreae sita est ius tribueretur : cum enim ceteri nullum iurisdictionis titulum producere possint, ut extranei sepulturam sibi avocent, nemo ex eis in alieno territorio actum iurisdictionis exercere posset multoque minus stolam deferre. Quod et deduci videretur ex analogia ; nam si cadaver etiam extranei, sit extraendum ab ecclesiis regularium non parochialibus, associatio pertinet ad parochiae rectorem, intra cuius fines est ecclesia aut conventus.

Hisce praenotatis S. C. C. sub die 27 Maii 1893 respondit:

*« Quoad defunctos, qui habebant domicilium in civitate vocandum esse parochum respectivae paroeciae: quoad ceteros audiantur in scriptis capitulum cathedralis Ecclesiae et parochi eiusdem civitatis ».*

Ordinarius iussa faciens retulit, sententiam esse Capituli et novem parochorum ex decem illius civitatis, functiones funerarias pro sepultura in coemeterio urbano personarum, quae extra civitatem diem obierunt supremum, quin ibi domicilium haberent, sed tantum parentes aut consanguineos, pertinere debere ad parochum, in cuius paroecia morantur parentes aut consanguinei.

Nonnulli ex parochis in exaratis votis cum Capitulo consentientes, paullisper quaestionem ampliantes, opinantur parentibus, consanguineis, affinibus vel ipsis amicis licere vocare parochum quemcumque velint, etiam non sui domicilii ad associandum cadaver defuncti sui consanguinei aut amici; ea praecipue de ratione, quia pro defuncto utuntur iure eligendi sepulchrum et ad hoc exercendum ius, tacite aut expresse praesumuntur delegati.

Parochus qui a commuui voto dissentit ita ad quaesitum respondendum censet « *Parochus illius paroeciae intra cuius fines statio viae ferreae sita est, iure sit vocandus et semper* ».

In novam quaestionis formam liceat tantum animadvertere , quaestionem eo demum spectare, ut decernatur an cadavera defunctorum, civitati extraneorum associare ad Capitulum pertineat, vel potius ad aliquem ex Parochis. Capitulum enim Ecclesiae Cathedralis fundatam habet in iure intentionem ad eos tumulandos, quos sua speciali iurisdictione non complectuntur ceteri parochi. Ex adverso parochus a consanguineis invitatus, cadaveris associationem sibi vindicat *iure electae sepulturae.* Re quidem vera ius commune recognoscit fidelibus ius sibi eligendi sepulturam ; eiusdemque iuris exercitium aliis *expresse* mandandi exc. 13. *De Test.* Imo pater eligit pro filiis impuberibus sepulturam quasi *praesumpto mandato:* ex cap. 7. *De sepult,* et 4 h. t. in 6. Quod vero *praesumptum* mandatum ad sepulturam eligendam in consanguineis et affinibus propinquioribus admitti possit, non videtur omnino a iure alienum ; an admitti possit etiam in amicis decerni debet ab Emis Iudicibus.

Interim advertere praestat quod in suis votis parochi testantur de more fere communi et pacifico in sua regione, ut huiusmodi associationes fiant a parochis invitatis a familia defuncti. Casus vero invitationis factae a defuncti amicis, plane debet esse insuetus et perrarus.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. S. C. C. re disceptata sub die 22 Iunii 1895, censuit respondere:

*« Quatenus non constet de sepultura, legitime electa, nec cadaver ad paroeciam domicilii deferri debeat, ius funerandi spectare ad Ecclesiam cathedralem, salvis conventionibus particularibus in singulis casibus.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. In iure certum esse, parochos habere fundatam intentionem peragendi iusta funebria propriis paroecianis, et illis omnibus qui intra paroeciae limites, non perfunctorie habitaverint.

II. Ob matricitatem et praeeminentiam super alias Ecclesias, quasi per exceptionem, recognitum fuisse Cathedrali Ecclesiae ius funerandi eos qui in mero transitu per civitatem, aliqua aggressi infirmitate diem obeunt supremum.

III. Aequum est enim ut huiusmodi peregrinantes, qui ad nullam pertinent paroeciam subiiciantur Ecclesiae cathedrali, pro sacramentis et funeribus ne careant ministro in articulo mortis.

## ORITANA

### IURIUM CONFRATERNITATUM

*Die LO Iulii 1895.*

**Concil. Trid. Sess. 25, cap. 14 De reform.**

COMPENDIUXM FACTI. In oppido *Francavilla-Fontana,* Dioecesis Oritanae iamdiu aemulationes exardescunt inter confraternitatem sub invocatione B. M. V. sine labe conceptae constitutam et aliam a s. Bernardino nuncupatam. Siquidem haec sub anno 1859 petiit, et facultatem obtinuit, agendi in proprio Sacello festum ss. mm. Cosmae et Damiani, quod hactenus tantum alia confraternitas peregerat. — Imo illa contendit *se maiori* pompa coepisse sanctorum Martyrum festivitatem celebrare adeo, ut *ipsa, primo* in horum die festo cum sacris imaginibus per oppidum publicas duxerit supplì-

cationes, congrua ab Ordinario obtenta in scriptis facultate, cuius exemplaria in actis proferuntur.

Ex adverso Sodalitas, dicta a B. M. V. sine labe concepta, enixius instat, asseverans se huiusmodi solemnes processiones duxisse *antea* quam SS. MM. cultus in Oratorio alterius Sodalitatis instauraretur; quod probat producens exemplaria facultatum, a Curia concessarum, pro publicis ducendis processionibus, iam ab anno 1852; et nonnullos affert .testes hoc asseverantes apud notarium. Sed adversa Sodalitas vicissim testes profert apud notarium, contrarium deponentes.

Aemulationes vero in apertam controversiam devenerunt, sub anno, videtur, 1869, postquam etiam Sodales a B. M.V. sine labe concepta nuncupati, ab Ordinario, legitima obtenta facultate, coeperunt eodem die, et ipsi, in honorem SS. MM. publicam ducere processionem.

Hoc ferre non posse protestati sunt confratres alterius sodalitatis, contendentes *sibi exclusive* ius publicas ducendi processiones competere, quippe *usa antiquiore* comparatum; quamobrem recursum habuerunt ad S. C. EE. RR. ut hoc confirmare dignaretur. Quae tamen prudenti responso reposuit die 25 Iulii 1890 « *Orator utatur iure suo coram Curia episcopali, prout et quatenus de iure* ».

Ab eadem sodalitate, introducta instantia apud Curiam Oritanam, haec declaravit, utrumque Sodalitium, iure carere processionem peragendi in festivitate ss. Martyrum Cosmae et Damiani ; eo quod hoc ius dependeat omnino et exclusive a voluntate Episcopi dioecesani, penes quem, ex iure est gubernium, et moderatio eiusdem Dioecesis.

Huic tamen non acquiescentes Sodales a s. Bernardino dicti, appellationem interposuerunt ad Curiam metropolitanam tarentinam. Quum vero appellantes non rite observaverint *decendium* seu *tempus fatale* ad appellandum, praeiudicialis exorta est quaestio, an scilicet appellatio admittenda esset.

Curia tarentina censuit tempus pro appellatione utile non fuisse *materialiter* decursum : et proinde admisit ius quae-

situm Sodalitii s. Bernardini, faciendi processionem externam in solemnitate ss. martyrum Cosmae et Damiani, cum permissione tamen auctoritatis ecclesiasticae, in quo iure semper praeferri debere Sodalitio Immaculatae Conceptionis. Sodalitas a B. M. V. sine labe concepta nuncupata, a sententia Curiae metropolitanae appellavit apud S. Congregationem Concilii.

## Disceptatio Synoptica

IURA SODALITII S. BERNARDINI. Quamvis videri posset *decendium* seu utile tempus pro appellatione transivisse, tamen dicitur in sententia metropolitana, bona fide appellatum fuisse, ignorando nempe an hoc transierit terminum. Quo casu Cardinalis *De Luca de iudiciis lib. 16, disc. 37, 38, De Angelis praelect. iuris canonici lib. 2, tit. 38 De fatalib.* favent admissionem recursus. Tunc enim decem dies *materialiter* transacti, *moraliter* censentur perseverare. Quoad meritum vero nulla quaestio, quod Sodalitas s. Bernardini facere posset externam processionem die ss. Martyrum, sub directione tamen auctoritatis ecclesiasticae, ad abusus eliminandos, quatenus irrepserint. Hinc *Constitutio Clementis Vili* diei 7 Decembris 1604 - *Quocumque,* et innumerae resolutiones ss. Congregationum Romae, onus et ius admittunt in auctoritate ecclesiastica moderandi Sodalitates ; et Ferraris, verbo *Processiones,* habet: *processiones indicere, dirigere, ordinare, prohibere, ad Episcopum spectare privative.*

Auctoritas ergo ecclesiastica nil aliud peragit, quoad Sodalitates, quam earundem moderationem. Quia Sodalitia iure proprio et nativo functiones sacras faciunt, earum tamen libero non fruuntur exercitio, quod iuxta adiuncta moderari potest ab auctoritate ecclesiastica.

Quoad festivitatem, celebratam eadem die, animadverti potest cum Ferraris *v. Festivit. n. 46* « eadem die duae ecclesiae vicinae non celebrent idem festum, sed ecciesia moderna debet eligere aliam diem » quod firmatur a *S. C. Ep.*

*et Beg. die 19 Martii 1581 in Massanen. et in Sabinen. 20 Novembris 1684:* « Non debet eadem die celebrari festum in duabus ecclesiis vicinis, sed moderna debet eligere alium diem ».

Quoad processiones eadem die faciendas S. C. Rituum decrevit die 24 Ianuarii 164*3 in *Crem&nen. « processiones duas eodem loco habendas non esse . . . . Sed illos manutenendos esse in quasi possessione, qui in processione facienda sunt antiquiores : recentiores vero aliam sibi diem non impeditam eligere debe -e* » quod firmatur a S. C. C. die 23 Februarii 1893. Quum duarum Sodalitatum paria sint requisita recurrendum videtur, ut quaestio dirimatur inter eas, ad regulam Cancellariae, *prior in tempore potior in iure,* quo casu sodalitium s. Bernardini praeferri alteri debet, eo quod existentia praecedat.

IURA SODALITII A B. M. VIRGINE. Sed contra Confratres a B. M. V. sine labe concepta nuncupati per constitutum patronum haec advertunt. Nimirum primo contendunt: constare de peremptione appellationis. Nam clarum est ius constitutum quoad appellationes ; id enim praecipue eo tendit, ne lites in infinitum protrahantur. Atqui antiquiores leges tempus ad appellandum brevissimum concedebant, quo inutiliter elapso, lis finita dicebatur, et sententia vires acquirebat reiudicatae. Progressu tamen temporis novae leges angustiam temporis moderare voluerunt. Et Iustinianus *nov. 23 cap. 1* constituit - ibi - « Sancimus appellationes, sive per se, sive per procuratores, sive per defensores vel curatores, vel tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium, a recitatione sententiae numerandum, iudicibus ab iis quorum interest offerri ».

Ecclesia civilem aequitatem sequuta, disposuit *cap. 2 De Sententia et r eradicata: «* Iurgantium controversias celeri sententia terminare, et aequitati congruit et rigori ». Exinde *cap. 15,* statuit: « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi

aditum denegavit, cum per hoc videatur, per interpretationem iuris, latae Sententiae paruisse ».

Itaque cum ex actis constet, Sodalitatem Divi Bernardini Senensis die 31 Octobris appellationem apud Curiam metropolitanam interposuisse, a Sententia Curiae oritanae, quae ipsi die 3 Octobris fuerat notificata, nempe post dies 27, haec appellatio est nulla et sustineri non potest, observat patronus. Revera hoc recognovit ipsa Curia metropolitana advertens in sua sententia, appellatum fuisse, praeterlapsis fatalibus.

Quare arguit Orator, Curiam metropolitanam nihilo minus appellationem admittens doctrinam canonistarum non bene interpretatam esse. Siquidem, ait, si De Luca, si De Angelis, si Scaccia *De appellationibus,* tranquillo animo et sine partium studio perlegisset, animad vertisset facillime inter causas, quae cursum appellationis impediunt ; *ignorantiam iuris* minime accenseri.

De ignorantia sermonem habet doctissimus De Luca in *disc. 38 de iudiciis,* sed de ignorantia facti, nempe cum sententia ignorata fuit ab eo, ad quem appellationis ius pertinebat. Et revera *loc. cit. n. 34* ait « aut vero agatur de impedimento singulari et privato, cuius iustificatio pendeat a particularibus facti circumstantiis, ut est illud infirmitatis vel paupertatis seu carcerationis vel inimicitiarum seu mortis , sive absentiae procuratoris, vel etiam calumniae seu malitiae istius, aut iustae ignorantiae, uti contigit in herede cum similibus *(ergo ignorantia facti).* Et tunc currat quidem tempus, sed subveniendum sit cum dicto remedio restitutionis in integrum, super cuius iusta causa disputari solet, et quandoque concedi, quandoque animo denegari pro facti qualitate ». Huic concinunt passim omnes canonistae.

Deinde patronus *meritum* quaestionis aggressus, contendit, Curiam episcopalem oriranam, iudicium tulisse, ac proinde ipsius sententiam esse confirmandam. Etenim S. Concilium Tridentinum quaestionem de praecedentia in processionibus praeciso definivit sermone in *cap. 13 De regularibus, sess. 25,* hisce verbis « Controversias omnes de praecedentia, quae per-

saepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam saeculares, quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus et in deferenda umbella et aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componat ».

Quae prudentissima S. Concilii dispositio, advertit Orator, nos docet quomodo omnes quaestiones de iure et de praecedentia in processionibus sint definiendae ; nempe auctoritate Episcopi, qui illas vel permittere vel prohibere potest. Hoc, docto sermone, explicat cl. The. Herdt - *Sacrae liturgiae praxis par. VI de processionibus num. 314.* « An propria auctoritate processiones fieri possint? Resp. I° Exceptis iis quae debent fieri publice iuxta ritum et ordinem in Missali et Rituali praescriptum. 2° Aliae processiones consuetae, etiam publicae fieri possunt absque nova Episcopi licentia, ita tamen, ut Episcopus easdem prohibere possit, etiam non obstante consuetudine (S. Congreg. Rituum 14 Ian. 1617 n. 381, 518 - 2 Augusti 1631, n. 788, 933 - 14 Maii 1671, n. 2433, 2883 et Quarti de *process, dec.* 3 *p. 1, cp 4, n. 151.* 3° Neque extraordinariae pfocessiones generales, neque novae particulares, non praescriptae in missali et rituali, absque licentia Episcopi institui possunt, quia cura rerum spiritualium et regimen ecclesiarum ad episcopum primario spectat ; et insuper ad generales requiritur super omnes ecclesiasticos, qui ad publicas processiones conveniri debent, universalis potestas et iurisdictio quae in solo Episcopo residet; S. C. Rituum 14 Ian. 1617 n. 581, 582 - 14 Maii 1672 - 22 Novemb. 1681. Quarti *loc. cit. Syn. Belg, tom. 2 fol. 363 ».*

Et Barufiald. *Ad Rituale Romanum - com. Ist. Be process. Ist. 76 n. 19.* « Porro quaecumque sint istae processiones, ius eas indicendi, ac etiam, cum causa, prohibendi est privativum Episcopi, Barbosa ad *Conc. sess. 25 n. 13. De Pot. ep. Alleg. 78 num. 3, 4, de Canonicis et dignitatirus c. 42 n. 20 ».*

Quum Curia metropolitana reponat : veniam auctoritatis ecclesiasticae pro religiosis functionibus faciendis apud Confraternitates non constituere collationem iuris , quo iam fruuntur , suapte natura, quodque de prima in secundam transeat, sed esse simplicem actum conniventiae, quo moderatur exercitium iuris ipsius. Auctoritatem ecclesiasticam ius habere permittendi, ordinandi functiones ecclesiasticas; sed ex eo quod ius habeat eas moderandi, non sequitur hoc transfundi in sodalitio, quando permissio eidem indulgeatur... observat advocatus, hanc argumentandi methodum in sophismate fundamentum habere. Siquidem Curia oritana cum decreverit, in casu Confraternitates contendentes nullo iure pollere, processionem ss. Martyrum peragendi, non denegavit, aliquando hoc ius ad confraternitates, in genere pertinere posse, sed constituit, id quod eruitur ex *Sess. XXV cap. 13 De reformatione Conc. Trid.* scilicet, huius iuris exercitium, episcopali auctoritati esse omnino subiectum : Episcopus enim in controversiis de praecedentia « amota appellatione, et non obstantibus quibuscumque componat, decernit ».

Praeterea notat patronus, immerito sane Curiam metropolitanam recognovisse in Confraternitate divi Bernardini ius praecedentiae, cum omnino desiderentur documenta, neque ad hoc sint sufficientes permissiones, quas ab anno 1859 obtinuit publicas supplicationes ducendi. Quum ex adverso cultus horum ss. Martyrum sane anterior extiterit apud aliam Confraternitatem, prouti ipsi Sodales s. Bernardini negare non audent.

Imo, pergit orator, adest pro sodalitate B. V. sine labe conceptae requisitum prioritatis temporis etiam in *peragenda processione.* Nam in Archivio Confraternitatis B. M. V. sine labe conceptae documenta tandem adinventa sunt, et prostant in actis ex quibus evidentissime apparet, Confraternitatem B. V. sine labe conceptae, ab anno 1852 permissionem obtinuisse publicam peragendi processionem.

Quod patronus confirmat per depositiones testium, factas coram Notario Corona.

Hisce praenotatis, suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An sententia Curiae metropolitanae sit confirmanda, vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 20 Iulii 1895 censuit respondere: *Nullam esse appellationem.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Permanere in sua vi et robore sententiam Curiae oritanae, ex eo quod nulla declarata fuerit appellatio ab ea ad Curiam metropolitanam, utilis temporis appellandi expirationis causa.

II. Ex Tridentino *Sess. 25 cap. 13 de regularibus,* ad Episcopum, amota omni appellatione, spectare ius componendi controversias inter personas ecclesiasticas, tam saeculares, quam regulares, ex quibus scandala saepe gignuntur.

III. Hinc congruum videri, ut Episcopi definiant quaestiones de iure et de praecedentia in processionibus inter sodalitia propriae Dioecesis, antequam iurgia et scandala efferbuerint.

IV. Privativum Episcoporum ius esse, quaslibet indicendi processiones, ac etiam, cum causa, easdem prohibendi; exceptis iis, quae publice fieri debent iuxta ritum et ordinem in missali et rituali praescriptum.

V. Quum duae processiones eadem die et eodem loco a duobus sodalitiis fieri incongruum sit, Episcoporum est, ad quaestiones praecedentiae praecidendas, praeferre sodalitium, propriam temporis anterioritatem formiter evincens.

VI. Quatenus in tenebris delitescat verum institutionis tempus unius aut alterius ex Sodalitiis, propria auctoritate suffultus Ordinarius, praeferat ut arbiter, alterum alteri, quod in Domino expedire sibi videbitur.

# VELITERNA

## IURISDICTIONIS PAROCHIALIS

*Die 22 Iunii 1805.*

**Concil. Trid. Sess. 24 c. 13 de reform.**

COMPENDIUM FACTI. In civitate Veliterna iampridem Parochus ad S. Michaelis Archangeli et Parochus ad S. Mariae e Trivio inter se contendunt de iurisdictione parochiali in quamdam domum, antea familiae Toruzzi, modo nobili familiae Gratiosi pertinentem. Discordiae causa plane ea videtur esse quod haec domus numquam per iurisdictionem Ecclesiasticam privative uni vel alteri adiudicata fuerit ; confusionis vero origo ea fertur extitisse, nempe hanc domum unam evasisse ex duabus, brevi intercapedine divisis, quarum una in paroecia S. Michaelis , alia in S. Mariae paroecia sita erat.

Hactenus, ad discordiam conciliandam, permissa fuit cumulativa iurisdictio utrique parocho in eamdem domum, uti aperte inter cetera testatur factum benedictionis Paschalis, quae successive ab uno alteroque parocho impertitur dictae domui in feria Sabbati Sancti. Sed haec munerum parochialium cumulatio in duobus parochis sane molesta evadit eiusdem domus inquilinis, itemque est non infrequens inter parochos controversiarum occasio. Quamobrem non semel conati sunt definitive quaestionem dirimere , quum alteruter parochorum sibi privative iurisdictionem parochialem vindicaverit. - Ita *in possessorio,* sub anno 1730, apud Curiam Veliternam, quum exercitium parochialium munerum intenderet interdicere Parochus ad S. Mariae e *Trivio* Parocho ad S. Michaelis, hic obtinuit *Interdictum Manutentionis,* qua eius pacifica possessio earumdem iurium recognita fuit. Dein *in petitorio* promota quaestione, placuit contendentibus per arbitrum compromissarium rem componere ; electo in arbitrum eiusdem Curiae Vicario generali. Qui, die 27 Octobris 1752, consideratis considerandis, in hanc devenit sententiam ; nempe sese censere aequalem esse competentiam

iurisdictionis supra domum Toruzzi pro utroque parocho, et per consequens, nedum in casu praesenti, funeris Eleuterii Toruzzi, sed in aliis cunctis, *canonicam portionem pro medietate* dividendam esse inter duos parochos. Laudum eiusmodi parochum utrumque libenter, ex animo excepisse constat.

Praeterea parochus S. Mariae refert in suis allegationibus apud S. C. EE. et RR. agitatam fuisse *sub die 6 Maii 1870* hanc quaestionem - Iosephus Gratiosi domus controversae dominus, duplex cum haberet domicilium, Romae alterum, alterum Velitris, qua in urbe propriam habet domum intra limites duarum paroeciarum videlicet S. Mariae et S. Michaelis Archangeli, Velitris idem Iosephus diem obiit supremum. Dubio *cui quarta funeris cederet.* Emi Patres in Generali Congregatione ita respondere censuerunt « *Quo vero ad quartam funeris, eam esse dividendam inter eumdem parochum Urbis et alterum ex parochis Veliternis, in cuius finibus extat ianua principalis* ».

Verum haec responsio non videtur quaestiones composuisse, cum uterque parochus uti suos fines parochiales vindicaret, ad quos pateret ianua principalis.

Demum haec controversia iterum exarsit occasione mortis cuiusdam *Caesaris Avanzini*, inquilini domus Gratiosi, secutae *die 22 Maii 1893;* siquidem Parochus ad S. Mariae, persolutis iustis funebriis, parocho ad S. Michaelis Archangeli medietatem emolumentorum denegavit, ait ipse, eo consilio, ut tandem saecularis lis finem consequeretur per auctoritatem iudicialem.

Et re quidem vera a Parocho s. Michaelis Archangeli, eadem delata fuit controversia apud S. C. C. ut *in petitorio* agitaretur, cum uterque parochus sibi vindicare vel saltem adiudicari petat exclusivam, in controversam domum, parochialem iurisdictionem.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI S. MARIAE. S. Mariae parochus ab origine repetens quaestionem, advertit domus Gratiosi partem

potiorem et principalem esse sane in finibus paroeciae sanctae Mariae quum confusio iurisdictionis orta sit ex adnexis casis, sitis in Vico nuncupato *della Barcaccia,* quique est in finibus paroeciae s. Michaelis.

Dein ex typographia argumentatur , nullum superesse dubium quod porta princeps dictae domus sit intra limites paroeciae s. Mariae ; quia ultima domus paroeciae s. Michaelis Archangeli, extructa ex oppositi Palatii parte, habet civicum numerum 17, dum ultima domus s. Mariae habet n. 16.

Dein idem parochus observat, domum Gratiosi esse admodum propinquiorem paroeciae s. Mariae, a qua distat - *metri 117* - dum - *metri 205* - distat a paroecia s. Michaelis Archangeli.

Demum, advertit, pertinendi paroeciae s. Mariae fuisse constans desiderium dominorum controversarum aedium, uti demonstrat non interruptus usus percipiendi sacramenta et exigendi funera in paroecia s. Mariae, uti luculentius testatur Dominicus Gratiosi in litteris datis hodierno parocho.

DEFENSIO PAROCHI S. MICHAELIS. EX adverso parochus ad s. Micheelis Archangeli, antequam suum ius directe évinçât, probare satagit, falsum asseruisse adversarium, dum ait, familiam *Gloriosi* recognovisse semper uti propriam paroeciam s. Mariae. Nam in libro baptizatorum paroeciae s. Michaelis nomen legitur cuiusdam *Ange[1] i Graziosi* patris Francisci Graziosi *(Princeps suae Gentis);* et hic non brevi serie annorum de facto recognovit s. Michaelis Ecclesiam, uti suam paroeciam, Incassum igitur, ait, recurrit adversarius ad factum quod destruitur ex alio simili; quodque ad maximum probaret utrumque parochum promiscue iurisdictionem exercuisse in domum Graziosi.

Quo vero ad voluntatem a Ioanne Graziosi per litteras expressam, se velle hodie potius pertinere paroeciae s. Mariae, quam illi s. Michaelis, orator exclamat, hoc esse maxime arbitrarium, exorbitans a iure, imo subvertens auctoritatem Ecclesiae, quae tantum ius habet designandi parochos. Porro ex hoc duo possunt oriri theoremata, Sacris Canonibus

omnino pugnantia : 1. quod paroeciarum confinia ab ipso laico possent immutari, 2. quod paroeciarum confinia incerta esse possent, indeterminata, mutabilia ad libitum ipsorum laicorum.

Praeterea parochus pressius ipsius facti quasi examinans rationem observat impossibile esse vel fere absurdum quod familia Graziosi, suae nobilitatis repetens originem ab Ecclesia s. Michaelis, possit nunc respuere hanc antiquam Ecclesiam et recognoscere uti suam paroeciam s. Mariae ecclesiam.

Post haec pergit parochus ad probandum ius suum ex eo quod reapse familia Graziosi retinuit, uti suam, paroeciam s. Michaelis. Nam in regestis baptizatorum, quae servantur in sua ecclesia invenit, quod Angelus Graziosi ab anno 1747 usque ad annum 1760 filios baptizavit in ecclesia s. Michaelis, ibique suis filiis Franciscus Graziosi *(princeps suae gentis)* similiter fecit ab anno 1783 usque ad annum 1796; et ab anno 1753 usque ad annum 1801 mortui ex eadem familia in s. Michaelis paroecia tumulati fuerunt.

Denique animadvertit quod cum domus Graziosi ab initio divisa esset per intercapedinem in duas partes, quarum una in territorio s. Michaelis, in s. Mariae finibus alia extabat, ob unionem postea factam istarum partium in unam domum, ipse usque adhuc iurisdictionem promiscuam cum parocho ad s. Mariae exercuit in domum Graziosi; et hoc per sententiam Curiae Veliternae anni 1730, et per decretum Arbitri anni 1752.

Quum vero, concludit parochus, pars domus Graziosi, olim pertinens cuidam *Berlecca* in territorio s. Michaelis sita, partem principalem actualis domus Graziosi constituat, nil vetat, quominus, hic applicent EE. VV. tritum adagium - *Maior pars trahit ad se minorem* -.

## Dubium

*An et cuius favore constet de iurisdictione parochiali in casu etc.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 22 Iunii 1895, censuit respondere: *Servetur arbitrium diei 27 Octobris 1752* (1).

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ROMANA Beatificationis et Canonizationis servae Dei Mariae Aloisiae Maurizi, Monialis choristae professae et Vicariae ven. Monasterii Mantellatarum in ianiculo colle de Urbe Ordinis servorum B. M. Virginis.

Ex honestis parentibus Ambrosio Maurizi et Anna Albertini die 27 Septembris anno 1770 Romae in lucem edita est proles, cui lustralibus aquis ablutae, nomen inditum Hyacinthae. Ab ipsa pia genitrice optimis sanctisque moribus instituta, egregiae indolis christianaeque pietatis germina peculiari quadam industria Hyacintha adeo excoluit, ut annis et virtute succrescens in electam Domini sortem se quotidie magis vocatam sentiret.

Adolescentula dum, angustiis pressa, anceps haerebat de vitae status electione, in monasterium ab Infante Iesu nuncupatum se contulit, ibique spiritualibus vacans exercitiis a Ven. Vincentio Strambi e Clericis excalceatis Passionis, viro prudentia ac sanctitate eximio, in sanctis propositis et in religiosa vocatione confirmata fuit. Deinde in Monasterium Mantellatarum ex Ordine Servorum B. M. V. Romae ab illustri familia Masturzi tunc erectum, permagno sui cordis gaudio omnibusque rite servatis, recepta est Hyacintha, quae paulo post, unanimi sororum suffragio, in praesidem electa, agrum illum incultura, quum christianis virtutibus atque regulari observantia tum optima puellarum etiam externarum institutione, in viridarium brevi commutavit.

Sed gallicae seditionis turbines, per Europam longe lateque diffusi, Almae Urbi haud pepercerunt, et, sacris virginibus e claustro eiectis ac dispersis, uni ex Monialibus Mantellatarum fundatoris monasterii Aliae, quae Hyacintham sibi sociavit, ibi-

(1) Recole Vol V, 698 et Vol. VII, 393. In duabus quaestionibus ibi relatis iudicium latum fuit favore parochi, in cuius paroecia extat porta princeps domus, de qua disputabant duo parochi.

dem permanere concessum fuit et transitum turbinis ac tempestatis expectare.

Rebus publicis tandem compositis ac pace Christi Ecclesiae restituta, quum Pius VII ad Petri Cathedram evectus fuerit, canonicam instituti Mantellatarum fundationem benigne indulsit : quin imo ad sacrum templum pergens, solemni ritu, duodecim puellas religioso habitu Ipse induit, quas inter recensetur Famula Dei, quae tunc Hiacynthae nomine relicto, alterum Mariae Aloisiae sumpsit, atque anno tirocinii naviter egregieque expleto, ad pedes eiusdem Summi Pontificis summa gestiens laetitia, solemnia vota nuncupavit. In eius laudem vertitur quod diversa, ac speciatim Vicariae, officia recte sancteque sustinens, suo regimine atque exemplo regularem disciplinam ac perfectionem ibidem provexerit et coelestibus divinisque rebus semper intenta^ prouti a suo confessario et pietatis magistro Ven. Vincentio Pallotti edocebatur, se suasque consorores assidue ad Deum elevare sategerit. Illucescente mense Maio Beatissimae Mariae Virgini sacro, anno reparatae salutis 1831, brevi ac lethali morbo correpta, Eucharistiae pabulo pluries refecta, anno aetatis suae sexagesimo vix absoluto, die nona eiusdem mensis, prout ipsa praedixerat, cumulata meritis ceu in ecstasim amoris rapta ad coelum evolavit.

Pretiosum eius obitum, qui a piis fidelibus ad sepulcrum confidentibus statim celebratus est, fama quoque sanctitatis vitae, virtutum et prodigiorum subsequuta est, quae in dies adeo inclaruit una cum devotione fidelium, Dei Famulae patrocinium invocantium, et imagines ac reliquias exquirentium, ut ad Ordinariam super eadem fama, in Curia Ecclesiastica Romana, inquisitionem deventum sit. Hac, abhinc quinquaginta annis, rite confecta et ad S. Rituum Congregationem delata, quum in fidelium mente atque ore memoria et laus eximiae sanctitatis Mariae Aloisiae adhuc perduret ac vigeat, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut dubium de signatura Commissionis introductionis Causae eiusdem Dei Famulae in Ordinario, ut modo obtinet, Sacrae ipsius Congregationis Coetu agi posset. Quocirca, instante Rmo P. Augustino Morini Postulatore, Generali Ordinis Servorum B. M. V., attentisque postulatoriis litteris plurimorum Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium et Sacrorum Antistitum, quibus plures ex utroque clero spectabiles viri et non paucae moniales ad diversos regulares

ordines pertinentes suffragantur, in Ordinariis S. Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, ab Emo et Rmo Dno Cardinali Lucido Maria Parocchi, Episcopo Albanensi, et Causae Relatore, sequens dubium discutiendum propositum est, nempe: *«An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur ?* » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce atque scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei promotore, rescribendum censuit: « *Signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit*». Die 13 Augusti 1895.

Quibus omnibus SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per subscriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Rescriptum ipsius Sacrae Congregationis ratum habens, Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Mariae Aloisiae Maurizi Virginis propria manu signare dignata est, die 26 iisdem mense et anno.

LUCIDUS M.[a] CARD. PAROCCHI

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. E. C. Secretarius^*

## NUNCIUM

Rmus Dominus Valerianus Sebastiani ex Praelatis Romanis, qui *Comitatui* praeest pro festis iubilaribus S. Ioseph Ecclesiae catholicae Patroni in Urbe instituto, a Summo Pontifice Leone XIII benedicto, sub protectione et directione Eini Card. Parocchi Sanctitatis Suae vices agentis, ab Eadem Sanctitate Sua humiliter postulavit: ut Dominica tertia Adventus vertentis anni, quinto ac vicesimo redeunte, a primo quo inclytus Patriarcha totius catholici Orbis declaratus fuit Patronus, solemnia Missarum in illius honorem decantari possent in omnibus Ecclesiis, in quibus antea aliqua praemittatur per analogas preces praeparatio. Haec autem consistit in aliquibus piis exercitiis, aut per septem hebdomadas continuatis in singulis quartis feriis uniuscuiusque hebdomadae, aut per sacrum novendiale, aut saltem per solemne triduum. Petiit insuper praedictus Orator, ut in omnibus Missis privatis, quae in omnibus singulisque Ee-

clesiis celebrantur, fieri possit eadem Dominica S. dicti Patroni commemoratio.

Supplici libello sequenti Decreto responsum est.

URBIS et ORBIS. Privilegia indulta, redeunte vicesimo quinto anno, ex quo s. loseph declaratus fuit patronus totius orbis catholici.

SSmus Dominus Noster, has preces ab infrascripto Sacrorum Rituum Congñis Secretario relatas et amplissimo commendationis officio Emi et Rmi Domini Cardinalis in Urbe Vicarii communitas, peramanter excipiens, benigne indulgere dignatus est :

I. Ut Dominica tertia sacri Adventus, hoc anno tantum in cunctis Urbis et Orbis Ecclesiis, ubi pia exercitia in precibus enuntiata peragentur, unica Missa votiva solemnis de Patrocinio S. ioseph, Deiparae Virginis Sponsi, cum *Gloria* et *Credo* cantari valeat ; dummodo non occurrat Duplex primae classis neque omittatur Missa Conventualis aut Parochialis, Officio diei respondens, ubi onus adsit eam celebrandi.

II. Ut memorata Dominica in singulis Missis lectis ubique terrarum, non occurrente Duplici primae classis, addatur Commemoratio eiusdem S. Ioseph per Orationes ex Missa Patrocinii desumptas, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Augusti 1895.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA
S. R. C. *Praefectus.*

L. © S .

ALOISIUS TRIPEPI, S. R. C. *Secretarius.*

# EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

CANARIEN. Indulgetur facultas appellandi per *Telefono*, confessarium qui longe distat a monasterio Religiosarum.

Beatissime Pater,

Episcopus Canariensis ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, reverenter exponit: quod quum confessarius monialium Cisterciensium strictioris observantiae longe a monasterio dictarum monialium commoretur, contingere potest, ut haud diu accidit, quamdam monialium sine religionis adiutorio e vita cedere. Quam ob rem, ne ob distantiam similia renoventur, Orator rogatus est indulgendi ut a monasterio ad domum confessarii uti possit novo invento, quod vulgo *Telefono* appellatur. Nihilominus pro rei novitate, ex qua certe, licet maxima adhibeatur diligentia, pericula oriri possent, censuit Sacrae Congregationis sententiam expetere, antequam hoc concedat. Quare etc.

Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino nostro concessarum, Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. C. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, Episcopo oratori facultatem benigne tribuit super praemissis, attenta necessitate ad effectum Vicarium dumtaxat advertendi, iuxta preces providendi, praescriptis debitis cautelis ne aliquod inconveniens oriatur; ac praecipue ut in actu advocandi per enunciatum medium Vicarium, duae adsint ex probis et senioribus Monialibus, quae verba audiant: super quibus Episcopi conscientia onerata remaneat: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 20 Martii 1895.

I. CARD. VERGA, *Praef*

# EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

Indultum quo conceditur dispensatio a nova benedictione pro Scapularibus SSmae Trinitatis, quando a fidelibus aliud assumitur post primum attritum vel con* sumptum.

Beatissime Pater

Fr. Stephanus a S. Corde Mariae Ordinis SSmae Trinitatis Congregationis Hispanicae Commissarius Apostolicus, ad pedes S. V. humiliter provolutus exponit adscriptos sodalitati SSmae Trinitatis parvum habitum seu Scapulare ex lana alba confectum cruce rubra et caerulea decoratum ab aliquo Ordinis superiore benedictum sumere et super se gestare: verum quum scapulare huiusmodi attritum vel consumptum fuerit et aliud assumatur de novo benedici debet, prouti expresse edicitur in Summario Indulgentiarum concessarum sodalibus SSmae Trinitatis sub poena amissionis Indulgentiarum.

Id tamen causa est, ut plures Christi fideles praedictae sodalitati adscripti saepe saepius priventur Indulgentiis eidem concessis. Nam non semper praesto sunt cuique fideli indigenti novo Scapulari superiores Ordinis SSmae Trinitatis aut alii Sacerdotes etiam saeculares de earumdem superiorum licentia, qui illud benedicere queant. Quare, ut bono spirituali adscriptorum provideatur Orator supplex adit S. V. quatenus huic legi iterum benedicendi novum Scapulare post primum a Sodalibus assumptum, benigne derogare dignetur, ita ut in posterum quicumque eorum primum Scapulare susceperit benedictum, si hoc ita attritum vel consumptum fuerit, ut primam formam amiserit, aliud ipsis assumere detur, etiam non benedictum absque amissione Indulgentiarum; et ita etiam uniformitas habebitur quoad hoc Scapulare, cum omnia aliarum diversarum Confraternitatum Scapularia non benedicantur nisi prima vice tantum, idest quando primitus imponuntur, facta cuilibet adscriptorum potestate aliud postea assumendi absque nova benedictione.

Et Deus etc.

S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus, a SS. D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, attentis expositis, et praesertim, ut etiam quoad Scapulare Sanctissimae Trinitatis inducatur uniformitas pro aliis, et in primis pro Carmelitico, existens, quae nonnisi prima vice benedicuntur, idest quando primitus Christifidelibus imponuntur, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 24 Augusti 1895.

LITTERAE APOSTQLICAE Sanctissimi D. N. PP. Leonis XIII
De Patriarchatu Alexandri no Coptorum.

Christi Domini, Redemptoris humani generis, auctoris conservatorisque Ecclesiae, assidue Nos et caritatem divinam intueri et salutare provehere opus pro muneris Nostri sanctitate contendimus. Gratiamque ei debemus plurimam atque ex animo profitemur, quod Nobis in eas incumbentibus curas quae ad nomen catholicum sive inferendum reducendumve in populos sive stabiliendum in illis augendumque attinerent, suis ipse auspiciis praesentique ope tam benignus adfuerit. Cui etiam acceptum singulari modo referimus, quasdam biennio proximo oblatas esse temporum maturitates, quibus instituta catholici nominis incrementa licuerit Nobis studio impensiore atque opera persequi. Providentiae autem rationes quas in eam rem adhibere visum est, datis praesertim qua universe qua singillatim epistolis apostolicis, haud vacuae sane fructu, divina fovente gratia, cesserunt: atque adeo Nos eumdem insistentes cursum, laetiorem quotidie votorum eventum fidenti cogitatione prospicimus. — Nunc inter ceteras nationem atque ecclesiam Coptorum complectimur peramanter, destinatumque habemus peculiaria quaedam in eius bonum et ornamentum ex apostolica potestate decernere.

Copticam gentem paucis ante mensibus allocuti sumus epistola propria, et vetera ecclesiae Alexandrina e monumenta commemorando excitavimus; idque duplici consilio, ut nimirum ex benevolentia atque hortatione Nostra quum catholici confirmarentur in coniunctione et fide erga Apostolicam Sedem, tum vero dissidentes ad eamdem coniunctionem invitarentur quaerendam et renovandam. Utraque ex parte fuit Nobis quod caperemus conceptae spei solatium. Catholici in primis, ut aequum erat, maximum Nobis obsequium ac pietatem in morem filiorum testati sunt, iidem praeterea grati quod episcopum e gente sua, Vicarii apostolici munere, secundum vota dedissemus, Venerabilem Fratrem Cyrillum, titulo Caesareae Paneadis. Quin etiam suae voluntatis apertius declarandae causa, id propositum susceperunt ut publicam ad Nos mitterent legationem : quo nihil certe

poterat neque ipsis honestius esse neque Nobis iucundius. — Septembri igitur mense coram fuit legatio Coptorum, ex variis nationis ordinibus, ipso Venerabili Fratre praeeunte, delecta. Ab ea perlibentes cognovimus praeclare affirmatum quo studio, qua reverentia, qua obtemperatione erga hanc beatissimi Petri Cathedram, nomine etiam suorum civium, affecti essent : permovitque intimos paternae caritatis sensus, qua ipsi fiducia suis item rebus ac dissidentium fratrum exposcerent a Nobis et expectarent ampliora praesidia. Atque illud praecipuum fore significaverunt, magisque et humillimis precibus flagitarunt, si decreto auctoritatis nostrae Hierarchia catholica et Patriarchalis dignitas apud Aegyptios instaurata resurgeret. — Aequam afferri et non inopportunam postulationem plus una persuasit causa. Constat enim rei catholicae progressus non exiguos quotidie per Aegyptum haberi ; clericos et sacerdotes nativos, quod plurimum interest, numero augeri; scholas iuventutis similiaque rectae institutionis subsidia multiplicari; vigere acrius in animis religionis amorem et cultum, atque fructus consentaneos largius provenire. In quo alacrem cleri operam valde quidem iuvant et sustinent nonnullae Religiosorum Familiae : ac sua debetur laus Franciscalibus, qui iam diu per ea loca elaborant, suaque debetur Alumnis Societatis Iesu et Missionalibus Lugdunensibus, quos Nosmetipsi auxilio submittendos curavimus. — Iamvero si Hierarchia in eis vel partim renovetur certique praeficiantur pastores, ex maiore ipsa atque expeditiore vigilandi providendique facultate, multiplex profecto utilitas in clerum ac populum dimanabit. Patriarchalis porro dignitas optime valitura est, tum amplitudine sua ad decus ecclesiae Coptae catholicae in opinione relevandum, tum ingenita vi ad vincula fidei et fraternitatis in omni ratione obstringenda. — Nos autem re tota meditate perpensa eademque deliberata cum Consilio seu *Commissione* Cardinalium S. R. E., quam ad reconciliationem dissidentium cum Ecclesia fovendam iussimus Nobis adesse, ei ipsi Coptorum postulationi obsecundare censuimus.

Itaque ad maiorem divini Nominis gloriam, ad fidei sanctae et communionis catholicae incrementum, Nos ex certa scientia motuque proprio ac de plenitudine apostolicae potestatis, Patriarchatum Alexandrinum catholicum restituimus et pro Coptis constituimus; eique ac singulis qui ipsum obtenturi sint, honores omnes, privilegia, praerogativas, nomina, omnemque po-

testatem tribuimus, eadem ratione qua generatim ea nunc a Patriarchis orientalibus rite exercetur : qua super re peculiaria praescripta ab Apostolica auctoritate tempore et loco impertientur. Sedi autem patriarchali sedes episcopales duas in praesens, decernimus suffraganeas ; alteram in urbe Hermopoli maiore, vulgo *Minieh,* alteram Thebis seu Diospoli magna, ad urbem *Luksor:* ita ut Patriarchatus tribus interea dioecesibus constet, videlicet patriarchali Alexandrina, Hermopolitana, Thebana: integro tamen Nobis et successoribus Nostris pleno ac privativo iure sedes alias vel archiepiscopales, vel episcopales excitandi easque pro necessitate vel utilitate Ecclesiae immutandi.

Alexandrinum Coptorum Patriarchatum ita constitutum eatenus patere qua patet proregnum seu *Kedivatus* Aegypti proprie dictae ac provinciae *praedicationis sancti Marci,* statuimus atque sancimus. — Limites autem singularum dioecesium quas supra diximus, hoc modo definire placet. Patriarchalis Alexandrina Aegyptum inferiorem et urbem Cairum complectitur. Ad aquilonem habet mare internum seu Mediterraneum; ad orientem, canalem Suesii : ad austrum, latitudinis borealis gradum trigesimum ; ad occasum, Tripolitanam Othomanici imperii provinciam. — Dioecesis Hermopolitana in Aegyptum mediam profertur. Ad septentrionem finitima est dioecesi patriarchali; ad orientem attingit sinum Heropoliticum; ad meridiem, continetur circulo fere medio inter gradus vigesimum septimum et vigesimum octavum latitudinis borealis, ubi scilicet locus iacet *Sacci-t-moussé* ad Nilum flumen, qui pariter locus in ditione esto eiusdem dioecesis; ad occidentem habet desertum Libycum. — Dioecesis Thebana, in Aegyptum superiorem porrecta, circumscribitur ad aquilonem Hermopolitana ; ad orientem, sinu Arabico; ad austrum, vigesimo secundo grad,u latitudinis borealis; ad occasum, deserto Libyco.

Designationis primae tum Patriarchae tum suffraganeorum Episcoporum Apostolicae huic Sedi ius reservamus. Interim, quoadusque ea designatio fiat, mandamus ut catholicorum coptici ritus, quotquot tota Aegypto versantur, penes eumdem Venerabilem Fratrem Cyrillum, nomine et auctoritate apostolica, administratio permaneat.

Ita posse Nos de Patriarchatu Alexandrino pro Coptis restituendo providere vehementer laetamur in Domino ; eoque magis quia eius recordatio ecclesiae tam grata accidit quam

quae gratissima. Nam propterea quod eam Marcus, beatissimi Petri discipulus et interpres, auspicato constituit sancteque gubernavit, arctior quaedam et praeclarior necessitudo exorta est, quam alias commemoravimus, ipsam inter et Romanam ecclesiam; cuius potissimum coniunctionis beneficio extitit illa pernobilis, floruitque diu et splendore virtutum et doctrinae excellentia. Quare Nobis est optatissimum ut dissentientes Copti Hierarchiam catholicam ex veritate coram Deo considerent; eam nimirum, quae ob communionem cum Cathedra Principis Apostolorum et successoribus eius, sola potest ecclesiam a Marco conditam legitime referre, solaque heres est memoriae omnis quaecumque Patriarchatui Alexandrino a priscis illis maioribus est fideliter tradita. Ex eo fiat, id quod rectus ipsorum animus et divinae gratiae benignitas sperare admodum iubent, ut dimissis tandem compositisque dissidiis quae consecuta e intulere aetates, ad unitatem redire velint Romanae ecclesiae, quae permagno eos desiderio caritatis expectat.

Has litteras Nostras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio sive intentionis Nostrae aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere atque ab omnibus cuiusvis praeeminentiae inviolabiliter observari debere decernimus. Non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus, universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis: quibus omnibus, quatenus opus sit, amplissime derogamus: irritumque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significatam his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo quinto, sexto Calendas Décembres, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

A. CARD. BIANCHI *Pro-Datarius*

C. CARD. DE RUGGIERO.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## COLONIEN.

### DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

*Die 25 Maii 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Ioannes Kebren, Dioecesis Coloniensis, in praesentiarum in gymnasio Kempensi litterarum studiis vacans, pio fiagrat desiderio clericali militiae nomen dandi, a qua tamen repellitur ex gravi defectu manus sinistrae male formatae. Unde supplicem dedit libellum ad Beatissimum Patrem, quo sospite laetamur, ut ab huiusmodi defectu irregularitatis benigne dispensantur.

Eminentissimus Coloniensis Archiepiscopus huius preces enixius ita commendat :

« Omnes quidem Missae caeremonias orator ad amussim nequit peragere. Attamen cum R. D. Feiten, iam theologiae in universitate Bonnensi professor, qui oratorem ad primam communionem preparavit, R. D. Ferwelp, professor religionisque in gymnasio Kempensi praeceptor, qui eum instituit, R. D. Kerp, vicarius ad s. Mauritium huius Coloniensis civitatis, qui oratorem eiusque familiam intimius novit, eum uno ore eximiis animi ingeniique dotibus asserant pollere eumque optimo cum successu studiis testentur incumbere, illibatisque moribus et pietate insignem praedicent meritoque proinde sperandum sit, eum egregium evasurum esse sacerdotem, quamvis propter deformitatem manus in cura animarum vix adhibendus sit, preces oratoris Smo Dno hisce commendo ».

CAEREMONIARUM MAGISTER RETULIT : « Ioannes Kehren manum sinistram habet male formatam inde a nativitate. Solus pollex est bene formatus ; caeteri quatuor digiti concreti sunt et membrana quadam inter se iuncti ; sunt insuper mi-

ñores quam dexterae digiti, ita ut medietatem eorum non multo superant. Molles sunt et debiles ut digiti infantis. Etiam pollex et reliqua sinistrae manus pars minor est, quam pollex et cetera pars manus dexterae ».

« Tali sinistrae manus deformitate orator impeditur, *quominus indicem a ceteris tribus digitis seiungat,* ita ut sequentes s. Sacrificii Caeremonias rite et secundum rubricas peragere nequeat ».

« Post consecrationem hostiae ex praecepto Rubricarum — Sacerdos deinceps pollices et indices non disiungit, nisi quando hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem ». —

« Quod rubricarum praeceptum quoad manum sinistram orator observare nequit » :

« 1) *immediate ante consecrationem calicis ».*

« Sacerdos ambabus manibus, sc. pollice et indice iuncto, calicem iuxta nodum infra cuppam accipiens et aliquantulum elevans ac statim deponens. — Rubrica ».

« Orator manum sinistram aperit, pollicem a ceteris digitis disiungit, et calicem inter pollicem et manum, sc. inter pollicis latus ulnare et metacarpi latus radiale, accipit modo satis firmo et securo. *Nodum* manu sinistra clausa et pollice ac indice iuncto circumdare et tenere non potuit, quia digiti nimis breves sunt ».

« 2) *ante orationem dominicam ».*

« — Sacerdos tenet, sc. pollice et indice iuncto, manu sinistra calicem infra cuppam et elevat eum aliquantulum dicens » : omnis honor et gloria. — Rubrica ».

« Orator seiungit pollicem sinistrae manus a caeteris digitis et calicem tenet, ut supra intra pollicem et metacarpum ».

« 3) *ad Sumptionem hostiae maxima oritur difficultas ».*

« — Sacerdos dextera manu accipit ambas partes hostiae et collocat inter pollicem et indicem sinistrae manus, quibus patenam inter eumdem indicem et medios digitos

supponit et eadem manu sinistra tamen partes huiusmodi super patenam inter pectus et calicem. — Rubrica ».

« Orator patenam intra indicem et medium digitum interponere *omnino nequit*, quia index cum reliquis digitis prorsus concretus et coniunctus est ».

« Patenam tenet orator tali modo, ut ipsam inter pollicis latus ulnare et metacarpi latus radiale collocet; potest etiam, dum patenam sic tenet, ambas hostiae partes superpositas simul inter pollicem et indicem tenere, ita tamen, ut supra patenae marginem prostent ».

« 4) *In distributione SS. Communionis infra missam et in purificatione Ciborii eadem oritur difficultas.* — Orator disiungit pollicem ab indice, ut calicem teneat, vel ciborium ».

« Experimento igitur compertum est, oratorem *cunctas* s. Sacrificii caeremonias *rite et secundum rubricas peragere non* valere. — Quodsi a stricte rubricarum observatione dispensari possit, fatendum videtur, possibilitatem sacrificii offerendi adesse ».

« Curationem vero deformitatis, qua orator laborat, separationem scilicet indicis a ceteris tribus digitis operatione chirurgica, in ea qua nunc orator versatur aetate, fieri posse, medici negant ».

« Observandum adhuc videtur, oratorem, si dispensatione obtenta ad sacrum presbyteratus ordinem promovendus foret, nec *iactum hostiae, patenae et calicis modo a rubricis praescripto perficere posse ».*

« Episcopus tradit cuilibet ordinando calicem cum vino et aqua et patenam superpositam cum hostia et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et palmam simul tangunt.— Rubrica ».

« Orator tantum manu dextera cuppam calicis et patenam *simul* tangere potest; sinistra vero *solam patenam* cum hostia, quin simul tangat calicem ».

## Disceptatio synoptica

DISPENSATIO DENEGANDA VIDETUR. Dispensationi plura obstare videntur. In primis in ipsa S. Ordinis susceptione ss. caeremoniis Orator satisfacere non valet, quia nec « *iactum hostiae, patenae et calicis modo a rubricis praescripto perficere* » posset.

Sacra facturus vero Ioannes non valeret infra missam fidelibus Sacram communionem administrare, quod praetermittere, est ab Ecclesiae spiritu apprime alienum, uti docet Trid. Concil. *Sess. 13 c. 6.*

Praeterea in ipso Veteri Testamento ne altari inservirent, maximo studio arcebantur qui notabili corporis defectu laborabant. Eo magis hoc servari debuit in Novo Testamento; quare defectus irregularitatum in ipsa Canonum apostolicorum collectione reperiuntur sedulo constituti. Postea irregularitatis casus taxative et rigide fuerunt determinati adeo ut dispensatum fuerit tantum pro iam promotis ad Ordines ne « *afflictis afflictio adderetur* ». Nihilominus in cap. II *De clerico aegrotante* missae celebratio presbytero interdicitur cui duo digiti cum medietate palmae a praedone fuerant abscissi. Et S. C. C. in Burgen, *die 24 Ianuarii 1864* dispensationem denegavit cuidam Ioachim De Zayas qui ob adustionem tendines pollicis et indicis dexterae manus contractos habebat, quique dimidia tantum parte phalangis utriusque digiti carebat, quamvis magistri caeremoniarum favorabile votum et Cardinalis Archiepiscopi commendatio precibus accederet.

DISPENSATIO INDULGENDA VIDETUR. Sed contra potius benignitati indulgendum esse suadent non parvi ponderis rationes. Cum primis admodum commendati mores Oratoris, eius ingenium et Sacerdotum penuria Dioecesis Coloniensis, quam testantur spectatissimi viri, animum sane movent ad dispensationem elargiendam.

Hanc non videtur omnino prohibere defectus sinistrae manus quo laborat orator Ioannes. Nam in ipsa ordinis sus-

ceptione, si non potest ponere sacrorum instrumentorum tactum simultaneum a Rubricis requisitum, in hoc habetur accidentalis defectus qui per tactum successivum plene sanari posset.

Pro dispensatione vero ab huiusmodi defectu in celebratione Missae, abundant S. C. C. exempla, quibus benignitate vigor canonum fuit temperatus. Sane in Pampilonen. *diei 31 Martii 1860* gratia concessa fuit clerico, ut manu laeva uteretur in sacris Missae caeremoniis, quia dextera manu se crucis signo munire nec calicem ori admovere valebat.

Ita in Cephaluden, *diei 16 Iunii 1866* dispensatum fuit cum clerico Iosepho Gianni, laevae manus pollice carente et recentius in Novarien, *diei 27 Iunii 1891* quamvis Oratori dexterae manus pollici una phalanx ac indici duae deessent phalanges ; in Comaclen. *diei 27 Februarii 1864* favorabile obtinuit rescriptum quidam Fogli, qui « anichilosi perfecta in genu dextero laborans (ita in eodem folio) non potest illud usque ad terram flectere, sed mediam tantum, ut ita dicam, genuflexionem commode exequitur. Non secus Ausculana *diei 20 Februarii 1808* etc. ».

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 25 Maii 1895 censuit respondere : *Arbitrio et coscientiae Fini Archiepiscopi, dummodo vera adsit Ecclesiae necessitas, facto verbo cum SS ¡no.*

## CAIETANA

### MISSAE PRO POPULO

*Die 25 Maii 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM PACTI. Parochus Ecclesiae s. Michaelis Arcangeli profecturis Valliscursae status Pontificii, Archi-

dioecesis vero Oaietae Regni Neapolitani, exposuit: suos antecessores, in paroecia, ceu ex regestis eruitur perantiquis, numquam applicasse missam pro populo in festo s. Visitationis, neque in festo Praesentationis B. M. Virginis; qui duo dies in regno Neapolitano sunt de praecepto, in statu Pontificio vero sunt feriales. Praesentem Archiepiscopum in s. Visitatione primo peracta, addidisse libro Missarum *pro populo* sequens Decretum.

*Librum hunc, in quo referuntur Missae pro populo ab Abbate Parochialis Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Terrae Valliscursae celebrandae a mense Novembris 1889 tesque ad praesens vidimus et adprobamus. Mandamus autem Abbati, ut calendario dioecesano se conformet quoad Missarum celebrationem pro populo, ne qua omittatur Missa pro populo celebranda; Missasque decem celebret haud adimpletas, nempe die 21 Novembris 1889, die 2 Iulii, 15 Augusti et 21 Novembris 1891, die 2 Iulii et 21 Novembris 1890, die 2 Iulii et 21 Novembris 1892, et 2 Iulii et 21 Novembris 1893. Latum Valliscursae in prima Sancta Visitatione sub die 30 Iunii 1894. Franciscus Archiepiscopus Caietanus - Vincentius Canonicus Colavolpe Convisitator - Iacobus Canonicus Niola Secretarius.*

Nunc orator pro suae conscientiae tranquillitate, et ne addat onus propriis successoribus novum, expetit ab Apostolica Sede an in duobus praedictis diebus teneatur applicare missam pro *populo,* quod numquam factum fuit.

Archiepiscopus percontatus pro *informatione et voto* haec reposuit :

Calendarium dioecesanum haberi uti normam sequendam a Clero quoad divinum officium , missarum celebrationem, et ritum ; ita ut nemo e Sacerdotibus dispensari valeat ab hac lege : nunc perspicere non posset, ait Ordinarius, quomodo orator sese subtrahere possit solummodo pro duobus dictis diebus a Calendario dioecesano , et romanum sequi Ordinem divini officii.

Duos alios, praeter Oratorem, adesse parochos in eisdem

adiunctis, qui decretum item pro illis editum in sacra visitatione, haud respuerunt. Neque prodesse putat, consuetudinem ab oratore adductam , quae staret contra generalem legem, alios parochos huius Archidioecesis obligantem; neque posthabendum esse, Sacram C C . die 25 Septembris 1847 respuisse adductam consuetudinem in una Mekliniensi : neque obstare adiecit, Vallemcursam esse in Provincia romana; id enim pondus aliquod habent quoad privilegium *Bullae Cruciatae* tantum, Provinciis neapolitanis concessum.

## Disceptatio Synoptica

PAROCHUS OBLIGARI VIDETUR. Et re quidem vera Archiepiscopi intentioni aperte favere videtur responsum S. C. C. in cit. *Meklinien. diei 25 Septembris 1847,* nam inter cetera proposito dubio : « *An consuetudo unquam legitima haberi possit, vi cuius parochi non applicent pro populo SS. Missae Sacrificium dominicis aut saltem praedictis festis diebus suppressis* » rescriptum fuit « *Negative* ». Et in una *Caietana sub 20 Ian. 1838* ad II dub. parochos ad idem onus adhuc obstringi iudicavit, quamvis quadraginta et amplius anni a concessa suppressione dierum festorum effluxerint. Quin etiam S. C. C. in suis ad Episcoporum relationes responsis, huius praecepti observantiam urget, quin inspiciat an adsit consuetudo necne. Quod iuris communis principium iam declaraverat et fírmaverat Benedictus XIV in Const. « *Cum semper oblatas* » definiens ; in universum, consuetudinem vel immemorabilem parochis minime posse suffragari.

PAROCHUS VIDETUR NON OBLIGARI. Verum ex adverso parochus Episcopi decreto perculsus, excipit se non inficiari generale supra expositum onus, sed putat se huic non subesse, quia in eius paroecia, finibus status Pontificis comprehensa, numquam, dies ab Episcopo in Decreto notati, inter festos numerati fuerunt: quocirca nulli suppressioni subiici potuerunt. - Quod vero in Dioecesi ex Calendario Dioecesano vel ex ipsa Synodo huiusmodi obligatio induci non possit pro diebus non festis, neve suppressis videtur aperte

docere Benedictus XIV in *Inst.* X ubi sub n. 4 refert, S. C. C. *sub die 8 Feb. 1726* respondisse : Parochos, etsi perpingues redditus habentes, non posse cogi ad Missam pro populo applicandam in diebus non festis. Hoc vero videtur solemniter praecipere idem Summus Pontifex in cit. Bulla « *Cum semper oblatas* » ubi sub n. 6 iterum inculcat, ut in Synodis *declarentur* dies festi, quibus applicare debent Missam parochi pro populo; sed expresse cavet, eosdem non teneri nisi in diebus festis, et in diebus non festis sed suppressis.

Hisce praenotatis , quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re discussa sub die 25 Maii 1895, censuit respondere: *Non teneri.*

## VRHBOSNEN. SEU SARAIEVEN.

### DE COHABITATIOxNE ET VITA COMMUNI SERVANDA A CANONICIS CAPITULI CATHEDRALIS

*Die 22 Iunii 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Sarajeven Iosephus Stadler ad Beatissimum Patrem, quo sospite fruimur, has supplices dedit literas :

« Quando huc Sarajevum veni, conabar, ut mei canonici communem vitam ducerent. Tres taliter fecerunt : habitabant simul in eadem domo simulque manducabant, utentes omnes eodem servitio atque viventes prout in monasterio. Quando quartum canonicum denominandum a Sua Maiestate Imperatore Francisco Iosepho I proponebam, dixi eidem, me velle, ut ille quoque communem vitam ducat eo vel magis, quod canonicorum domus facta sit taliter, ut in eadem quatuor personae, quibus Capitulum meum constat, commode habitare possint. Ego puto, me quasi necessariam conditionem denominationis in canonicum posuisse, ut communem

cum ceteris canonicis vitam duceret; ille vero modo affirmat, me in primis litteris nihil locutum esse de tali conditione; verum postea qua desiderium id protulisse. Factum est, quod etiam iste quartus canonicus circiter per duodecim annos iam communem vitam cum ceteris ducat ».

« Quum canonicorum domus hodierna inhabitabilis sit atque valde distans ab Ecclesia cathedrali, decreverunt canonici mei non procul ab eadem Ecclesia propriis expensis novam domum, in qua omnes canonici iterum habitarent, exaedificare. Unus ex quatuor canonicis est mortuus. In mortui canonici locum proposui alium, qui nondum denominatus est, ast spes est, ut post aliquot menses denominetur. Huic quoque dixi illum a me nec propositum iri in canonicum, nisi mihi promittat, se velle cum ceteris vitam communem ducere, quod mihi promisit. Ast modo quando omnia iam parata sunt, ut nova domus exaedificetur, unus ex illis tribus canonicis, et quidem ille ultimo (quarto) loco denominatus, vult quidem in eadem domo habitare, non tamen vult simul communem vitam ducere cum aliis ».

« Quum itaque res summi momenti sit vita communis inter canonicos; quum mei canonici iam ab anno 1882 hucusque vitam communem ducant ; quum meo iudicio talis canonicorum vita aedificationi sit non modo fidelibus, verum etiam infidelibus ; quum talis vivendi ratio valde conferat ad fovendum spiritum Christi atque conservandam mutuam caritatem ; quum modo primus casus esset, quando unus ex canonicis contra meam voluntatem et contra voluntatem aliorum canonicorum vult separari a vita communi, quod non est in melius, sed in deterius progredi ; rogo humillime Beatitudinem Tuam, ut pro Sua auctoritate decernere velit : »

« 1. An Archiepiscopus Vrhbosnensis antequam proponat aliquem in canonicum, possit apponere conditionem, ut ducat communem vitam cum ceteris canonicis; et an talis canonicus, qui appositam conditionem approbavit ante denominationem, post denominationem teneatur in conscientia vitam ducere communem cum ceteris canonicis ; »

« 2. An ille canonicus, qui secundum meum consilium hucusqus per duodecim annos vitam communem cum ceteris canonicis duxit, cogendus sit ad eandem continuandam, aut an melius sit, ut ipse quidem relinquatur in suo proposito in posterum vero ut eius successor cogatur ad vitam communem ducendam ».

« Ab utriusque puncti solutione dependet quoque, qua ratione nova domus erigenda sit. Aliter enim id fiet, si decernatur necessaria in casu sola cohabitatio, aliter si communis quoque vita continuetur ».

*Die 20 Novembris 1894* rescriptum fuit : *Archiepiscopo qui audiat in scriptis Capitulum et seorsim Canonicum, equi vitam communem agere recusat* ». Archiepiscopus quum S. C. praecepto obtemperaverit, Canonicorum responsiones ad Eamdem transmisit.

## Disceptatio Synoptica

In primis animadversum fuit hic non agi de vita communi ducenda more Religiosorum, votis simplicibus aut solemnibus obstrictorum, sed potius de cohabitatione et communi victu et famulatu, cuicumque canonicorum relicta suorum bonorum libera dispositione, siquidem eorum libertas obedientiae voto non alligaretur. Archiepiscopus cuperet quammaxime huiusmodi inducere vitam inter suos Canonicos, ut a familiaribus negotiis non distenti et feminarum fugientes cohabitationem, toti incumberent in bonum Ecclesiae, consilio et opera vehementer Archiepiscopum adiuvantes. In hoc propositum enixius Sacer Praesul intendit eo quia, hactenus Canonici, quamvis positiva obligatione non devincti, tamen vitam egerunt ita communem, maxima tum fidelium tum infidelium seu schismaticorum, quos inter versantur, aedificatione et admiratione. Proinde modo vellet, in tabulas fundationum obligationem inducere huiusmodi ducendi vitam, adeo ut novi nominandi Canonici sub hac expressa conditione in Capitulum cooptarentur; ii vero qui iam canonicatu potiuntur quippe qui iam ita tamdiu vixerunt, et ea-

noriici renuntiata sunt, propositum Archiepiscopi apprime cognoscentes, cogerentur in sancto proposito perseverare.

Hanc quaestionem vero urget dirimere quia apposita domus aedificanda est, respondens qualitati et vitae rationi a canonicis instaurandae. Quocirca interim liceat advertere, Archiepiscopo in ordinandis tabulis fundationis sui Capituli plane integrum esse vitando extrema, ea conciliare media, constitutionibus Capitularibus opportuna. Nam inter vitam communem more Religiosorum ac tam, et Canonicorum vitam a communitate separatam apud proprias familias habitantium, media adest commendabilis vivendi ratio qua in commoda domo cohabitantes canonici etiam ad communem mensam invitentur, *suaviter fortiterque* alliciantur, adeo tamen ut hanc non sequi invitationem, probabili de causa, sane non secumferat a communione quoque tectus reiectionem. In hac vivendi forma facile etiam videtur, quamcumque arcere a Canonicis cum mulieribus cohabitationem, eosque prorsus a negotiis saecularibus vacuos et tranquillos reddere.

Canonici vero quatuor cum sint, ex hisce duo vitam prorsus communem amant, exoptant, reliqui duo hanc vitam admirantes eiusdem incommoda vehementer timent neque audent ad eamdem, obligatione, se obstringere.

Qui vitam communem inhiant, eamque obligatione expressa amplecterentur in perpetuum, eiusdem extollunt excellentiam et utilitatem, sperantes magnum fructum inde eventurum in universam Archidioecesim. Hi sunt, alter *D. Antonius Je glie Archidiaconus Capituli Vrhbosnensis et Vicarius Generalis,* alter *Stephanus Hadrovich, canonicus Vrhbosnensis.* Non diutius immorandum est in referendis horum responsionibus, quum eam vitam laudibus prosequantur quam non minori admiratione etiam dissidentes suspiciunt ; cuius tamen propositum non respondere, contendunt, Capitularibus constitutionibus, et revera de hoc quaeritur. Nam *T). Andreas Jagatic, archidiaconus Guejagorensis archidiaconiae. Canonicus Vrhbosnensis* in suo voto in primis advertit hic agi non de iure communi, sed de iure particu-

lari inducendo Capituli constitutionibus. Proinde notat, hac obligatione non posse declarari eos adstrictus, qui canonici nominati sunt, hac non adiecta conditione.

In futurum vero inducere hanc obligationem, iudicat ipse nec Capitulo nec Archidioecesi, utile fore. Primum, *non Capitulo,* quia in Capitularibus eligendis ait, ipsum *Capitulum de iure nihil. Archiepiscopis autem experientia teste, de facto, non tantum influere posset,* ut Capitulo illi quos Capitulares vellent, adnumerentur. Deinde si in Capitulum adsciscatur qui discordiam, in eius sinum inferat, non adest facile remedium, eumdem de una domo in aliam, de uno in alium locum transferendi, prout agitur in familiis proprie religiosis.

Secundo contendit, nec ipsi Archidioecesi hoc propositum utile fore, quia in Capitulum cooptandi erunt, Archiepiscopi consiliarii, ii inter parochos qui in sacro ministerio diu adlaboraverat. Atqui in gravi aetate vir etsi sanctissimus, difficile amplectetur vitam communem ad instar Religiosorum, quum huic adsuescere non valebit ob diversam vitae iam exactae habitudinem.

Praeterea perpendit humanae voluntatis imbecillitatem, ut verum sit effatum « *nitimur in vetitum* » quamobrem, iuxta Archidiaconum, vita communis quae hactenus sponte et pacifice inter Canonicos acta est, forsan funditus turbaretur, inducta eiusdem obligatione. Unde concludit, reiecta vitae propriae communis expressa obligatione in tabulis fundationum, obtineri posse cum maiori profectu, ut Canonici insimul commode cohabitent in domo apposite extruenda et etiam mensa utantur communi, nisi quis gravioribus de causis legitime eximendus sit.

Non dissimili practica argumentatione utitur alius Canonicus, a vita huiusmodi' communi alienus *Ioannes Koscak.* Adversos hos duos canonicos dissidentes Archiepiscopus animadvertit : « prout ex responsis videtur, duo ex quatuor meis canonicis sunt pro vita communi ducenda, duo vero contra. Ex duobus iterum, qui sunt contra communem vi-

tam, alter est contra strictam obligationem, Rev. D. Jagatic, licet paratus esse videatur libere usque ad mortem ducturus vitam communem; alter vero, Rev. D. Koscak, cohabitaturus est quidem cum ceteris canonicis, ast nunquam ducturus est vitam communem ».

« Rebus taliter stantibus venio ad singulorum canonicorum opinionem examinandam. Priusquam id faciam, debeo in genere animadvertere, me quidem non posuisse primis canonicis qua conditionem denominationis in canonicum, ut quilibet eorum obligetur ad ducendam vitam communem, quum tunc temporis nemo ex nobis sciverit, quo modo res in Bosnia sese explicaturae essent: attamen multiplici occasione monstrabam, mihi communem canonicorum vitam admodum gratam esse, atque nihil intentatum reliqui, ut ad vitam communem ducendam quemlibet eorum suavi modo inducerem. Quum autem vidi, successu temporis fieri posse, ut unus alterve de canonicis separetur a ceteris, tunc Rev. Domino Hadrovic, successori mortui canonici Deric, expresse dixi, me velle propositionem factam (ut denominantur canonicus) retractare, nisi consentiat ducere vitam communem. Et ipse consensit. Quando post haec Rev. D. Koscak, nec me nec canonicis interrogatis ab iisdem se separavit, tunc ego ei in memoriam revocavi, quomodo voluerit statim initio propter aliquam personam, cui gratus esse deberet, solus habitare et qua ratione me ei obversante destiterit de sua sententia ac duxerit communem vitam per duodecim annos. Hac occasione ego me ipsum interrogavi : possumne ego talem conditionem denominandis apponere, ut vitam communem ducant; et posito quod denominandus canonicus talem conditionem acceptaverit, teneturne eamdem observare, ita ut etiam cogi possit ad eamdem tenendam. Deinde R. D. Koscak utitur ne iure proprio separando se a ceteris sine scitu meo et ceterorum canonicorum. Ita ergo ego deveni ad expostulandam decisionem a Vestra Eminentia, quae mandavit, ut canonici provocarentur, patefacere, quid hac de re sentirent. Debeo adhuc animadvertere, nos omnes, me cum

canonicis, initio 1882 huc venisse, R. Dominum Kriéak vero multis mensibus post clenominatum esse in canonicum ».

« I. R. D. Andreas Jagatic, prout mihi meus generalis vicarius Rev. D. Jeglic narravit, saepius enunciavit, se velle ducere vitam communem omni modo usque ad mortem, se tamen ad eamdem ducendam nolle obligari. Idem patet ex ipsius argumentatione. Quam ob rem ipse per longum et latum demonstrat, pluris esse, libertatem conservare atque libera ratione sese decernere quam voluntatem suam ligare et obstringere ad communem vitam ducendam. Quae argumentatio si quid valeret, deberemus negare, votum esse de bono meliori atque abolenda esse ipsa Dei mandata, utpote quae ligant nostram voluntatis libertatem ; imo sequeretur, nos libertate nec gaudere in mandatorum observatione. Et tamen et Uberrimi sumus in mandatorum observatione et mandata Dei et Ecclesiae valde desiderabilia sunt, licet obligationem imponant omnibus, et votum est de bono meliori licet restringat libertatem et ducat hominem, quo eiusdem pars inferior non vult ».

« Quod attinet ad obiectionem duplicem : vitam communem, nec capitulo nec archidioecesi profuturum, respondeo : Negative. Nam in casu proposito a R. D. Jagatic, si quis canonicorum tam discolus evadat, ut amplius cum ceteris vitam communem ducere non possit, tunc excludendus est a mensa et a domo canonicali; nisi taliter scandalosus sit, ut contra illum canonice procedatur et censuris ecclesiasticis innodetur. Praeterea penes canonicos non tam facilis discordia oriri potest, quum simul sint tantum in mensa ; alio tempore, licet sint in eadem domo tamen non sunt simul nisi in choro. Unde negatur paritas cum religiosis, qui in omnibus et singulis pendent a suis superioribus. Praeterea si discordia inter canonicos timetur, magis timenda videtur inter eos seorsim habitantes, prout, proh dolor! experientia ubique terrarum docet, eaque facilius vincitur inter eos simul habitantes virtutibus, quas necessario vita communis expostulat ».

« Quod autem ad archidioeceseos damnum attinet, quod timetur, si canonici obligarentur ad ducendam vitam communem, illud est absque dubio flctitium, quasi non invenirentur idonei, si solum illi seligerentur, qui parati essent ducere vitam communem. Imprimis hucusque nemo aliter sibi nostros canonicos in mentem revocavit quin cogitaverit, eos vitam ducere communem. Factum igitur ipsum praedicat vitam communem unicuique, qui desiderium habet evadendi canonicus vrhbosnensis. Praeterea relative ad nostram archidioecesim, ubi inter tam variarum sectarum asseclas minime invenitur vita exemplaris, ille sacerdos melior et omnibus aliis praeferendus est, qui paratus est ducere vitam communem, si canonicus evadat, quum secundum SS. Patrum doctrinam virtutes christianae pluris faciendae sint ipsis miraculis. Unde facile minor doctrina vincitur maiori christiana virtute, quamquam nec facile hic invenietur sacerdos sine debita scientia, quum talis nec sacerdotio initiari possit. Quod autem caput est, nos iam exemplares sacerdotes saeculares educavimus, qui tam vita quam doctrina eminent, atque optimum seminarium tam puerorum quam clericorum habemus, unde prout praeterito anno exemplares sacerdotes accepimus, ita et in futurum nos accepturos speramus ».

« II. R. D. Dr. Ioannes Koscak, cuius occasione tota haec quaestio orta est, quasi iisdem argumentis contra vitam communem utitur, quibus et Rev. D. Jagatic ; proinde iisdem argumentis et refutatur. Illud imprimis contra illum noto, hic non agi de communi vita stricte sumpta, sed de communi mensa et communi domicilio, retento iure perfecto in proprium salarium 2,000 flor, austr. val., quod quilibet canonicorum a gubernio recipit. Communis mensa removet quemlibet a servitio foeminino tali, quod periculosum esse posset vitae cuiuscumque. Si res bene consideretur inter illos etiam canonicos, qui misere lapsi sunt, inveniuntur omnes incoepisse recepta aliqua oeconoma exceptis aliis ancillis, quae illi quasi matronae subduntur. Proh dolor facile possent exempla adduci. Tale periculum volui ego a

meis canonicis arcere. Quod per tredecim annos factum esse quilibet propriis oculis videt. Supersedeo enumerandis bonis, quae ex canonicorum vita communi Sarajevi orta sunt, quum unus eorum, R. D. Jeglic illa accurate notet ».

« Timor, ne successu temporis canonici vrhbosnenses constringerentur ad ducendam vitam religiosam emisso triplici voto, est prorsus fictitius, quamquam nemo me felicior esset, si revera spes adesset instituendi canonicos regulares. Quem timorem, illusione niti, optime demonstrat haec ipsa quaestio, et ratio, qua orta est. Nam si mei canonici, qui omnes a me electi quique exemplares sunt et qua tales ubique noti sunt, nullum lapidem non movent, ut sese liberent a iugo quocumque, quod ob maiorem Dei gloriam et salutem animarum illis impositum est, et quidem illis consentientibus: quidnam facturi essent illi, qui, quod Deus avertat, aberraren! in via et devia, si Archiepiscopus tentaret, eos inducere ad amplectendam vitam religiosam?

« III. Omnibus, allatis a duobus ceteris canonicis scilicet a R. D. Dno. Antonio Jeglic, vicario generali et archidiacono capitulari, et a R. D. Stephano Hadrovic subscribo atque toto pectore amplector hanc R. Domini Jeglic propositionem : Quoad nunc sincera mea vota sunt : 1. ut permittente et approbante Sacra Congregatione, Capituli huius statutis adderetur clausula, quod abhinc singuli canonici teneantur ad vitam communem, id est ad communem habitationem in eadem domo, ad commune famulitium et ad communem mensam ; 2. ut canonicis nunc vitam communem observantibus ab ista Sacra Congregatione suadeatur, ne a tali vita libere suscepta unquam recedant; 3. ut imprimis canonicus, qui ultimis diebus iam recessit, ab ista S. Congregatione suaviter simul et fortiter admoneatur, ut ad vitam communem redeat ».

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 22 Iunii 1895 censuit respondere : *Attentis peculiaribus circum-*

*stantiis, supplicandum SSmo. ut canonici hodierni graviter hortentur ad communem habitationem et victum servandum ; successores vero omnino obligentur.*

## IANUEN.

IURIUM

*Die 20 Iulii 1895.*

**Sess. 24 Cap. 18 De reform.**

COMPENDIUM FACTI. In dioecesi Ianuensi non longe ab urbe Ianua, sublimis extollitur mons, vulgo Ficogna dictus, cuius in praerupto cacumine coelorum Reginae celebre dicatum est templum sub titulo B. Mariae Virginis de Guardia, ab a. 1490, quo ipsa B. Virgo, uti fertur, cuidam pio colono, Benedicto Pareto, se conspiciendam praebuit, petens ut in sui honorem ibi sacellum construeretur. Benedictus, alacri animo votis B. V. satisfacere studens, tum aere proprio, tum stipe fidelium collata, coelesti Patronae Cappellani excitavit, dicavitque. Exinde familia Pareto, videtur ius patronatus in Cappellani exercuisse, adhibitis pro sanctuarii bonis administrandis nonnullis ex parochianis loci Livellato, Massariis nuncupatis eiusdemque paroeciae Rectore certas functiones inibi peragente.

Verum cum inter B. M. V. Sacelli Massarios et loci Livellato Parochum dissensiones, progressu temporis, enatae essent, electi arbitri eas componere nisi sunt per instrumentum anni 1596, quo, inter alia, statuerunt ut Capellanus eligeretur, onere eidem imposito Missam in ecclesia parochiali, dominicis diebus intra octavam Pentecostes et diem Sancti Michaelis occurrentibus, celebrandi loco Parochi qui, praefatis diebus in dicto Sacello litabàt : assignata Capellano a Parocho et Massariis electo portione oblationum, quae B. M. V. Sacello a fidelibus offerebantur.

Sub anno 1626, narratur, familiam Pareto extinctam esse, cuius nomen in relato instrumento adhuc invenitur in

persona unius ex Massariis ; quare eius iura videntur, posthac in reliquos et successores Massarios consolidata esse. Eodem anno 1626 alia refertur compositio Massarios inter et parochum oppidi Livellato initam, ad melius determinanda iura per transactionem 1596 constituta et ad alias iam exortas controversias componendas.

Quae per haec compromissa statuta fuerunt, Curia Archiepiscopalis Ianuensis non semel rata habuit et confirmavit in successivis annis, prouti constat ex decretis in acta productis a Procuratore Parochi oppidi Livellato, donec an. 1696 alia inita fuit compositio, qua compromissa anni 1596 et 1626 roborantur et confirmantur.

Ob in dies percrebescentem Sanctuarii famam eiusque aucta bona iam Serenissimae Reipublicae Ianuensis Senatus, praesertim ab anno 1700, temporum etiam id exigentibus vicissitudinibus, in sui tutelam et iurisdictionem dictam Ecclesiam eiusque fabricam vindicaverat, nonnullis approbatis pactis ad bonum Sanctuarii regimen et ad concordiam obtinendam.

Uti refert citatum decretum, Ecclesia B. M. V. de Guardia Protectorem iamdiu sibi elegit inter nobilissimos Patricios Ianuenses, quos inter, nonnullos nacta est sibi beneficentissimos, uti cura ac sumptibus Abbatis Hieronymi ex patricia familia Durazzo Ianuensis sub annis 1780-1785 amplum commodumque hospitium pro peregrinis excipiendis prope Sanctuarium extractum fuit.

Interea tum ob tale adnexum hospitium, tum ob alias continentes extructas domos et Ecclesiae ampliatam formam, dubietatibus, et controversiis alia adiecta est iurgiorum causa, nempe contentio de finibus etiam parochialibus, cum parochus S. Mariae vulgo dei Ceranesi contenderit sanctuarii partem et continentium aedium in suae paroeciae territorio sitam esse.

Progressu temporis litibus non quiescentibus inter Parochum oppidi Livellato et massarios dicti Sanctuarii, sub anno 1787 inita fuit concordia qua, nonnullis conditionibus

quoad praeteritum adiectis, instrumentum diei 21 Martii 1696, eo quod inobservatum remanserat, in vigorem revocatum fuit : ut scilicet ex una parte Massarii parocho Livellati pro tempore annuas libellas 168 rependere; ex altera vero parochus in Sanctuarii administratione, sive directe, sive indirecte imposterum nunquam se immiscere deberet.

Sed huius postremae compositionis non felicior fuit exitus ; quandoquidem inter Parochum et Sanctuarii Administratores tractu temporis aliae insurrexerunt quaestiones, quoad nedum functiones in Sanctuario peragendas, nedum quoad officia sacerdotibus eidem Sanctuario addictis spectantia, verum etiam quoad ipsius Hospitii directionem ad quas praecidendas Cardinalis Archiepiscopus Tadini, occasione sacrae Visitationis anno 1840 novum decretum edidit, statuens : ut parochus Livellati salva iurisdictione territoriali, et exceptis functionibus, occasione processionum paroeciae celebrandis, ceteras alias functiones in Sanctuarii Ecclesia nullo modo peragere auderet : eae siquidem tum Sanctuarii Custodi, tum Capellanis ab Ordinario per Administratorum praesentationem eligendis servatae fuerunt. Administratores vero Livellati parocho, veluti in correspectivitatem, novas annuas libellas 120 persolvere tenerentur.

Interim civilis auctoritas, anno 1844, non contradicente potestate Ecclesiastica, alia condidit statuta pro memorati Sanctuarii regimine.

Deinde sub anno 1872, quia Massarii morosi erant in solvenda praestatione parocho oppidi Livellato et nonnullis ab hinc annis omnino non solverant, idem parochus Massarios ad tribunal civile arripuit. Verum civile tribunal, perpendens quod parochus ipse obligationes a se assumptas executioni mandare haud sategerit, per sententiam diei 4 Iunii 1872 parochi petitionem a iudicii limine reiecit, ipsumque ad expensas omnes solvendas condemnavit.

Qua tamen non obstante sententia, anno insequente seu 1873 inter partes contendentes, ad lites componendas, habita fuit transactio, qua cautum fuit, ut actualis Parochus Livellati

ad Sanctuarium pro functionibus ipsi iuxta antiquas consuetudines spectantibus ibi peragendis, accedere valeret : utque Massarii pro summis eidem Parocho debitis et usque ad annum 1872 non solutis, summam libellarum mille traderent; deinceps vero ipsi eiusque successoribus annuas libellas 108 persolverent.

Quum tamen hae contentiones fidelium animos a B. V. Sacello non removerent, imo Beata Virgo magis magisque in sua Aede collucescere visa sit et late in populos suas impartire gratias, sub anno 1890 Eius templum in venustiorem et augustiorem formam reductum, solemniter publico cultui fuit restitutum. Tunc Archiepiscopus ut disciplinam in dictae Ecclesiae clero et administratoribus satius componeret, die 20 Maii 1890 decrevit.

1. Sanctuarium praedictum ab inchoato aedificatum; erit posthac directe subiectum Nostrae Iurisdictioni.

2. Sacerdos a Nobis prima vice eligetur ac deputabitur in Rectorem eiusdem Sanctuarii, qui ea munera exequatur quibus funguntur omnes Sacrarum Aedium Rectores et quotiescumque antedictum officium vacaverit ad Nos spectabit electio.

3. Rector non solum invigilabit templo, sed et omni sacrae supellectili, diriget etiam functiones quae illic quotidie peragi solent, et Nobiscum concors deliget Oratores et Sacra explentes in omnibus solemniis Sanctuarii.

4. Diriget etiam Sacerdotes a sacris, et Confessores Sanctuario addictos ac Aedituos.

5. Licebit cuique Parocho in Sanctuarium cum populo suo ingredi non tantum cum stola, sed et cum Cruce, ac ibi peragere sacra, dummodo in agendis Rector et Parochus antea convenerint, ut omnia ordinatim procedant, nec sacra quae in Sanctuario facienda sunt turbentur.

6. Quoad reditus, oblationes et stipes Sanctuarii regularis Administratio constituta extat ad quam referendum erit.

Haec omnia fideliter exequenda mandamus, salvis semper iuribus duarum Paroeciarum, quae extant in territorio, quo attollitur novum Sanctuarium.

Contra hoc decretum statim protestatus est Parochus oppidi Livellato adeo ut dein statuerit formale apud S. C. C. instaurare iudicium. Archiepiscopus de more percontatus pro informatione et voto *sub die 5 Aprilis 1894* reposuit : inter alia petens, ut, ad conflictus evitandos Parocho Livellati facultas functionem principem in Ecclesia Sanctuarii fieri solitam, peragendi denegaretur.

Postea idem Ordinarius, antequam lis definiretur, ratus est, S. C. Conc. adire, expostulans ut ad litem radicitus evellendam dignaretur decernere, erectionem Sanctuarii B. M. V. De Guardia in paroeciam.

Quod propositum erectionis in paroeciam cum Parocho loci Livellato displiceret in concordandis dubitandi formulis, hoc expresse eius procurator in quaestionem adducere statuit.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Quoad primam quaestionem Parochi oppidi Livellato patroni antea quaerunt, utrum templum B. M. Virginis a Guardia cum omnibus suis partibus aedificiisque annexis contineatur intra limites paroeciae S. Bartholomaei oppidi Livellato ; an aliqua saltem eius pars aut aliquod ex annexis aedificiis tribuendum sit territorio finitimae paroeciae S. Mariae oppidi Ceranesi. Dein adnotant in allatis documentis omnibus, semper mentionem fieri parochi S. Bartholomaei; de parocho autem S. Mariae nullum unquam verbum inibi reperiri. Parochos autem S. Mariae oppidi Ceranesi, tunc primum contendere coepisse partem aliquam areae, in qua templum B. Mariae a Guardia atque aedificia ei annexa erecta sunt, sibi pertinere, quum anno 1792 hospitium, templo contiguum, aedificatum est.

Quare, inferunt patroni, prorsus iniuria defunctus Archiepiscopus Salvator Magnasco decretum diei 20 Maii 1890, his verbis conclusit : « Haec omnia fideliter exequenda » mandamus, salvis semper iuribus duarum Paroeciarum, » quae extant in territorio, quo attollitur novum Sanctua-

» riunì ». Ex adverso, aiunt, praesens Archiepiscopus Ianuensis, hac de re diserte ab hac S. Congregatione rogatus, iurisdictionem super domibus in summitate montis Ficogna existentibus tribuendam esse, parocho Livellati, quia ulla oppositio ex parte sive Parochi, sive parochianorum di Ceranesi timeatur.

Ad secundam quaestionem descendentes procuratores, nempe ad transactionem, initam die 8 «Aprilis anni 1873, primo recolunt, quod anteactis temporibus potestas Rectoris Livellati in templum B. Mariae a Guardia latissime patebat: ita ut curia Archiepiscopalis Ianuensis anno 1636 vetaverit massariis templi illius, ut iidem claves apud se retinerent, easque Rectori S. Bartholomaei custodiendas tradi iusserit. Quod hac de causa fiebat, quia templum B. Mariae a Guardia annexum erat templo S. Bartholomaei, et ambo templa unum eundemque habebant Rectorem.

Quoad administrationem bonorum templi B. M. a Guardia, pergunt Oratores, ea inde ab initio fuit apud templi fundatorem et Rectorem Livellati : tum apud Rectorem Livellati et massarios, quorum custodiae bona mobilia, quum inventaria fiebant, committebantur. Et si quando contingeret ut alius Rector in S. Bartholomaei paroecia sunficeretur, tum inventarium bonorum templi B. Mariae a Guardia conficiebatur, eaque ab emerito Rectore, novo Rectori custodienda tradebantur.

Pecunia atque alia bona mobilia, quae propria erant templi B. Mariae a Guardia, in arcis custodiebantur duobus vel tribus clavibus obseratis. Iam vero altera ex his clavibus a Rectore Livellati custodiebantur. Ita enim fieri iussit Visitator apostolicus anno 1582; ita iusserunt arbitri anni 1596 ; ita pariter praeceptum est a curia ianuensi in edicto diei 11 Augusti 1636; ita iussit anno 1699 Senatus ianuensis. Imo ab arbitris anni 1596 praeceptum fuerat, ut arca maior, in qua tum pecunia, tum praecipua bona mobilia illius templi servabantur, deponeretur penes Rectorem Livellati in templo S. Bartholomaei.

Animadvertendum praeterea est, notant patroni, quod Canonicus Salinero testimonium reddit, nullam expensam a massariis B. Mariae a Guardia fieri posse, absque venia Rectoris S. Bartholomaei, cui tenebantur illi expensae pecuniae rationem reddere. Item ex inscripto lapide, qui olim in fronte templi B. Mariae a Guardia extabat, constat templum ipsum annis 1634 et 1635 instaurandum cura visse Rectorem Livellati cum massariis. Ac paulo post ab archiepiscopali curia ianuensi edictum prodiit, quo vetabatur ullam in eo templo fieri aedificationem, nisi consensus praedicti Rectoris accessisset, quod si renuissent massarii in potestate esse Rectoris, cum ipsi Rectori facultas tribuebatur duos alios Officiales, seu Massarios loco reluctantium pro reliquo tempore eligendi. Hinc, cum anno 1643 turris templi B. Mariae a Guardia fulmine icta magnum passa esset detrimentum, Rector S. Bartholomaei decretum a curia ianuensi obtinuit, per quod ei facultas fiebat stipem colligendi, ad turrim instaurandam : nec in eo decreto ulla de massariis Dominae Nostrae a Guardia fit mentio.

Quum festis diebus una tantum missa, observant oratores, in templo B. Mariae a Guardia celebraretur, et hoc perincommodum extaret populo, qui templum celebrabat (non enim omnes eadem hora convenire solebant) ; Rector Livellati facultatem ab Archiepiscopo petiit, ut liceret binas singulis festis diebus missas celebrare. Atque Archiepiscopus, petitam facultatem concedens, litteras inscripsit : Admodum R. Domino, uti fratri, Sac. Francisco Maria Bacigalupi Livellati Rectori.

Praeterea, aiunt patroni, a primordiis templi B. Mariae a Guardia ius Rectoris S. Bartholomaei competebat partem quamdam oblationum, quae in templo illo a fidelibus fiebant, suam facere. Hinc decernitur in compositione anni 1626 : ut quod ex dictis oblationibus (post deductam mercedem capellani) superesset in quatuor partes aequales divideretur quarum una dictarum Ecclesiarum Rectori pro tempore tribuenda esset.

At saeculo decimo octavo, advertunt procuratores, civilis potestas coepit sese immiscere in negotia Sanctuarii praetendens, illius templi bona esse laicalia : quasi absurdum non esset laicale dici patrimonium, quod ad templi alicuius conservationem debet inservire. Verum temporibus illis, quae magnam rerum omnium commotionem proxime praecesserunt, multae fiebant in tota fere Europa a laicis potestatibus in res iuraque Ecclesiae irruptiones. Magistratibus autem ianuensis reipublicae occasionem praebebant, in res templi B. Mariae a Guardia sese inferre, perpetuae inter massarios et Rectorem S. Bartholomaei contentiones.

In his rerum adiunctis, iuxta patronos, opportunum visum est Rectori Livellati, temporum concedere necessitati, et non parum de iuribus suis remittere. Die igitur 21 octobris 1787 compositionem cum massariis templi B. Mariae a Guardia stipulatus est, in qua massarii quidem ius Rectoris ad canonem libellarum ianuensium centum et octo admiserunt, promittentes se illum quotannis soluturos. Rector autem promisit : nullam partem in posterum habiturum in administratione bonorum templi B. Mariae a Guardia vel in quolibet alio munere, quod per tria saecula exercuerat. Quin imo, pacis et concordiae amore ductus, maximam partem paullatim deseruit alterius quoque iuris, sacra munera in eo templo peragendi, hoc fere tantum sibi reservans, semel in anno sacras ibi functiones agere in die festo B. Mariae a Guardia, et, si quando Archiepiscopus illuc se conferret, aquam lustralem ad ostium templi ei porrigere.

Nec tamen huiusmodi concessiones massariis satisfecerunt, qui sine ulla intermissione, aiunt oratores, nitebantur Rectorem Livellati, etiam ex illis, quae sibi solummodo reservaverat, iuribus omnino depellere. Rector e contra iura sua, ut par erat, omnibus viribus defendere, eorumque conatus propulsare. Quibus dissidiis ut aliquem finem imponeret, Cardinalis Tadini Archiepiscopus ianuensis die 26 Septembris anni 1840 decretum- edidit, per quod Rectorem Livellati praecipiebat, ut in posterum a peragendis functio-

nibus in templo B. Mariae a Guardia se abstineret : simulque iubebat, ut massarii in compensationem erepti iuris canonem annuum illi solvendum ad centum et viginti libellas augerent. Sed, ut ait Archiepiscopus in informatione diei 20 Decembris 1893, non ita tamen ut nullus acciderit unquam conatus, ad huiusmodi decretum exequutioni mandandam. Anno enim 1866 ea de re inter Rectorem Livellati massariosque templi B. Mariae a Guardia actum est. Nec Reverendus Ioseph Garibaldi, per id tempus Rector Livellati, abnuebat quidem massariis morem gerere. Hi tamen, quum scirent loci incolas vel maxime refragaturos, quominus Rector valediceret iuri suo, sacras functiones faciendi in templo B. Mariae a Guardia die festo titulari ipsius templi, inter se constituerunt ut conventionis schema, tum Curialium, tum fabricae ecclesiae parochialis approbationi subiiceretur. Verum cum nulla ratione massarii consequi valuerint. ut curiales oppidi Ceranesi atque administratores bonorum templi S. Bartholomaei propositam conventionem assensu suo comprobarent, res infecta mansit.

Perrexit itaque, pergunt patroni, Praepositus Garibaldi in die festo B. Mariae a Guardia in eius templo peragere sacra. At e contra massarii detrectabant canonem annuum ei persolvere. Ex quo factum est, ut Praepositus eos in ius vocaret. Lis tamen, iuxta procuratores, non est usque ad postremum exitum perducta : ea enim pendente, die 8 Aprilis anni 1873 transactio inita fuit, in qua, praeter alia pacta, hoc solemniter statutum est, ut scilicet incipiendo ab an. 1873 et deinceps summa libellarum 108 Parocho pro tempore eiusque successoribus a massariis persolveretur, facta eidem Parocho ac successoribus facultate sacras functiones, iuxta antiquas consuetudines, in Sanctuario peragendi.

Haec compositio, narrant oratores, usque ad annum 1890 viguit : massarii canonem annuum Praeposito S. Bartholomaei solvebant: Praepositusque quotannis in die festo B. Mariae a Guardia ad eius templum se conferebat, ut sacras functiones ageret. At die 20 Maii anni 1890, fere iam ab-

soluta templi instauratione, Archiepiscopus Magnasco repente decretum edidit, per quod, quum templum illud iurisdictioni suae directe subiecisset, simul Praepositum Livellati, quin nec ullam ei damni compensationem concederet, omni iure spoliabat, sacra in templo B. Mariae a Guardia peragendi, iuribus illis tantum exceptis, quibus in eo templo ceteri quoque parochi fruuntur.

Huiusmodi decreto, instant patroni, profecto nulla sententiae vis est tribuenda. Ut enim sententia habeatur, praecedere debet iudicium, nimirum legitima cognitio controversiae, quae inter actorem et reum intercedit, eiusque discussio et definitio a iudice facta. At decretum illud nullitate laborat, urgent oratores, etiam si dicatur Archiepiscopum illud edidisse non iudicis, sed legislatoris potestate. Quamvis enim facile concedi possit Episcopum, intra dioecesis suae limites, leges eius administrationi opportunas ferre, non potest tamen per eas acquisita iura laedere, nisi saltem iusta adsit et rationabilis causa. Iam vero haec causa in casu, iuxta patronos, deest. Quandoquidem in ipso decreto haec unica decreti ipsius ratio praetenditur: « Quum » novum in valle Porciferae Sanctuarium sub titulo vulgo » della Guardia Nostrae Ianuen. Dioeceseos, maiore ampli» tudine elegantiusque extractum, ob fidelium oblationes ad » felicem exitum sit perductum ».

Nec dici potest, pergunt advocati, decretum illud necessarium fuisse, ob mutatas templi B. Mariae a Guardia conditiones. Nulla enim ab anno 1873 ad hoc tempus facta est mutatio, per quam necessario requiratur, ut Praepositus S. Bartholomaei a sacris functionibus in templo illo, vel semel in anno, faciendis, sit omnino repellendus. Si enim opponantur novae constitutiones, quae confirmatae sunt per regium decretum diei 6 Aprilis 1890, iuxta quas electio Capellani custodis seu Rectoris Sanctuarii, nec non Hospitium ab Ordinario dioecesano in rebus ecclesiasticis dependent, facilis suppetit responsio, nempe anno 1873, quum transactio facta fuerit, viguisse constitutiones a Carolo Al-

berto anno 1844 approbatas, in quibus item legitur quod electio Capellani, Sanctuarii custodis, ad Ordinarium pertinet.

Nec relevat quod in novis constitutionibus adsit art. 21, qui in veteribus constitutionibus non aderat, praescribens quidquid ad cultus servitium pertinet sub Cappellani custodis moderamine permanere debere, salvis massariorum dispositionibus ; reponunt enim Oratores quod praeterquamquod non poterat Praepositus per novas constitutiones iure suo orbari, quod tam validis fundamentis innitebatur, et non multos ante annos solemni transactione confirmatum fuerat, articulus ille iuri Praepositi non opponitur. Per eum enim capellanus seu Rector templi B. Mariae a Guardia massariorum potestati subiicitur, etiam in iis, quae ad cultum spectant. Fas igitur est massariis iubere, ut semel saltem in anno sacrae functiones, iuxta antiquum morem, fiant in templo B. Mariae a Guardia a Praeposito S. Bartholomaei Livellati. Quod si eis liceat, hoc ipso etiam tenentur ita facere : id enim se praestaturos promiserunt in transactione anni 1873. Quibus positis, concludunt patroni, nihil in novis constitutionibus potest deprehendi, per quod ius Praepositi excludatur.

Praeterea, advertunt Oratores, Archiepiscopi decretum vehementer detestati sunt qui incolunt vicinia Montis-Ficogna, quare vix in paroecia Livellati decretum Archiepiscopi Magnasco diei 20 Maii 1890 cognitum fuit, magna statim coorta est animorum aestuatio, ita ut magnopere pertimescendum esset, ne exacerbati cives ad tumultus et violentias discurrerent, et tantum prudentiae Praepositi debeatur, si nihil ab eis inconsulte, nihil seditiose ac turbulenter sit gestum. Ipse enim die dominica frequentes paroecianos suos in templo alloquutus, eos adhortatus est, ut turbis abstinerent: non enim per vim, sed per iuris solemnitatem a iudice superiore controversiam illam esse dirimendam : negotium in se suscepturum se esse, praestaturumque ut paroeciae et parochi iura sarta tecta forent.

Demum gradum facientes patroni ad quaestionem circa

erectionem in paroeciam templi B. Mariae a Guardia, advertunt, se valde miratos esse, scripsisse Archiepiscopum ad utramque quaestionem, ac litem periculis plenam iam notam praecidendam se erectionem petere. Nam aiunt, praesertim alteram quaestionem quae versatur super iure Praepositi Livellati iuxta antiquas consuetudines in templo B. Mariae a Guardia functiones sacras faciendi, nullimode dirimi posse, etsi templum illud in paroeciam erigatur. Non enim Praepositus ius illud sibi tribuit, quia templum est intra fines paroeciae S. Bartholomaei ; sed quia, quidquid sit de vetustioribus titulis, huiusmodi ius solemniter ei in transactione anni 1873 adiudicatum est. Nec in transactione stipulatum est, eam servandam esse tantum, quamdiu templum B. Mariae intra fines paroeciae S. Bartholomaei mansurum esset. Ergo, erecto etiam in paroeciam templo, ius tamen Praepositi, quamvis in aliena paroecia exercendum, procul dubio adhuc subsisteret. Immo aliud etiam ad huiusmodi ius titulus adderetur. Tale enim ius rerum canonicarum scriptores inter iura enumerant, quae in dismembratione Ecclesiae paroecialis Ecclesiae matrici reservari consueverunt. Ita Ferraris : « In » dismembratione Ecclesiae parochialis reservandum est canon » seu recognitio aliqua annua facienda Ecclesiae matrici v. g. » quod illi solvatur census annuus moderate arbitrio Epi» scopi taxandus, vel celebratio missae solemnis cantandae » in Ecclesia noviter erecta a Rectore matricis in die Sancti » titularis, aut etc. ». *(Bibliotheca canonica, v. Dismembratio num. 21).*

Et advertunt veritati conformia haud esse quae Archiepiscopus exponit, ut evincat paroeciae erectionem, ob habitantium frequentiam, esse necessariam. Nam vicinia montis Ficogna colentes, et administratores bonorum ecclesiae paroecialis oppidi Livellato aiunt huiusmodi paroeciae erectionem necessariam haud esse, ex eo quod populus deest, qui stabiliter Sanctuarium circumstet; et fideles qui devotionis causa Sanctuarium adeunt, ibi paucis tantum horis morentur. Et architectus Carolus Danè, cui chorum agunt magistratus

trium propinquorum municipiorum Ceranesi, S. Quirici et Campomorone, nec non quinque ex massariis templi B. Masiae a Guardia, docet, praeter sacerdotes Sanctuario addictos et duos caupones duas tantum personas, mulierem scilicet et aedituum in hospitio commorari. Quare, perquisitis libris paroecialibus, inventum est, ab anno 1706 ad annum 1893, quinque tantum et triginta homines in vertice Ficogna montis decessisse. Unde iuxta patronos perridiculum .esset in usum tantum aeditui, mulieris a linteis, ac duorum cauponum paroeciam in summo monte Ficogna erigere.

Quoad domos vero quae adgregari possent novae paroeciae, notant patroni, septem omnino habitatae domus possunt numerari, quae non longius absunt a vertice montis Ficogna: harum tres Fossa, Acquafredda et Panzetta appellatae pertinent paroeciae oppidi Ceranesi : ceterae domus, quae Liamato, Lagoscuro, Scarpin et Colletta appellantur, sunt ex paroecia S. Bartholomaei oppidi Livellato. Verum harum domorum incolae templo B. Mariae a Guardia quatenus in paroeciam erigeretur, aggregati renuunt, ex eo quod accessus ad Sanctuarium difficilis est; imo tempore praesertim hyemali, propter aeris inclementiam, impossibilis evadit.

Tandem, notant patroni, hanc erectionem templi B. Mariae a Guardia in paroeciam, si quando fiat, perniciosam ipsi templo B. Mariae exitiosamque evasuram, eo quod ceterarum paroeciarum fideles, ob quamdam zelotypiam, tam frequenter, ceu modo contingit, Sanctuarium amplius adirent, neque oblationes ferrent. Id affirmant administratores bonorum templi Livellato. Idipsum confirmant curiales oppidi Ceranesi, intra cuius fines templum illud continetur.

DEFENSIO MASSARIORUM. EX adverso procurator qui tuetur Ven. Sanctuarii iura, in primis contendit, nullum ius competere Parocho loci Livellato in dictam Ecclesiam. Nam advertit quod praedicta Capella, sive ex persona laica fundatoris, sive ex bonis laicis quibus erecta fuit, sive ex personis laicis a quibus moderabatur, sive ex eo quod Ecclesiae seu Episcopo nunquam tradita fuit, naturam iurispatronatus laicalis as-

sumpsit, semperque retinuit; sub quo titulo in documentis designatur, et in iisdem probatur. Rector autem Livellati iuxta patronum, tamquam simplex Oapellanus, seu non iurisdictionaliter, sed ministerialiter tantum a laicis adhibebatur, ad sacra in eadem Capella peragenda : unde pars eleemosynarum, non iure parochiali, sed ut merces manualis pro eius incommodo tribuebatur.

Cum autem in iure compertum sit, pergit orator : « Iuspatronatus laicale esse illud, quod ex bonis saecularibus fuit institutum, quodque a laico exercetur », sequitur quoque ex iure : « Ecclesiam parochialem nulla pollere iurisdictione super aliis Ecclesiis intra Paroeciae fines propositis et Oratorium de iurepatronatus laicorum nullam a Parocho dependentiam habere quoad iunctiones quae parochiales non sint, nisi Parochus speciali privilegio fulciatur ». — De Luca *disc. 31 de Parochis N. 8.* — Rota *Dec. 990, n. 1 et 2 cor. Malines. — Decretum Urbis et Orbis S. C. R. diei 10 Decembris 1703 ».*

Item Benedictus XIV, *Institut. 109, § 6, n. 110* ait : « Quatenus ius Parochi ad alias extendi praetendatur functiones, quae parochiales non sunt, sed mere sacerdotales, utique nullum Parochus ius habet eas prohibendi Rectori alterius Ecclesiae ».

Si igitur Parochus Livellati, arguit patronus, aliquando functiones in dicta Capella peragebat, et a libera voluntate patroni fiebat, et Parochus non iure sibi competenti, nec ratione officii parochialis, sed rogatus accedebat. Actus ergo omnes a Parocho exercitos impares omnino esse patet, ad praescriptionem gignendam, sive ex deficientia pacificae possessionis, « sive quia actus non necessarii, sed mere facultativa praescriptionem non inducunt ». De Luca, *de benef, p. 1. Disc. 89, n. 13.* Rota *Dec. 990, n. 8, cor. Malines.*

Hic patronus casum refert, a S. C. C. decisum sub titulo : Balneoregien. Oratorii quoad SS. Functionum. « In medio latifundii, vulgo d'Agliano, publicum extat Oratorium Sacrum B. Virgini *delle Grazie* cum unico Altari, et

adversum est horreum quod latifundi commodo inservit. Moniales Ascoeterii *del Buon Gesù* perantiquae latifundii dominae, praedictum Oratorium a fundamentis restauraverant, atque pro spirituali populi beneficio diebus festis de praecepto, Missam in eodem Sacello celebrare faciebant. An. 1809 cum piorum locorum bona a Demanii Quaestoribus publicarentur, latifundum ipsum in Cardinalis De Simoni dominium transiit, atque ab eius haerede an. 1859 in Equitem Petrum Valentini emptionis-venditionis contractu in quem omnia iura venditori spectantia translata sunt.

« Quum piissimus Eques Valentini Missam celebrare facere in diebus festis suis expensis voluisset, Parochus territorii instabat in iure canendi Missam in praecipua solemnitate, quae in dicto Oratorio celebratur feria II Pentec, asserens in possessione huiusmodi iuris esse ab anno 1800 idest per an. 64. Quae causa proposita fuit S. C. C. die 28 Maii 1864 sub sequentibus dubiis : *An liceat Equiti celebrare facere Missas solemnes, aliasque functiones non parochiales, praesertim feria II Pentecostes in publico Oratorio per Capellanum, aliosque Presbyteros independenter a Parocho in casu. An et quomodo eidem Equiti retinere liceat claves Oratorii in casu. Erui Patres responsum dederunt:* Ad 1. *Affirmative ad formam Decreti Urbis et Orbis S. C. Rituum diei 10 Decembris 1703.* Ad 2. *Affirmative* ».

Dein narrat patronus, quod Senatus Seren. Reipublicae ipsum Sanctuarium sub eius immediata protectione assumpsit, Praepositum pro recto regimine eiusdem Sanctuarii sua vice gerente constituit. Stemma ipsius Seren. Reipublicae in eodem Sanctuario imposuit, Capitula seu Statutum sancivit, in quo Sacerdotem custodem pro sacro ministerio exclusive fungendo assignavit, Massariorum numerum auxit.

Anno vero 1844, prosequitur, rex Carolus Albertus, post sententiam Senatus Ianuensis Sanctuarii administrationem respicientem, ad instantiam Emi Archiepiscopi Tadini, Sanctuarium sub suo patronatu posuit ; et insuper decreto diei 20 Aprilis Massariam octo membrorum instituit, quorum

duo erant Ianuenses, duo Livellati, quatuor ex aliis vallis paroeciis, quibus Syndicum Ceranesi et regium Procuratorem Ianuae residentem addidit.

Sanctuarium itaque, notat orator, quod ab initio indolem tantum localem habebat, tractu temporis in dominium nationale transivit. Idcirco Regia potestas nedum post sententiam Senatus, et ad instantiam Gubernii Seren. Reipublicae, sed instantia quoque Archiepiscopi, sub suo Regio patronatu Sanctuarium iterum posuit. Notum est autem lippis et tonsoribus quod, ea Pia Opera quae patronatui Regio subiiciuntur, ab ordinaria ecclesiastica iurisdictione eximuntur *(Conc. Trid. Sess. XII, Cap. S de Reform.).*

Anno tandem, instat, 1890 dieque 6 Aprilis rex Umbertus I novum statutum firmavit, quod adhuc in viridi observantia est, vi cuius Massaria, cui praeest regius Procurator tribunalis secundi gradus Ianuensis 14 membris constare debet; scilicet rectore pro tempore Sanctuarii et Syndico Ceranesi. Quibus alia duodecim addenda sunt, duo eligenda ex paroecia Livellati, quatuor ex vicinis paroeciis ; sex tandem tum Ianuae, tum urbis Sampierdarena.

Dein Orator, quum ad verterit B. M. V. Templum magna in dies suscepisse incrementa, usque ad extructam hodiernam peraugustam aedem; originem controversiae notat eam fuisse quod ipse fundator Pareto, et postea Massarii, rustici et parochiani Livellati sive necessitatis, sive reverentiae causa, proprium Parochum advocabant ut in ipsa Capella de Guardia sacra perageret, eique pro suo incommodo aliquam eleemosynarum partem ^largirentur. Sensim ac pedetentim ipsi Parochi, iuxta patronum, nihil antiquius habuerunt, quam iura ipsorum patronorum sibi usurpare, nihilque intentatum reliquerunt, ut, nedum in iurisdictionem seu in functiones, sed in regimen quoque et administrationem rerum eiusdem Sanctuarii captiose atque per vim se intruderent, adeo ut maximam partem eleemosynarum, quae a fidelibus Sanctuario offerebantur, et supellectiles sibi arriperent, suosque consanguineos ditescerent. Hoc probare patronus contendit

referens vota duorum Consultorum Serenissimae Reipublicae qui effuso calamo parochorum oppidi Livellato usurpationes incusant.

Exinde deducit procurator clare patere : 1. quod Parochi Livellati fere omnes eleemosynas Sanctuarii sibi usurpabant. 2. Quod indebite se ingerebant in Massariorum electionem adeo ut tumultus excitarent in populo, et hoc pro eorum finibus politicis, seu ut eligerentur Massarii sibi bene visi. 3. Quod huiusmodi usurpationem incoeperunt praesertim ab anno 1626, scilicet 136 anni post erectionem Sanctuarii, et eodem anno quo ultimus ex descendentibus Pareto iuspatronatus Sodalitio Livellati donavit. 4. Quod ann. 1596 iam aliqua conventio inita fuerat ; sed sive ex personis suspectis, sive ex callido modo, quibus originem duxerat, profecto vitio nullitatis laborabat, ita ut post annos 29, seu anno 1626, alia conventio vel transactio condita fuit. Cum vero ceterae posteriores conventiones supra dictae, an. 1596, innitentur, merito itaque supremum Tribunal Reipublicae omnes penitus abrogavit.

Pariter, pergit patronus, nullius roboris fuere ea acta et concessiones, favore Parochorum Livellati atque in damnum Sanctuarii Patronorum, ab ipsa Curia Episcopali probata : 1. quia Episcopi nil possunt contra leges generales ; iure autem communi Ecclesiae Sodalitiorum et Patronorum eximuntur a iurisdictione Parochorum, saltem quoad functiones non parochiales, et quoad regimen atque administrationem eorumdem bonorum : idcirco quidquid Episcopi decreverunt in casu contra iura Patronorum et Sanctuarii, irrita nullaque fuerunt. 2. Quia Parochi circumventione et abusu ac inscia Massaria Curiam adibant, ab eaque dicta, acta et facultates obtinebant.

Quamobrem, iuxta procuratorem, Senatus, seu supremus Moderator Sereniss. Reipublicae, sub eius immediata protectione Sanctuarium posuit : tum ut finem imponeret perturbationibus et indebitis usurpationibus Parochorum Livellati; tum ut iuspatronatus, postquam novum Templum extractum

fuerat, sibi assumeret. Anno vero 1700 Statutum, pro recto Sanctuarii regimine, sancivit ; in eoque cautum fuit : ut. Universitas seu Confraternitas Capellanum eligeret ad nutum, qui omnia quae ad divinum cultum pertinent in ipso Sanctuario exclusive perageret ; ut tres essent claves capsellae eleemosynarum, quarum unam Capellanus retineret, aliae penes duos Massarios permanerent, etc. In ipso vero exordio dicti Statuti expressum fuit : « debbano nelF avvenire confe-
» rire alla maggior gloria di detta Santissima Cappella ; ed
» alla quiete perpetua dei massari e compagnia ».

Quum a iurgiis et contentionibus non cessaret parochus oppidi Livellato, die 11 Maii 1784 supremum Tribunal, prosequitur orator, sententiam pronunciavit a Serenissimo Senatu confirmatam, qua praevia declaratione compromissum inter parochum Livellati et Massarios Oratorii B. Mariae de Guardia initum attendendum haud esse, decrevit eiusdem Oratorii Massariam in possessione controversae domus manu tenendam esse. Quin aliquid proficiat exceptio compromissi a novis Massariis peracti, quod uti nullum habendum est, ex eo quod ipsi, absque Sereniss. Senatus consensu, facultate oratorii fundum obligandi desti tuebantur.

Quo vero ad ingerentiam, quam praedictus parochus in Oratorio exercere praetendit, cum hoc edictis 1764 et 1782 Parocho vetitum sit ; idcirco supremum Tribunal retinuit eumdem parochum nedum edicta citata, verum etiam capitula anno 1700 edita et a Sereniss. Senatu confirmata observare debere, derogando ad hunc effectum cuilibet alteri decreto, praesertim vero conventioni anni 1696.

Sed nec magis prodesset excipere, notat patronus, quod dicta sententia utpote probata a laica potestate, nullius esset roboris relate ad negotia ecclesiastica. Siquidem, quum Sanctuarium ab origine sua iurispatronatus laicalis fuisset, et protectioni supremi Principis immediate subiiceretur, erat quidem in potestate eiusdem Principis iura sanctuarii tueri. Unde, concludit, quod quamvis parochus Massarios induxerit ad aliam ineundam transactionem sub *die 21 Octobris 1787,*

tamen haec aeque nullius valoris est. Quum vero parochus in eadem conventione promiserit se amplius nullam partem habiturum fore in administratione, mirum est, exclamat eumdem parochum velle recognoscere conventionem, ea in parte tantum sibi favorabile.

Suam intentionem exposuit quidem parochus apud tribunal Civile sub anno 1872, sed patronus observat, eamdem repudiatam fuisse per sententiam decretorie contrariam. Quae tamen parochorum oppidi Livellato contundere audaciam haud valuit.

Quoad transactionem initam anno insequenti nempe 1873, advertit advocatus, hic non agi de transactione, sed de mero spolio ac furto. Siquidem, transactio dicitur : « pactio, aut conventio de re dubia, aut lite incerta, aliquo dato, et aliquo retento ». In themate vero non agebatur de re dubia vel de lite incerta, cum decem abhinc mensibus quaestio iam iudicata fuisset favore Sanctuarii, et in rem iudicatam transiisset. Parochus insuper nihil dedit, sed potius magis accepit, quam quod in praecedenti iudicio expoposcerat : in quo de iure peragendi functiones in Sanctuario, ne verbum quidem factum fuerat. Unde, etiam iure moderno huiusmodi concessio flocci facienda est: nam in art. 1768 Codicis civilis ita habetur constitutum: « La transazione non si estende » oltre a ciò che ne forma l'oggetto » ; sed in casu obiectum transactionis aliud esse non poterat, nisi postulata Parochi in praecedenti iudicio expressa : ergo dicta concessio in transactione apposita, tamquam non adiecta habenda est.

Praeterea, huiusmodi transactio, pergit orator, vitio nullitatis ex aliis quoque capitibus laborat: 1. quia conventioni an. 1696 innixa fuit , quae abrogata fuerat decreto Seren. Senatus an. .1874, idcirco corruente fundamento, necesse est tota etiam transactionis fabrica praecipitet. 2. quia contra Parochum praescriptio triginta ac etiam centum annorum ineluctabiliter stabat, prout declaraverat Tribunal in iudicio praeteriti anni. 3. quia administratores piorum Operum Ecclesiarumque nihil alienare queunt, tam quoad bona quam

quoad iura, absque expressa venia, sive potestatis civilis, sive auctoritatis ecclesiasticae, quae facultas in casu omnino defuit ; dum omnes sciunt transactionem aliquam habere speciem alienationis. 4. quia Parocho prorsus vetitum fuit se immiscere in rebus Sanctuarii, etiam quoad functiones, a Statuto an. 1700, ab Edictis an. 1764 et 1783, a sententia vel Decreto Ser. Senatus an. 1784 et a Decreto Archiepiscopi an. 1840; ac nuperrime a novo Statuto an. 1890 et Decreto Archiepiscopali eiusdem anni. Unde, sub quocumque aspectu transactio ipsa inspiciatur nullius roboris ac valoris esse manifestissime evinci, concludit patronus.

Hae omnes usurpationes, ait patronus, facile intelliguntur si hodierni parochi consideretur arrogantia qui suorum praedecessorum premit vestigia. Namque quum Archiepiscopus Magnasco die 20 Maii 1890 decrevisset novum Sanctuarium directe sub eius iurisdictione positum esse, Parochus sub die 25 dicti mensis eidem Archiepiscopo scripsit: « Eccel-
» lenza, io sottoscritto protesto e protesto altamente contro
» il suo Decreto . . . . io difenderò i miei diritti dinanzi ai
» Tribunali, e solamente cederò, dopo molte sentenze ».
— « Rmo Monsignore. — Già da molto tempo sento parlare
» che alcuni desiderano di rendere indipendente dalla Par-
» rocchia di Livellato il Santuario. . . . Ho sempre cre-
» duto ciò, perchè *per invidia diaboli etc.* Ora mi viene
» riferito che la Rma Curia acconsente ai desiderii dei so-
» pradetti. . . . non cederò a diritti di sorta ; ma prenderò
» la difesa in qualunque modo; e cederò soltanto dopo molte
» sentenze ».

Nec iste Parochus reliquit famam mordere, pergit orator, acriter et gratuite, sive Massariorum, sive plurimorum Sacerdotum, praesertim Sacerdotis s. m. Franc. Montebruno, institutoris pii Operis « Istituto degli Artigianelli » ; viri caritatis, zeli et vitae sanctitatis praeclarissimi qui, post mortem hanc laudem meruit obtinere : « Che nella virtù del
» sacrificio i Bosco ei Oottolengo emulando spese la vita ».

Denique patronus ultimam quaestionem aggressus, nempe

an expediat Sanctuarium in parochiam erigere, asserit hoc imo esse necessarium ad auferendam mixtam iurisdictionem ad mentem Concil. Trid. *Sess. 24 cap. 18.* Etenim Parochus Ceranesi concludenter probavit, ac etiam Archiepiscopus in suo Decreto diei 20 Maii 1890 retulit, novissimum Sanctuarium Hospitiumque in eius ditione constitutum esse. Eo vel magis, quia dictus Parochus expresse declaravit, in hac hypothesi libenter iura sua cedere Sanctuario. Ceterum, id non est praetereundum, observat patronus, quod, cum quaestio mixtae iurisdictionis inter duos Parochos pendeant, primum dubium in calce exscriptum locum habere non potest. Erectionem vero huius novae paroeciae, omnia iura exigunt quia ea omnia existunt quae ad erigendas parochias requiruntur: magnificum ac frequentissimum Templum, spatiosum commodumque Hospitium, annuus reditus libellar. 35,060, pluria aedificia praediaque propria Sanctuarii, Rector cum tribus Capellanis ibidem assidue residentibus, quorum primus stipendium habet libell, an. 2,400 ceteri vero libell. 1,400 praeter habitationem. Et licet in praesens numerus ordinarius incolarum non sit magnus, nihilominus fere semper habetur fidelium ex undique concursus, et non raro evenit, ut ipsorum aliqui per plures dies ibi commorentur.

Hisce omnibus expositis, proposita fuerunt diluenda sequentia

## Dubia

I. *An Ecclesia, B. Mariae a Guardia eum omnibus suis partibus aedificiisque annexis contineantur intra limites Paroeciae S. Bartholomaei Livellati in casu.*

II. *An transactio inita die 8 Aprilis 1873 inter Massarios Ecclesiae B. Mariae a Guardia et Rev. Praepositum S. Bartholomaei Livellati sustineatur, nempe :*

1. *Quoad annuum canonem libellarum ianuensium 108 memorato Praeposito Massariis solvendum:*

*2. Quoad ius eiusdem Praepositi Ecclesiam B. Mariae*

*a Guardia adeundi, et sacras functiones ibi peragendi, iuxta antiquas consuetudines in casu.*

III. *An denique annuendum sit votis Episcopi /postulantis, erectionem Sanctuarii B. Mariae a Guardia in paroeciam in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii mox relatis maturo examini subiectis, in plenariis comitiis diei 20 Iulii 1895 respondendum censuit :

Ad I. *Non proposita et partes, quatenus velint, utantur iure suo coram Curia archiepiscopali.* Ad IL *Negative in omnibus.* Ad III. *Iuxta exposita, non expedire; et servetur Decretum diei 20 Maii 1890.*

---

## NOLANA

### SOLUTIONIS MEDIAE ANNATAE

*Die 20 Iulii 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Nolanus Praesul S. C. C. litteris sequentis tenoris adibat : vi Bullae Benedicti XIII, *Pius et misericors* beneficia simplicia, non provisa per Apostolicam Sedem, et ipsa curata beneficia, quorum reditus superet centum scuta romana, gravari onere *mediae annatae;* quam tamen neque Canonici Cathedralis aut Collegiatae Dioecesis huius persolvere curarunt, neque libenter nunc id facerent de beneficiis provisi ob immutata temporum adiuncta, et causa oneris taxae successionis, et *regii placet.* Solutionem *mediae annatae* opportunum nunc venire ob Cathedralis aedificationem, cui haud par est pecuniae summa a Gubernio assignata. Quibus praenotatis, dubiorum insequentium petere solutionem :

I. Utrum vi clausulae *sublata* et *decreti irritantis* adstringere valeat ad solutionem *mediae annatae* novos omnes bénéficiâtes, comprehensis illis qui eam non persolverunt ultimis decem annis.

IL An praelevari possint onera taxae *successionis et regii placet,* quum vi Bullae detrahenda sint onera Beneficii.

III. An Beneficia curata onera *mediae annatae* gravari tantum valeant illa, quorum reditus maior mille libellis sit.

Cui postulato S. C. C. *sub die 9 Septemb. 1893,* censuit respondere : « *Attentis peculiaribus temporum rerumque adiunctis, iisque perdurantibus nihil esse innovandum* ».

Capitulum animadvertens ex hoc responso aboleri taxam *mediae annatae,* solvendam a beneficiatis favore fabricae Ecclesiae, studuit ostendere, adductis documentis, hanc consuetudinem fulciri cursu quatuor aut quinque saeculorum et Brevibus , privilegium eiusmodi concedentibus, plurimorum Pontificum, quorum primus Clemens VII anno 1524. Sategit etiam evincere ius exigendi medias annatas proprium esse Capituli, minime Episcopi.

Hisce sic stantibus, praebendati Cathedralis Nolanae, quae sequuntur proposuerunt quaesita:

1.° An Capitulum Ecclesiae Cathedralis Nolanae manutenendum sit in immemorabili privilegio seu consuetudine, a Romanis Pontificibus confirmata, quaeque adhuc est in viridi sua observantia , exigendi a beneficiatis Dioecesanis medias annatas, iuxta tamen formam et modum a f. r. Benedicto Papa XIII praescriptum ?

2.° Et quatenus affirmative, an possit servari ratio et modus eas exigendi hactenus servatus, requirendo nempe ab iis, qui eas praesenti pecunia non solvunt, aliquam syngrapham, qua se obligent eas quamprimum soluturos?

3.° An defectu solutionis possint Canonici, a Capitulo deputati, beneficiatus adigere ad eam peragendam sive coram iudice ecclesiastico, sive coram iudice laico?

Episcopus percontatus pro informatione et voto retulit sub die 15 Iulii 1894: veritate niti adducta per capitulum quoad exactionem *mediarurn annatarum,* usque ad publicationem Bullae Benedicti XIII *Pius et misericors ;** nescire tamen an post id temporis , haec consuetudo permanserit, vel exactio facta sit ab Episcopo ipso, iuxta Bullae prae-

scriptum ; quia documenta hoc còmprobantia deficiunt. Quare Ordinarius expetit declarari a S. O. C. an hoc officium committi debeat capitulo, vel ab ipso Ordinario exerceri cum scientia et consensu Capitularium ?

## Disceptatio Synoptica

Mens Pontificis in Const. « Pius et Misericors » omnino perspecta est. In primis ad solvendam *mediam annatam* obligat *omnia* beneficia ecclesiastica, cuiuscumque generis, etiam curata, dummodo haec « *una cum incertis annuum reditum scutatorum centum monetae Romanae* » excedant. Item excipit haec omnia beneficia quando « *collationis, institutionis et provisionis S. Sedis* » existant.

Quoad bullae executionem Pontifex praecepit : « *quod mediae annatae huiusmodi deponantur penes personam idoneam ab Episcopis cum scientia et consensu capituli deputandum* et successive ab eisdem, deficiente necessitate occurrendi *reparationi Ecclesiae, investiantur* etc. » Dein concludit Pontifex cum clausula « sublata » ad roborandam in perpetuum Constitutionis vim. - Quomodo vero intentio et vis clausulae « *sublata* cum *decreto irritanti* ea sit impediendi contrariam consuetudinem, plane exploratissimi iuris est. Ita resolvit S. C. Concilii *in Reatina mediae annatae » 16 Maii 1789 § Casus; Ariminen. Mediae annatae 13 Martii 1841,* et Rota *decis. 575 n. 11 coram P enea et Gerunden. 3 Martii 1727 § 30 coram Calcagn.* apud Sacram Congr. Concilii *in Reatina Med. annat. 12 Maii 1770 §Ad Primum; Tadertina Med. ann. per summ, precum 1847.*

Quoad onera vero, quae reditus beneficii afficientia, a solvenda media annata eximere valent prae oculis habeatur S. C. C. responsio in *Tibur. Med. annat.* 4 Maii 1754: nempe quaesito « *An et cpuae onera et quae expensae deducendae sint ex reditibus beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum in casu »* S. C. C. reposuit « *deducenda esse onera mere fixa et realia, non vero personalia*

*in beneficiis curatis, ad effectum ut subiiciantur taxae et amplius* ».

Sed ex adverso consideranda est decisio S. C. C. in hac eadem controversia, « *attentis peculiaribus temporum rerumque adiunctis, iisque perdurantibus, nihil esse innovandum* ». Cuius prudentissimae responsionis hic in primis est sensus, quod non obstante clausula irritante, Pontificiis Constitutionibus apposita, tamen temporum adiunctis et vicissitudinibus ea inest necessaria vis, ut amplius, *vi legitimae contrariae consuetudinis,* urgeri non possit quod antea sapienter fuerat constitutum. Consuetudo enim est fons obligationis iuridicae, scatens ex temporum locorumque conditionibus, quas uti legislatores praevidere neve impedire possunt, ita a suo iuridico effectu praepedire non valent.

Verum in primae causae propositione Episcopus Nolanus adesse haec temporum adiuncta insinuaverat, quae contrariam induxerant Constitutioni Benedictinae consuetudinem ; nunc vero Capitulum cathedrale et ipse Episcopus non diffitetur, adesse potius laudabilem consuetudinem exequendi eamdem Bullam eiusdemque executionem pro necessitatibus Ecclesiae Cathedralis esse prope necessariam. - Hinc remissum fuit EE. PP. *ex noviter deductis* deliberare an illud praeceptum « *nihil esse innovandum* » magis sit retorquendum ad custodiendos religiose mores legitime introductos.

Quia capitulum et ipse Episcopus plures obiiciunt quaestiones ; videntur omnes posse reduci ad hanc, nempe, « *an Bulla - Pius et Misericors - observari debeat non solum quoad solutionem faciendam mediae annatae, sed etiam quod ad modum illam exigendi eamque administrandi*». Quo in dubio sane caput est, an observari debeat ipsa Bulla; nam quia accessorium sequatur principale oportet, si Vobis respondere placeat, Pontificiam Constitutionem observandam esse, videtur sequi eamdem servandam esse omnibus in suis partibus quibus sane, Pontifici perpenso studio et proposito derogare non fas esset. - Modum vero exigendi hanc praestationem quod spectat, videtur servanda ordinaria exactionis

ratio in similibus casibus, salva semper Iudicis Ecclesiastici competentia.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quo responso dimittendae essent preces.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 20 Iulii 1895 censuit respondere : *Attentis noviter deductis, et reassumptis dubiis ab Episcopo propositis anno 1893 EE. PP.* Ad I. *quoad futurum adigiposse ad solutionem omnes beneficiatus in Constit. Pius et misericors Bened. XIII designatos ; ideoque etiam Canonicos et beneficiatus Cathedralis et Collegiatarum.* Ad II. *Attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, affirmative, facto verbo cum SSmo.* Ad III. *Negative et standum Const. Benedictinae, salvo iure parochorum recurrendi in singulis casibus pro reductione mediae annatae. Quoad quaesita a Capitulo proposita; ad I. et II. servetur Constitutio Pius et misericors; ad III. affirmative coram Iudice ecclesiastico.*

---

# EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

## S. IOSEPHI DE COSTARICA (1)

### RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

*Die 23 Augusti 1895.*

COMPENDIUM PACTI. Anno superiori quaedam quaestio exagitata fuit in plenaria Congregatione EE. PP. inter Episcopum S. Iosephi de Costarica et sacerdotem Olimpium Zill Desilles circa remotionem a nonnullis officiis, suspensionem et refactionem damnorum; et propositis dubiis : I. *An et quomodo sustineantur provisiones dierum 5 Iunii et 5*

(1) Speciem et tractationem huius causae in prima propositione vide in praecedenti vol. XXVII, 430.

*Iulii 1891, quibus Episcopus de Costarica privavit sacerdotem Zill Desilles officio Professoris in Seminario et Cappellani in Instituto Sororum de Sion in casu?* II. *An et quomodo sustineatur suspensio inflicta in casui* III. *An et quae damna compensartela sint praefato sacerdoti ob dictas remotiones et suspensionem in casui*

S. Congr. sub die 24 Augusti 1894 rescripsit. Ad L *affirmative in omnibus.* Ad II. *attentis omnibus in casu concurrentibus affirmative in omnibus.* Ad III. *negative in omnibus et amplius.*

Quoniam resolutio erat munita clausula *et amplius*, quae constituit rem iudicatam, sacerdos Zill Desilles pluries institit pro obtinendo extraordinario beneficiò novae Audientiae et tandem Moderatores praefatae Congregationis quaestiunculae!, seu potius Oratorem remiserunt ad plenarium Conventum Emorum Patrum per sequens rescriptum diei 8 Iunii p. elapsi - *Proponatur in plenario EE. PP. coetu proximo pjer memoriale, citata parte super restitutione in integrum tantum.*

## Disceptatio Synoptica

*Rationes pro concedenda, restitutione in integrum seu beneficio novae audientiae-.* Sacerdos Zill Desilles instat pro revisione causae ex triplici capite : 1. quia defensio et documenta exhibita ab adversa parte notificata seu communicata fuere novissima hora causae propositionis, ideoque sibi impossibile fuit ea expendere et refutare.

2. Quia fere omnia documenta, ex adverso exhibita, necessaria authenticitate destituuntur : sunt enim apographa quae Episcopi Procurator in Urbe legalitate donavit, quin cognosceret originales caracteres et subscriptiones.

3. Tandem quia Episcopus rogatus ad originalia transmittenda, nonnulla tantum transmisit et post longum tempus.

*Rationes pro deneganda restitutione in integrum.* Ex adverso observabat Advocatus summista, quod exceptio proposita a sacerdote Zill Desilles circa authenticitatem docu-

mentorum omni exors est fundamento : siquidem impugnata documenta comparata, ipso sacerdotis Defensore adstante, cum eorum originalibus, perspecte congruere inventa sunt.

2. Item spernendum esse dicit alteram exceptionem, quod nempe praefata documenta novissima hora, comunicata fuerint ; in facto enim est quod ea exhibita fuerunt intra tempus praescriptum a regulis S. Congregationis.

3. Tandem nullo in pretio habendum esse alterum Sacerdotis effugium quod omnia documenta in originali transmissa non fuerint, ceu ipse postulavit in actu appellationis diei 1 Septembris 1894. Primo quia dictus sacerdos alio posteriori recursu nonnullorum documentorum tantum originalia expetivit, et haec missa sunt : secundo quia haec vere sunt illa quae in causae meritum innuere possunt, et alia cuius originalia desiderantur, non tanti sunt ponderis, ut ex his edita resolutio revocari queat. Proinde cum nihil novi sit productum, concludebat, Oratoris petitionem respuendam esse.

Hisce utrimque relatis ad propositum

### Dubium

*An sit ¿ocies restitutioni in integrimi in casu ì*

RESOLUTIO. S. Congregatio sub die 23 Augusti 1895 re discussa rescripsit : *Negative.*

# EX 3. CONGREGATIONE RITUUM

S. IACOBI DE CHILE. Dubia quoad iura et privilegia Episcoporum titularium, qui cooptantur inter capitulares.

Marianus Casanova Archiepiscopus S. Iacobi de Chile Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit: per Decretum ab Ipsa editum die 16 Martii 1861, plures usus, ritualibus Ecclesiae legibus adversos, et praetextu longaevae consuetudinis retentos, e sua Archidioecesi' ac praesertim ab Ecclesia Metropolitana fuisse sublatos. Quum tamen ad Rmum Capitulum .metropoli-

tanum unus Archiepiscopus et duo Episcopi titulares pertineant, aliquando dubia exoriuntur circa eorum iura ac privilegia. Hinc idem obsequentissimus Archiepiscopus ab eadem Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem efflagitavit, nimirum :

1. An crux archiepiscopalis possit esse duplici hasta transversali ac parallela cum alia verticali composita ?

2. An Archiepiscopi uti possint chirothecis quum ad Ecclesiam accedunt vel ab ea recedunt, ante et post Missam pontificalem ?

3. Utrum Archiepiscopus Missam celebraturus supra planetam gestare queat crucem pectoralem ?

4. An in aliena Dioecesi Episcopi suffraganei et titulares mozzetta uti possint?

5. Et adhibere Cappam pontificalem ?

6. An iidem pariter in aliena Dioecesi baculum pastoralem deferre valeant?

7. Atque solemniter celebrantes sedere in sede Archiepiscopi vel Episcopi propria seu in throno, cum sola ipsius loci Ordinarii licentia ?

8. Ac tandem adhibere biretum doctorale cum quatuor apicibus, quod sit coloris violacei, cum flosculo et funiculis rubri coloris ?

9. Canonici, etsi dignitate episcopali insigniti sunt, debent ne associare Archiepiscopum cappa magna indutum ad metropolitanam Ecclesiam accedentem, sive ut Missam Pontificalem celebret, sive ut Missae ab alio celebrandae assistat?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibusque rite perpensis rescribendum censuit:

Ad I. Dilata.

Ad II. et III. Negative, iuxta Caerem. Episcoporum et Decreta :

Ad IV. Negative iuxta Decreta, praesertim in Liburnen. 23 Septembris 1848 ad II (1).

*En in commodum lectorum decreta, quae citantur.*

(1) LIBURNEN. 23 Septembris 1848. Dubium II. An possit (Administrator Dioecesis) uti Mozzetta, vel potius supra Rocchettum Mantellettam tantum gestare debeat. Resp. ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad V. detur Decretum in *Veliterno,* 6 Septembris 1698 (1).

Ad VI. Affirmative ex permissione Archiepiscopi vel Episcopi Ordinarii loci, et quando tenuerint ordinationes, consecrationes aliasque functiones, in quibus iuxta regulas libri pontificalis baculo pastorali uti debent et necesse est, iuxta Caerem. Episcoporum lib. I, c. 17, et Decret. *Bracharen.* 1 Sept. 1607 (2).

Ad VII. Dilata.

(1) VELITERNA

Relatis ab Emo et Rmo D. Card. Petruccio in S. R. C. infrascriptis dubiis inter Episcopum Suffraganeum ei Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Veliternae exortis, videlicet:

I. An saltem aliqui Canonici Ecclesiae Veliternae teneantur eidem Suffraganeo obviam ire usque ad ostium Ecclesiae, ibique ex iisdem Canonicis dignior aspersorium porrigere, et in reditu usque ad eamdem ianuam comitari, dum cappa indutus, ad Pontificales functiones obeundas accedit, Antecessoris non usu minime obstante?

II. An eidem debeatur genuflexorium, et an cum pulvinaribus et strato ad orandum ante Sanctissimum Sacramentum, dum occasione functionum ingreditur Ecclesiam ?

III. An facienti Ordinationes generales in aliquo eiusdem Ecclesiae Sacello (propter impedimentum Altaris maioris ex causa recitationis horarum in Choro) debeant in eodem Sacello assistere aliqui ex Canonicis?

IV. An dum assistit concioni, Praedicatoris salutatio ei prius dirigi debeat distincta ab illa Canonicorum, et Magistratus saecularis?

S. eadem R. C, auditis tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus, respondit :

Ad I. Posse de licentia Emi et Rmi Domini Card. Decani Episcopi Ostiensis, et Veliterni deferre cappam; et in hoc casu teneantur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiae, et dignior porrigat ei aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergat, et pariter eum associent in reditu usque ad eumdem locum.

Ad II. Iuxta votum Magistri Caeremoniarum, videlicet, *Negative.*

Ad III. *Servetur Pontificale curi/i Missa solemni in altari maiori, praesente Clero.*

Ad IV. *Affirmative;* quatenus videlicet in Presbyterio. «Et ita decrevit, et servari mandavit ».

Die 6 Septembris 1698.

(2) BRACHAREN.

Licet alias in Sacr. Rit. Congr. ad istantiam Archiepiscopi Bracharen, sub die 21 Februarii 1604 declaratum fuit, Dignitates et Canonicos teneri Episcopo Suffraganeo assistere, quoties functiones Episcopales nomine proprii Archiepiscopi exercet, et eidem eadem obsequia praestare ; quae Archiepiscopo proprio easdem functiones facienti praestaturi essent, ut pariter in eadem Congregatione declaratum fuit sub die 20 Martii eodem anno 1605 : tamen quia novissime Dignitates et Canonici eiusdem Ecclesiae Bracharen., ab eadem S. R. C. petierunt declarari. An in omnibus, et per omnia Episcopo Suffraganeo inservire, et ministrare teneantur, sicut tenentur ministrare, et inservire proprio Episcopo?

Ad VIII. Negative, quoad biretum formae doctoralis, iuxta Decretum in *Venusina* 7 Decembris 1844; (1) Affirmative quoad

Eadem S. R. C audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. Montis Regalis, qui hoc negotium alias commiserat, declaravit ut infra, videlicet:

Non teneri Dignitates, et Canonicos obviam ire Episcopo Suffraganeo, ad Ecclesiam venturo usque ad eius cubiculum, sicut tenentur obviam ire proprio Archiepiscopo, sed salis esse, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae et dignior ei aspersorium porrigat, eumque usque ad Altare, vel locum ad celebrandum, seu alias functiones exercendum destinatum, associent:

Item declaravit dictum Suffraganeum solemniter celebrantem non debere sedere in Sede archiepiscopali, sed in faldistorio in cornu epistolae locando, nec debere uti baculo Pastorali, nisi quando tenuerit Ordinationes, vel alias functiones fecerit, in quibus, iuxta regulas Libri Pontificalis, eo uti debet, et necesse est; nec debere habere assistentiam duorum Canonicorum, praeter Diaconum, et Subdiaconum, qui erunt cantaturi in Missa Evangelium, et Epistolam, sicut haberet proprius Archiepiscopus, si solemniter celebraret, sed satis esse si praeter Diaconum et Subdiaconum, ei unus ex Dignitatibus, vel Canonicis assistat ad librum, Pluviali paratus.

Similiter celebrante Episcopo Suffraganeo, non teneri omnes Dignitates, et Canonicos sacra paramenta accipere ; sicut tenentur proprio celebrante Archiepiscopo; sed praeter ministros supradictos, alios omnes assistere debere in habitu ordinario canonicali, et pariter celebrante Episcopo Suffraganeo, super Altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur, celebrante proprio Archiepiscopo.

In reliquis functionibus, quas exercet Episcopus Suffraganeus, vel alius Episcopus delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in Ordinationibus Clericorum, in consecrationibus, et reconciliationibus Altarium, et Ecclesiarum, seu Caeremoniarum, et in similibus, Dignitates, et Canonicos teneri assistere Episcopo Suffraganeo in habitu Canonicali, quando legitime non erunt impediti, et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates, et Canonicos, quot necessarii erunt iuxta Rubricas Pontificalis, et formam actus, quem dictus Episcopus Suffraganeus exercet. Et ita in omnibus, ut supra, eadem S. R. C. censuit ei declaravit.

Die 1 Septembris 1607.

(1) VENUSINA

Quum Capitulum Cathedralis Venusinae Ecclesiae Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo Dubia pro opportuna solutione proposuerit, nimirum:

I. An in Choro, et Processionibus, quae capitulariter aguntur, possit is, cui ob Magisterium, et Lauream, aut Licentiam in Disciplinis Theologicis, vel sacris Canonibus obtentam facultas conceditur deferendi Biretum cum quatuor apicibus, eodem Bireto uti?

II. An iste, contradicente capitulo punctationi distributionum obnoxius evadat, etiam si quadraginta ab hinc annis iam defunctus alius Sacerdos in eadem Ecclesia usus fuerit tali facultate, et nemo contradixerit?

Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me subscripto secretario, propositis Dubiis occurrens rescribendum censuit: Negative in omnibus, nimirum nec uti posse in Ecclesiasticis functionibus tali Bireto, nec amittere distributiones, siquidem Biretum non est Chorale indumentum. Die 7 Decembris 1844.

biretum formae ordinariae ac coloris violacei cum flosculo et funiculis eiusdem coloris, iuxta privilegium a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII indistincte omnibus Episcopis concessum.

Ad IX. Affirmative et servetur Decretum *Gnesnen,* et *Posnanien.* 20 Martii 1869 (1).

Atque ita rescripsit. Die 6 Septembris 1895.

L. M. CARD. PAROCCHI

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secret.*

URBIS ET ORBIS. Decretum quoad Missas sanctorum ex indulto concessas nonnullis Ordinibus regularibus.

Quod Benedictus XIV diserte docet *Op. de Beat, et Can. Lib. IV. part. II. C. II. n. 5,* Missas nempe in honorem Beatorum, vel etiam Sanctorum nonnullis Ordinibus Regularibus, ex indulto concessas, ab aliis Presbyteris sive Saecularibus, sive Regularibus, celebrari non posse; Sacrorum Rituum Congregatio iampridem declaraverat, ac postea quampluribus particularibus seu generalibus Decretis retinuit confirmavitque.

Cum nihilominus eodem Benedicto XIV fatente, incongruum videretur, ut exteri Sacerdotes ad Regularium Ecclesias, die pro festo statuta, confluentes, aliam celebrarent Missam ab illa, iisdem Regularibus concessa ; hinc factum est, ut Summi Pontifices, in ipso Beatificationis Brevi, Indultum pro Regularibus datum, ad omnes et singulos Sacerdotes in praefatis Ecclesiis celebrantes extenderent.

Id autem progressu temporis consultius ac prope necessarium iudicatum est, cum novae pluresque Missae, iisdem Regularibus, seu etiam permultis particularibus Ecclesiis, quum Sanctorum, tum Beatorum indultae sint; ne videlicet, latae super celebratione Missarum leges, aut confusionem aut facilem transgressionem paterentur ; nisi et forte earundem observantia fere impossibilis fieret.

Quae quidem omnia cum pluries, ac praesertim in una *Romana Dubiorum,* in conventu habito die 23 Augusti 1890, per-

ii) Adest relatum Vol. XII, 57.

pensa fuissent; Sacra Rituum Congregatio, dilata resolutione, decrevit, ut ad omnem difficultatem penitus amputandam, certae normae hac in re universis Sacerdotibus in singulis casibus constituerentur. Idcirco in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit :

Omnes et singuli Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes, vel ad Oratorium publicum, Missas, quum Sanctorum, tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur : exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officio ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria ; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani, vel S. R. C. Decreta prohibent.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando.

Die 9 mensis Decembris anno 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

L1NG0NEN. jDubium quoad officium voti vu m.

R. D. Alph. Mart. Larne, Episcopus Lingonensis, humiliter petiit, ut S. R. C. sequentia dubia enodare dignaretur, nimirum:

Utrum officia votiva concurrentia cum aliquo festo primario eiusdem ritus : et, vice versa, an festum primarium concurrens cum officiis votivis, dimidient Vesperas?

Et S. C, exquisito voto alterius ex Apóstol. Caeremoniarum

Magistris, reque mature perpensa, respondendum censuit: *Totum de festo primario eum commemoratione officii votivi*

Ita rescripsit 23 Aug. 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L . * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

DUBIUM quoad litanias Sanctissimi Cordis Iesu.

A Sacra Rituum Congregatione expetitum fuit, utrum Litaniae SS. Cordis Iesu, quae per Decretum *Pinerolien.,* quod circumfertur, quamvis a Sancta Sede approbatae non fuerint, permissae dicuntur, saltem extra functiones stricte liturgicas* recitari aut cantari possint in Ecclesiis vel Oratoriis publicis?

Eadem vero Sacra Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, respondendum censuit: *Negative ; et cuilibet Decreto contrario derogatum esse per subsequens Generale Decretum, datum die 6 Martii. 1894, quo prohibentur Litaniae quaecumque, nisi extent in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis* » (1). Atque ita servari mandavit. Die 28 Novembris 1895.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

GRAVIORA MONITA quoad aperitionem s. Tabernaculi, quoad communionem fidelibus impertiendam, et quoad reliquias Beatorum in publicis supplicationibus deferendas.

I. In quadam Ephemeride gallica legitur, Sacerdotem posse pro sua privata devotione sacrum Tabernaculum aperire, pro Sacramenti adoratione, preces ad libitum fundere, ac deinde illud claudere: Idque dicitur legitime inferri a quibusdam S. R. Congregationis Decretis. Nomine et auctoritate Sacri Tribunalis

(1) Recole Vol. XXVII, **439.**

Rituum, omnes lectores nostros certiores facimus, quod Ephemeris gallica vulgavit, esse *simpliciter* falsum, et illationem esse prorsus *illegitimam.* Expositio privata differt a solemni, quod illa flt cum pixide, ista cum Ostensorio; sed utraque instituta est ad bonum publicum, nullo pacto privatae personae-

II. In alia legitur, Communionem fidelibus non posse impertiri sine gravissima causa, neque immediate ante, neque immediate post Missam; et adducitur ad rem recentius quoddam S. R. Congregationis Decretum. Eodem nomine eademque auctoritate declaramus, et *simpliciter* falsum quod asseritur, et apocryphum, si extet, Decretum, quod in genere nominatur, sed non affertur. Ad rem valeat sequens declaratio nobis data die 28 Novembris 1895:

« Nullum extat decretum S. R. Congregationis quod prohibeat Communionem fidelium ante vel post missam; et tum Director *Ephemeridum liturgicarum,* tum Director *Analect. Eeclesiastic.* curent, ut huiusmodi resolutio lectoribus innotescat ».

PHILIPPUS DI FAVA *Substitutus S. R. C.*

Communio fidelium immediate post Missam permittitur ex Ritualis Rubrica, uti Sacerdotes norunt; *ex rationabili* quidem *causa,* ait Rituale, sed haec, temporum nostrorum conditione perpensa, facile adest, semperque generaliter adesse censendum est, quando communio petitur. Posse etiam immediate ante Missam communionem distribui indubium est, eadem ut supra extante causa, eodemque, ut diximus, modo intellecta, quamvis Rituale de hoc sileat. Ita fert communis et laudabilis praxis Urbis: hic est Ecclesiae sensus: hoc omnino tenendum, atque ita se gerendum.

III. Nomine tandem et auctoritate eiusdem S. R. Congñis, omnium in memoriam redigimus, Reliquias quascumque et Corpora Beatorum non posse in publicis supplicationibus deferri, uti deferri possunt Reliquiae et Corpora Sanctorum.

Haec prohibitio sua gravitate pollet, legemque infringere, toties per Decreta seu particularia, seu generalia et a Summis Pontificibus confirmata, nemini licet.

# EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE SS. D. N. Leonis Xiii. quo approbantur Constitutiones Congregationis a SS. Sacramento.

Aegritudini animi Nostri ex tot tantisque Ecclesiae acerbitatibus conceptae levamento est sane non mediocri pietas catholicorum hominum, qui Deum Redemptorem maledictis injuriisque violatimi et lacessitum assiduis supplicationibus piisque operibus student humano generi placare et propitiare. Consolatur enim Nos, et in spem melioris aevi adducit quod Spiritus precum effundatur super Domum David, et super habitatores Jerusalem; quod non minor sit in propugnatoribus catholici nominis recte factorum laus, quam in oppugnatoribus nequitia operum : quod demum ubi Ecclesiae Matri filii perduelles et impii afflictionis et moeroris causam dederint, non desint filii amantes et studiosi qui ei consolationem offerant et reparationem. Et revera notum satis est, hoc medium cursum tenente saeculo aliquantoque serius, nonnullos in Gallia infestissimos religionis hostes extitisse, qui divina Jesu Christi reprobata natura, Sacramenti Augusti, quo nihil est hominibus salutarius, elevasse fidem, et mysterium réfutasse. Adversus hos viri praestantes virtute, proposito sancti in societatem coiverunt, cui nomen est inditum Congregatio Sanctissimi Sacramenti. Hujusmodi Institutum Lutetiae Parisiorum, auctore et patre legifero Petro Juliano Eymard, exigui instar seminis exortum est, deinde secundo Dei numine, auspicisque Decessoris Nostri fel. rec. Pii PP. IX celeriter visum est in utilem atque uberem segetem adolescere. Congregatio, tanquam hostia piacularis Deo devota, finem habet sibi propositum salutarem et sanctum, quem multiplici ratione assequi connititur, praecipua vero adoratione perpetua Augusti Sacramenti e tentorio sublimis, quacum gratiarum actio, propitiatio, atque impetratio recte coniungitur. Quid enim rectius quam ut homines summam Dei maiestatem humili et demisso animo, ut infirmi et mortalis par est, colant et venerentur? Aequum autem est, ut maximorum beneficiorum, quae adeo acceperunt, quaeque accepturi sunt, memores extent, et de iis gratias agant, gratumque animum profiteantur; ut fratribus suis aberrantibus

atque erroribus obcoecatis Deum placent ac propitium reddant, illisque ab eo veniam exorent; ut denique omnia impetrent quae ad aeternam animarum salutem non solum necessaria sunt, sed etiam utilia atque opportuna. Illud autem Congregationi est propositi in adoratione perpetua sociam ac participem implorare magnam Virginem Dei Matrem, qua siquidem nemo scit vel potest maiori Caritate in Jesum effundi: Sacerdotes saeculares interdum in Congregationis dioetas velut in solitudinem sacri recessus invitare, eosque ad cultum Sacramenti Augusti propagandum excitare, pueros ad mysteria Eucharistica ex religionis disciplina erudire: in Asceteriis, in Paroeciis, in pubblicis privatisque templis infiammare animos, permovere voluntates ad Sacram Synaxim frequenter celebrandam, ad Sacramentum divini amoris crebro usurpandum: denique quidquid vel ex scientiis humanis, vel ex liberalibus artibus ad provehendum SSmi Sacramentii cultum aliquo modo valent, conferre diligenter ut propositum adimpleatur. Cuius rei causa statuta vel regulae Congregationi datae sunt, quarum prima verba *«haec minima Sanctae Matris Ecclesiae Familia»* postrema vero « *in quo reperit et reliquit domum* » et quarum exemplar in tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari jussimus. Quum autem talis sit Congregationis finis, tales ut hunc adipiscantur rationes et media, facile intelligi potest qui spiritus afilet sodalium animis, spiritus nimirum amoris, humilitatis qua semetipsos abnegent absque sui proprio, veritatis, simplicitatis, observantiae, non solum erga Nos et hanc Apostolicam Sedem, verum etiam erga Religionis Antistites et Moderatores Congregationis. Quibus omnibus e rebus cum nuper Corrector summus Congregationis SSmi Sacramenti supplices ad Nos preces admovent, ut quemadmodum Decessor Noster recol. mem. Pius PP. IX dictam Congregationem ad tempus probavit, ita et Nos eam confirmare ejusque statuta et regulas sancire velimus. Nos qui nihil optare magis atque in votis habere solemus, quam ut Sacramentum Eucharistiae majus in dies singulos apud populos Christianos incrementum capiat, huiusmodi preces benigne excipientes Congregationem SSmi Sacramenti probamus, confirmamus in perpetuum, et rata omnia habemus, quaecumque memoratus Decessor Noster de illa ad tempus sancivit et comprobavit. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus

sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos judicari et definiri debere atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XII Augusti MDCCCXCV, Pontificatus Nostri Anno Decimo Octavo.

C. CARD. DE. RUGGIERO

L $ S.

# EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die 6 Decembris 1895.

*Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendlssimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac per miss ioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, die 14 Iunii 1895, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera :*

*Il Papa-Re at Tribunale di Cristo e dei Santi* — Pubblicato dal Padre Girolamo da Montefalco dell' Ordine dei Predicatori (ementito nomine) — Roma — Tipografìa Elzeviriana — 20 Settemb. 1895. Tamquam praedamnatum ex Regulis Indicis.

Giovanni Bovio — // *Millennio* — Tre atti con prefazione — 10° Migliaio, 1895 — Napoli — Edizione del Periodico *Fortunio,* 24 Egiziaca a Pizzofalcone.

*La Cité Moderne* — Métaphysique de la Sociologie — par Jean Izoulet, ancien élève de l'École normale Supérieure, Docteur en lettres, Professeur agrégé de philosophie au Licée Conclorcet - París - ancienne librairie Germer Baillière et C.ie — Felix Alean, Éditeur 108 Boulevard Saint-Germain — 1894 —.

Eaposo Americo — *Névrose Mystica* — Apreçôes sobra a origen do culto prestadoao Coraçao de Jesus. — Domingos de Magalhâes Editor, 54 Rua do Ouvidor, Libraria moderna, Rio de Ianèiro 1895. — *Tamquam praedamnatum.*

J. Jesupret fils ; Auctor operis. — *Catholicisme et Spiritisme* Paris à la librairie des Sciences Psychologiques rue Chabanais 1.-1891 — Probib. Decr. 7 Aprilis 1892 — *laudabiliter se subiecit et opus reprobami.*

Auctor Operum — *Documenta quaedam Sacrae Scripturae cum doctrina Sanctae Hildegardis de rationalitate* (V. Migne 888, D. et Pitra 249, III, 511. A. B. C. D.) *et de antiquo dierum.* — Composita cura et studio Sac. Augustini Damoiseau— Oenova, Tipografia R. Istituto Sordomuti, 1894.

— *Piccolo Vangelo* — *Deus charitas est* — ossia raccolta di diversi scritti spirituali intorno alla vita dell' amore — Genova, Tipografìa del R. Istituto Sordomuti, 1894. — Proliib. Decr. 14 Punii 1895 — *laudabiliter se subiecit, et opera reprobavit.*

*Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta, Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haeretica pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.*

*Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptam S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

*Datum Romae die 6 Decembris 1895.*

f SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI

EPISCOPUS TUSCULANUS PRAEFECTUS.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI, PROC. GEN. O. P. a Secretis.

Loco *ïfc* Sigilli.

*Die 9 Decembris 1895. Ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum qffixum et publicatum fuisse in Urbe.*

Vincentius Benaglia *Mag. Cur s.*

# APPENDIX III.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Litt. Apost. Bened. PP. XIV. 22 Aug. 1741 (ad omnes Epp.).
Quoad observantiam ieiunii.

**In suprema universali Ecclesiae procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam ut orthodoxae fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticae disciplinae custodes ac vindices constituti, quadragesimale praesertim ieiunium, quod inter praecipua orthodoxae disciplinae capita, semper et ubique ab ipso Ecclesiae exordio numeratum esse nemo ex catholicis inficiatur, ab hodierna ieiunandum corruptela vindicare, et in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis literas ad Fraternitates vestras die XXX proxime elapsi mensis Maii currentis anni datas, eximium Fraternitatum Vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte et optatum Apostolicae nostrae sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendae Sacratissimi ieiunii corruptelae remedium deesset. Quoniam autem paternae pontificiae caritatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a ieiunio aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum esse apostolica benignitate censuimus; ita inter caetera praescripsimus unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint qui per humanas et hominibus a christiana poenitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas et interdictas minime apponere debere cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam et utriusque medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam et de utrius-**

**que medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimae, aliisque anni temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum, et laeticiniorum esus est prohibitus, dispensan contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus et edicimus ; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis literas, singulis utriusque sexus Christifidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque ieiunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse praescribimus atque praecipimus. Eapropter Fraternitates Vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestrae curae commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi ieiunii remedium alacriter adhibendum exhortantes, sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam de observando sustinendoque ieiunio, purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite coelestium praemiorum, quibus assequendis non sunt condignae passiones huius temporis; imo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicae abstinentiae nostrae incommodum magnum gloriae pondus operatur in coelis. Ab omnibus se abstinent qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant ; pudeat tam imbelles ac delicatus christianae militiae milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare praecipit incorruptam; ad cuius auspicium et pignus Fraternitatibus Vestris Apostolicam benedictionem etc.**

Ex Litt. Ap. Bened. PP. XIV. 8 Iulii 1744 — (ad Archiep. Composteli.).
Dubia quoad ieiunium.

**Eximia paterna caritate complectimur adeo observantissimos Romanae Sedis Hispanos, tantique fecimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestrae libenter adiecerimus animum, et Nos ipsi quaestiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent : —**

1. *Utrum quae in antedictis nostris Uteris in forma Brevis de unica comestione, et de epulis non permiscendis praescribuntur,* (1) *sub gravi etiam praecepto prohibeantur.* **— Respondemus : Concedentes facultatem**

(1) Recole litteras praecedentes.

**vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare quam gemmis his adiectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.**

2. *An ii quibus concessum est vesci carnibus possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae ieiunantibus permittitur.* — **Respondemus : Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae meticulosae conscientiae.**

3. *An qui ieiunii tempore vesci carnibus permittuntur et unica comestione uti debent, horam ieiunantibus praescriptam servare opus habeant.* — **Edicimus, observandam iis esse.**

4. *Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi.* — **Respondemus : Epulas licitas pro iis quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas ; epulas interdictas esse pisces, ideoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.**

5. *An praescriptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque dominicos quadragesimales complectatur.* — **Affirmatur complecti.**

**6.** *Utrum haec lex ad eos quoque pertineat qui ex Bulla Cruciatae edere possunt ova et lacticinia.* — **Rescribimus: Nihil in praenunciatis nostris Ap. Uteris statutum esse quod respiciat gratiosum Cruciatae Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant, ex eiusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione esse solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.**

**7.** *Utrum memorata duo praecepta urgeant extra Quadragesimali.* — **Respondetur : Urgere extra Quadragesimam utrumque praeceptum ; illud scilicet unicae comestionis, cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis; et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.**

S. C. S. Officii 27 Maii 1671. — De cibis vetitis vescendis apud heros acatholicos.

**In dioecesi Sylvaeducensi plerique rustici et mecanici tenuioris fortunae (sunt), et tamen ad gravium onerum solutionem compelluntur.**

Hinc ut media acquirant oneribus istis et victui opportuna, multa millia utrisque sexus quotannis in Hollandiam, Angliam aliaque loca proficiscuntur, et operam suam locant talibus, etiam dominis et heris, qui diebus ieiuniis Teneris et Sabbati solummodo vetitos cibos apponi sinunt, iisque operarii catholici in defectu aliorum vescuntur. Quaeritur an licite?

R. Si domini seu heri cibos illos parant servis catholicis eosque adigunt ad illos comedendos in contemptum catholicismi, neque cum protestatione est licitum de illis comedere. Si vero non in contemptum catholicismi, sed ratione oeconomiae domini id faciant, et alii cibi non suppetant, in ea necessitate possunt servi et vetitis cum protestatione comedere ; et hoc dummodo non inveniant alios dominos qui sinant illos servare Ecclesiae praecepta.

S. C. S. Officii 13 Martii 1727.

Dubia circa Graecos Romae degentes quoad carnes Sabbato comedendas.

1. An liceat graecis Romae degentibus (saltem ob evitandum scandalum) comedere carnes die Sabbati.

2. An liceat graecis habere latinos in suum servitium, et die Sabbati dare eis carnes edendas.

3. An liceat graecis praefata die pueris et iuvenibus latinis, qui eorum servitio non sunt addicti, exhibere carnes edendas.

R. Ad 1. Non licere, et servetur Instructio Clementis VIII, in qua sic habetur : « Tolerandus est apud graecos usus carnium die Sabbati, » ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, et inter eos » tantum ».

Ad 2. et 3. Latinos famulos graecorum teneri ritum latinum servare, et ideo peccant graeci apponere famulis cibos vetitos tempore, quo ab illis debent abstinere.

S. C. S. Officii 23 Martii 1656 — Miss. Sin.

Dubium quoad ius positivum intimandum novis christianis.

Utrum missionarii novis christianis, quamprimum baptizantur, debeant intimare ius positivum, tamquam obligatorium sub peccato mortali, quantum ad ieiunia, festa servare, et confiteri semel in anno, ac communicare.

... Circa festa, Confessionem et Communionem dubitandi ratio est, quia maxima christianorum pars laborare debet, ut victum lucretur, et saepe coguntur christiani ab infidelibus Praefectis, festis diebus, subire varios labores. Ipsi Praefecti christiani tribunalia frequentare debent etiam diebus qui apud nos festi sunt, sub poena privationis officii. Missionarii sunt pauci numero, Regnum est vastissimum ; ideo quamplures christiani Missam audire diebus festis, confiteri semel in anno et communicare non possunt.

R. Sacra Congregatio, iuxla ea quae superius proposita sunt, censuit, ius positivum ecclesiasticum, quoad ieiunia, observationem festorum, sacramentalem Confessionem et Communionem semel in anno, esse a missionariis sinensibus christianis notificandum, ut obligatorium sub peccato mortali ; posse tamen simul explicare causas propter quas excusatur fideles ab observatione praeceptorum. Si SSmo placuerit, posse concedi missionariis facultatem dispensandi in casibus particularibus tantum, eorum arbitrio. — SSmus approbavit.

S. C. de Prop. Fide — C. P. pro Sin. 31 Ian. 1796 — Vic. Ap. Sutchuen.
Quoad Missae auditionem.

An fideles teneantur sacrificio Missae assistere diebus Dominicis et festis, in quibus vacare possunt operibus servilibus.

R. Affirmative, ex responso S. Off. die **13** Iulii **1769** et S. Cong. Prop. **13** Ian. **1794.**

Verum cum ea sit certarum regionum asperitas et solitudo, ut ad loca, in quibus sacra celebrantur, nonnisi via longa et saepe deterrima ex dissitis aliis locis perveniri queat, atque ideo vel ipso itinere conficiendo vix satis temporis reliqui esset ad obeunda opera servilia quae permittitur, consulendum SSmo pro venia Vicariis Apostolicis facienda dispensandi nomine S. Sedis per seipsos aliosve subdelegatos ab obligatione audiendae Missae diebus festis, quibus opera servilia permittuntur, cum id, spectato regionum situ et incolarum necessitatibus expedire in Domino videbitur. — Sanctitas Sua dignata est benigne annuere.

S. C. S. Officii 30 Ian. 1765 — Miss. Hu-Guang.
Quoad dispensationem a ieiunio.

**Necessarium videtur, ut christiani earum Missionum dispensentur** a **carnium abstinentia pro die ultima exeuntis anni sinici atque etiam pro duabus primis novi anni subsequentis, posito quod huiusmodi dies incidant in Quadragesimam, vel sextam feriam, vel sabbatum ; pro qua dispensatione obtinenda has afferunt rationes, nempe, quod praedictae dies solemniores sunt apud Sinas, quod iis recurrentibus non magis facile est abstinere a carnibus quam apud nos feria III. ante diem Cinerum, et quod si christiani soli, tanto infidelium numero immixti, ab esu carnium abstineant, magnum sibi odium ac molestiam sint comparatur!.**

**R. Negative, et detur decretum anni 1760 (1).**

S. C. S. Officii 12 Iulii 1770 — Vic. Ap. Fokien.
De dispensatione Sinensium a ieiunio.

**Cum sequenti anno secunda dies lunae primae sinensis incidat in diem Cineris, ortum est dubium inter istos Patres Missionarios, et ab ipsis interrogatus sum: An sinenses illo die teneantur ieiunare et a carnibus abstinere? Cum autem videam in kalendario perpetuo, facto et characteribus sinensibus impressioni mandato a missionariis antiquis, hanc notam :** ***Quod si prima luna sinensis inciderit intra Quadragesimam, non obligantur sinenses a carnibus abstinere, nec ieiunare ultima die ultimae lunae et duabus primae lunae,*** **infero hanc consuetudinem esse in hoc imperio approbatam et publicatam** a **missionariis antiquis ; quod quidem kalendarium multi sinenses prae manibus habent, üt sciant qualibet die de quo Sancto celebrat S. Mater Ecclesia. Non ausus sum contra hanc consuetudinem respondere, pro sequentibus annis supplico ut S. C. dignetur respondere, an reprobanda et eradicanda sit talis consuetudo vel toleranda ; et si reprobanda est, dignetur ad nos mittere reprobationis decretum.**

**R. Dentur decreta alias edita, et scribatur Vicariis Apostolicis utriusque Tunkini, necnon Vicario Apostolico Fokiensi, ut incumbant executioni eorumdem decretorum, et certiorem reddant S. C. an in eadem executione procuranda proficiant. Curent praeterea ut a kalendario deleatur nota quae in eo legitur, videlicet primis tribus diebus novi anni dispensatos esse Christifideles ab abstinentia a carnibus, si iidem dies in Quadragesimam incidant.**

(1) **Adest pag. 322.**

S. C. S. Officii II Ianuar. 1888 — Ep. Vizagapatamen.
Dubium quoad auditionem Missae a Neophytis.

**Cum magna sit repugnantia feminarum superiorum tribuum *(caste)* comparendi coram europaeis, vel sub eodem tecto commorandi cum personis inferiorum tribuum, quo fit ut neophytae nostrae saepe aut graviter irrideantur, aut etiam a recipiendo baptismo avertantur : quaeritur utrum Episcopus eas nihilominus excitare debeat, quemadmodum adhuc fecit, ut assidue divinis officiis adsint: an debeat potius petere a S. C. ut eas interim ab hac adsistentia dispenset.**

**R. Neophytas huiusmodi monendas esse de praecepto ecclesiastico circa auditionem Sacri ceteraque hominis christiani officia fideliter adimplenda, ita tamen ut, circa modum adimplendi, morum et institutorum gentis prudens ratio habeatur.**

S. C. S. Officii 28 Febr. 1760 — Vic. Ap. Tunk. Occid. et Provinc. Tunk. Orient.
Quoad ieiunium.

**In Regno Tunkini, antiqua ab omni retro memoria, traditio est privilegium his neophytis ab Apostolica Sede pro tribus primis anni novi diebus, in quamcumque diem, sive abstinentiae, sive ieiunii inciderint, fuisse concessum, ut carnibus vesci possent, ne caderent in offensam eorum quos his diebus reverentiae aut urbanitatis gratia, visitare tenentur, si oblatis cibis uti recusarent. Huius quidem concessionis nullum nunc in hac Missione transumptum reperitur, sed immemorialis possessio tituli sufficientis locum tenere videtur.... Humillime recurrimus ad S. Cong. supplicantes edoceri an revera extet supradictum privilegium hisce neophytis pro tribus primis anni novi diebus a S. Sede concessum ; casu vero quo non extet, enixissime supplicamus pro impetratione talis privilegii, ad vitandum periculum violandi praecepti ecclesiastici, cui ineluctabiliter exponuntur christiani in toto hoc Regno, exceptis forte aliquot pagis qui, Deo miserante, toti fidem christianam sunt amplexati.**

**R. Privilegium (de quo quaeritur) non extare, nec esse generaliter concedendum; sed quoad abstinentiam a carnibus servandum esse decretum anni 1663 oratoribus prout iacet transmittendum ; quo vero ad ieiunium citra abstinentiam a carnibus, teneri neophytos, si primi dies anni annamitici inciderint in feriam sextam, vel aliam diem qua nullo privilegio apostolico a ieiunii lege eximuntur.**

MOTUPROPRIO SSmi D. N. Leonis XIII: de commissione pontificia ad reconciliationem dissidentium cum Ecclesia fovendam.

Optatissimae in una fide reconciliationis earum gentium, quae a romana Ecclesia matre non uno tempore, nec una de causa secesserunt, nova quodammodo Nos ponere initia et plena caritatis admovere invitamenta, iam inde ab apostolica epistola *Praeclara,* studiose contendimus. — Ad rem quidem eam sumus aggressi, quae, ut alias monuimus, diuturni sit laboriosique operis, eademque utilitatis non ita proxime eventurae. At vero, praeter summam divinae opis fiduciam, qua maxime sustentantur, optima quaeque sunt Nobis adiumenta in id quaesita; in primisque visum est pro gravitate et amplitudine causae opportunum, aliquot ex Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus in communionem consiliorum adsciscere. Tales reapse institutas apud Nos congressiones, principio ad rationes ecclesiarum orientalium spectare voluimus; placuitque propterea advocare et audire praesentes Venerabiles quoque Fratres, earumdem nationum vario ritu Patriarchas. Ita factum feliciter, ut quaedam rerum capita sint a Nobis, edita haud multo ante constitutione *Orientalium dignitas ecclesiarum,* definita et decreta: quae, tametsi per se ad veterem catholicorum legitimam per Orientem disciplinam conservandam tuendamque propius pertinent, aeque tamen unitati aliis in gentibus redintegrandae posse conducere manifestum est. — Iamvero hunc Nos primum reputantes initarum congressionum fructum, eisque continuandis probe intelligentes quantum praesidii ad ceteras etiam propositorum partes iure liceat expectari, idcirco induximus animum illud providere, ut huiusmodi institutum certiore quodam pacto certaque constantia, quamdiu ipsa postulaverit res, permaneat vigeatque secundum vota perutile.

Itaque sententiam Nostram litteris hisce tradentes, peculiare esse ac stabile Consilium, sive, uti loquuntur, *Commissionem* decernimus atque edicimus, proprio munere et cura deditam reconciliationi dissidentium fovendae. Ea constabit ex nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quos Pontifex nominatim designet, quibus

ipse praesit, quique coram eo statos habeant conventus. Primosque ex instituto nominamus:

MIECISLAVM LEDOCHOWSKI
BENEDICTVM MARIAM LANGENIEVX
MARIANVM RAMPOLLA DEL TINDARO
VINCENTIVM VANNVTELLI
ALOISIVM GALIMBERTI
HERIBERTVM VAVGHAN
IOSEPHVM MARIAM GRANNIELLO

Erunt praeterea, ut sacris in Consiliis urbanis assolet, convenienti numero Consultores, item a Pontifice designandi: in quibus pari loco ii habebuntur quos Patriarchae catholici orientales, tamquam legatos suos in Urbe consistentes, singuli singulos, destinaverint. Consultorum sit, doctrinam suam, prudentiam, rerum usum naviter conferre cognoscendis instruendisque causis quae in deliberationem Pontificis et Cardinalium, quos supra diximus, deferantur: deferet autem ille ex Consultoribus, cui Pontifex mandaverit eiusdem Commissionis esse ab actis; cui propterea licebit eis ipsis pontificiis congressionibus ex officio interesse.

Haec vero consilia et decreta, quorum, exitum auspiciis providentissimi Dei praecipue commendamus, rata firmaque consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xix Martii anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

# EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

ALLOCUTIO SSmi D. N. Leonis XIII habita die 29 Novembris 1895.

Europa omnis, suspensis expectatione ac sollicitudine, animis, ad propiorem Orientis plagam contuetur, intestinis offensionibus et luctuosis fessam casibus. Acerbum revera dolendumque spectaculum, infecta sanguine oppida, civitates: ferro flammisque ingentes pervastati tractus. — Dum viri principes, quae eorum summa laus est, collatis invicem consiliis, modum cladibus et securam incolumitatem innoxiis laborant exposcere, Nos quidem nequaquam omittimus, quantum est in Nobis, pro eadem caussa nobilissima iustissimaque contendere. Videlicet ante hos ipsos novissimos casus, niti pro gente Armenia animo libentissimo studuimus, implorataque excelsi Principis auctoritate, concordiam, mansuetudinem, aequitatem suasimus. Quae quidem consilia Nostra haud sane visa displicere. Coepta persequi, propositum est : nihil enim tam cupimus, quam ut in maximi imperii finibus sua cuique incolumitas, suaque iura omnia salva, ut oportet, et sancta sint. Interea Armenorum afflictis fortunis tempestivum solatium a Nobis ne deesset, opem ferre egenis maturavimus, quos maxime calamitas perculisset.

Nostra autem erga Ármenos studia, testimonium et fructus amplissimae Caritatis sunt, qua prosequitur gentes ex Oriente universas: quibuscum, ut probe nostis, adiumenta salutis sempiternae, quaecumque in potestate sunt Ecclesiae catholicae, communicare quidem et volumus et conamur. Idcirco, qui Nobiscum de fide discrepant, revocare ad concordiam, qui conveniunt, devincire Nobiscum coniunctius, itemque iuvare omni ope atque ornare ingressi sumus.

Hac voluntate consilioque litteras Apostolicas nuperrime dedimus, ex quibus facile perspiciatur, quae mens Nobis erga Coptos, qui animus. Nimirum cum eorum pietatem et rei catholicae per Aegyptum explorata incrementa haberemus, instaurandam Hierarchiam coptico ritu, dignitatemque pro Coptis patriarchalem Sedi Alexandrinae, quam Marcus evangelista nobilitavit auctor idemque pontifex, restituendum curavimus.

Amplissimum ordinem vestrum, venerabiles fratres, suppleturis, adlegere visum est ex Italia atque Imperio Austriaco, ex Gallia Hispaniaque viros egregios, quos Cardinalatus honore hodierna die augeremus. In dignitate episcopali sunt omnes: iidemque gravitate et integritate morum, doctrinae laude, rerum usu, muneribus sapienter gestis, de re christiana, de Sede Apostolica optime meriti. Hi autem sunt ADOLFVS LVDOVICVS ALBERTVS PERRAVD, Episcopus Augustodunensis, quem S. R. E. Cardinalem creavimus et in pectore reservavimus anno millesimo octingentesimo nonagesimotertio, die decimosexto Ianuarii, in Consistorio:

SILVESTER SEMBRATOWICZ, Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum :

FRANCISCVS SATOLLI, Archiepiscopus Tit. Naupactensis, Legatus Apostolicus ad foederatas Americae Septentrionalis civitates :

IOANNES HALLER, Archiepiscopus Salisburgensis :

ANTONIVS MARIA CASCAJARES Y AZARA, Archiepiscopus Vallisoletanus :

HIERONYMVS MARIA GOTTI, Archiepiscopus Tit. Petrensis Internuntii Apostolici munere in Brasilia functus:

IOANNES PETRVS BOYER, Archiepiscopus Bituricensis :

ACHILLES MANARA, Episcopus Anconitanus et Humanus :

SALVATOR CASANAS Y PAGÈS, Episcopus Urgellensis:

Quid Vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra publicamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem

ALBERTVM LUDOVICVM ALBERTVM PERRAVD

Insuper creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

SILVESTRVM SEMBRATOWICZ
FRANCISCVM SATOLLI
IOANNEM HALLER
ANTONIVM MARIAM CASCAJARES Y AZARA

HLERONYMVM MARIAM GOTTI
IOANNEM PETRVM BOYER
ACHILLEM MANARA
SALVATOREM CASANAS Y PAGES

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine & Patris >& et Filii * et Spiritus ^ Sancti. Amen.

———oc,..———

Expleta allocutione, SSmus Pater sequentes proposuit Ecclesias :

*Titularem Ecclesiam Patriarchalem Antiochen.* Latini ritus, vacan, per obitum bo. me. Vincentii Tizzani, ultimi illius Patriarchae, apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Cassetta, Mcomediensis Archiepiscopi.

*Titularem Ecclesiam Patriarchalem Constantinopolitan.* vacan, per obitum bo. me. Iulii Lenti, ultimi illius Patriarchae, extra romanam-curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Baptistae Marchionis Casali del Drago, presbyteri Romani.

*Archiepiscopalem Ecclesiam Perusin.*, vacan, per obitum bo. me. Friderici Foschi, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Darii Mattei-Gentili, Episcopi Civitatis Castelli, seu Tifernatensis.

*Metropolitanam Ecclesiam Firman,* vacan, per obitum clar. mem. Hamilcaris S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Malagola, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Roberti Papiri, Antistitis Maceratensis ac Tolentini.

*Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Neocaesarien.* vacan, per obitum bo. me. Petri Ioannis Iosephi Soubiranne, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Schirò, Episcopi titularis Gadarensis.

*Metropolitanas Ecclesias Acheruntin. et Matheranen,* invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Raphaelis de Nonno, ultimi illarum Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Diomedis Falconio e Minoribus Reformatis S/Francisci, Antistitis Laquedoniensis.

*Cathedralem Ecclesiam Senogallien.* vacan, per obitum bo. me. Ignatii Bartoli, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iulii Boschi, Episcopi Tudertini.

*Cathedralem Ecclesiam Civitatis Castelli seu Tifernatensem,* vacan, per promotionem ad Sedem Perusinam R. P. D. Darii Mattei-Gentili, favore R. P. D. Aristidis Golfieri, Episcopi Fabrianensis ac Malhilicensis.

*Cathedralem Ecclesiam Fabrianen. et Mathilicen.* invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem ad sedem Tifernatensem R. P. D. Aristidis Golfieri, favore R. P. D. Luciani Gentilucci, Episcopi Faliscodunensis.

*Cathedralem Ecclesiam Tiburtin.* vacan, per dimissionem a R. P. Fr. Gulielmo Maria d'Ambrogi, libere ac sponte in manibus Sanctitatis Suae emissam, et ab Eadem acceptam, favore R. D. Petri Monti, Presbyteri dioecesis Albanensis. Qui ex

legitimis, catholicis, honestisque parentibus Cynthiani in dioecesi Albanensi progenies, et quadragesimum secundum aetatis suae annum supergressus, Presbyteratus ordine ac doctorali laurea in utroque iure dudum donatus, a Secretis prius adlectus Delegationis Apostolicae apud Respublicas Cbilenam, Aequatorianam, Peruvianam ac Bolivarensem, Romam deinde reversus, Superior Piae Domus spiritualium exercitiorum vulgo nuncupatae *di Ponte Rotto,* atque Archipresbyter Parochus Collegiatae Ecclesiae SS. Celsi et Iuliani hucusque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Montis Falisci,* vacan, per translationem ad sibi invicem unitas Ecclesias Fabrianen. ac Mathilicen. R. P. D. Luciani Gentilucci, favore R. D. Dominici Rinaldi, presbyteri Reatini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Reate progenitus et in quinquagesimo quinto aetatis suae anno constitutus, alumnis Pontificii Seminarii Pii Romae adiunctus, ibique Presbyteratus ordine ac tum in philosophia, tum in sacra theologia,,tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, Examinator pro-Synodalis, Cathedralis Ecclesiae Archidiaconus ac Pro-Vicarius in spiritualibus generalis hucusque renuntiatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Tuderlin.* vacan, per translationem ad Sedem Senogallien. R. P. D. Iulii Boschi, favore R. D. Iosephi Ridolfi, Presbyteri dioecesis Recinetensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco vulgo nuncupato *Porto Recanati,* dioecesis Recinetensis progenitus, et trigesimum sextum aetatis suae annum supergressus, Romae in sacra theologia doctorali laurea ditatus, Laureti clericos Instituti Salesiani theologiam dogmaticam docuit, ac varias pro iuventute congregationes et nocturnas scholas instituit.

*Cathedrales Ecclesias Maceraten. ac Tolentin.* invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per promotionem R. P. D. Roberti Papiri ad Sedem Metropolitanam Firmanam, favore R. D. Ioannis Baptistae Ricci, Presbyteri Caesenatensis dioecesis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco vulgo nuncupato *Montemovo* dioecesis Caesenatensis progenitus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Examinatoris pro-Synodalis, ac Directoris Piae Unionis a Filiabus Mariae muneribus perfunctus est.

*Cathedrales Ecclesias Civitatis Castellan., Horton., et Gallesin.* invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Carnevalini, apud romanam curiam defuncti, R. P. Fr. Iacobi, in saeculo Alexandri Ghezzi, ex Ordine Minorum Observantium S. Francisci, presbyteri dioecesis Tiburtinae. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in Castro Madamae, dioecesis Tiburtinae, progenitus et quinquagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, Guardianus in conventu Veliterno sui Ordinis, illa in urbe Examinator pro-Synodalis ac Professor theologiae dogmaticae in seminario renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Marsorum* adhuc ut prius vacan, per promotionem R. P. D. Henrici de Dominicis ad Sedem Amalphitanam, nam R. P. D. Angelus Maria Aloisio eidem Ecclesiae praepositus numquam consecrationis munus suscepit, nec illius Ecclesiae possessionem nactus fuit; favore R. D. Marini Russo Presbyteri archidioeceseos Tranensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Terra vulgo nominata *Margherita di Savoia* Archidioeceseos Tranensis progenitus, et in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus, ab hodierno Archiepiscopo Praeses studiorum in Seminario ac pro-Vicarius generalis Tranensis archidioecesis.

*Episcopalem Ecclesiam, Thelesinam seu Cerretanam,* vacan, per obitum bo. me. Aloisii Sodo, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Angeli Michaelis Iannacchino, Presbyteri dioecesis Abellinensis. Qui ex legitimis,

catholicis, honestisque parentibus Sturni in dioecesi Abellinensi progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, Societati Missionariorum sub titulo Puritatis B. M. V. adscriptus, Examinatoris Cleri et Parochi muneribus functus est.

*Cathedralem Ecclesiam Laquedonien.* vacan, per promotionem R. P. D. Diomedis Falconio ad Metropolitanas Ecclesias Acherunlinam et Malheranensem, invicem perpetuo canonice unitas, favore R. D. Nicolai Zimarino. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus, Cathedralis Vastensis Canonicus Poenitentiarius renunciatus, Examinatoris Synodalis, Directoris Spiritualis Monialium S. Clarae et Filiarum Crucis, atque etiam Pro-Vicarii Generalis muneribus hucusque perfunctus est.

*Cathedralem Ecclesiam Mutilan.,* vacan, per obitum bo. me. Leonardi Giannolti, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Sanctis Mei, Presbyteri Calliensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Callii progenitus et in sexagesimo quarto aetatis suae anno constitutus, Romae inter alumnos Pontificii Seminarii Romani receptus, tum in sacra theologia, tum in utroque iure doctorali laurea ditatus, patrii seminarii Rectoris ac moralis theologiae Professoris muneribus perfunctus, primum Cathedralis Ecclesiae Canonicus Poenitentiarius deinde Archidiaconus atque eiusdem dioecesis pro-Vicarius generalis renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Cuneen.,* vacan, per translationem ad Sedem Comensem. R. P. D. Theodori Ernesti Mariae ex Comitibus Valfrè di Bonzo, favore R. D. Andreae Fiore, Presbyteri archidioeceseos Taurinensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido cui vulgo nomen *Casanova* Taurinensis archidioeceseos progenitus ac in quadragesimo quinto aetatis suae anno constitutus, Prior Parochus insignis Collegiatae S. Andreae Apostoli renunciatus fuit.

*Cathedralem Ecclesiam Aquen.* provinciae Pedemontanae vacan, per obitum bo. me. Iosephi Marello, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Petri Balestra, Ordinis Minorum Conventualium, Presbyteri Ventimiliensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco nuncupato *Molini di Triora* dioecesis Ventimiliensis progenitus et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, in Ordine Minorum Conventualium solemnia vota nuncupatus, doctorali laurea in sacra theologia donatus, Defmitoris sui Ordinis ac Provincialis titularis Hiberniae muneribus perfunctus ac in archidioecesi Ianuensi Examinator pro-Synodalis, Guardianus et Parochus S. Francisci Albarii hucusque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Drepanen.* vacan, per obitum bo. me. Francisci Ragusa, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Stephani Gerbino ex dynastibus *di Cannitello,* Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, Presbyteri Panormitano Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Panormi progenitus, et in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus, in Sacro s. Benedicti Ordine solemnia vota nuncupatus, variis in sua Congregatione perfunctus est muneribus.

*Episcopalem Ecclesiam Titularem Famaugustan.* sub Archiepiscopo Nicosien. vacan, per obitum bo. me. Caroli Caccia Dominioni, ultimi illius Episcopi extra romanam Curiam defuncti, favore R. P. D. Blasii Pisani, Presbyteri archidioeceseos Capuanae: qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Alphonsi S. R. E, Titulo S. Mariae de Populo Presbyteri Cardinalis Capeeelatro, Archiepiscopi Capuani. R. P. D. Blasius Pisani, ex legitimis, catholicis honestisque parentibus ortus

in loco, cui vulgo nomen *Serra San Bruno* dioecesis Squillacensis et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in facultate theologica dudum doctorali laurea donatus et Capuano clero addictus, a Sanctitate Sua inter Domesticos Praesules adscitus fuit.

*Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Vetren,* vacan, per assignationem Tituli S. Mariae de Scala, factam Emo ac Rmo Domino Hieronymo Mariae S. R. E. Presbytero Cardinali Gotti, favore R. P. Fr. Petri Gonzalez, in saeculo Caroli Duval, e dioecesi Tutelensi, Ordinis Fratrum Praedicatorum. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Tutelae ortus et in sexagesimo tertio aetatis suae anno constitutus, Ordini Fratrum Praedicatorum a prima iuvenla dato nomine, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide in Mesopotamiam et Kurdistanum missus, Praefectus Apostolicus Mausiliensis in Mesopotamia hucusque renunciatus est.

Post haec SSmus Dnus Noster notum fecit, per Suas in forma Brevis Litteras, sequentes renunciasse Antistites :

Archiepiscopos :

*Marianopolitanum,* Petrum Ricardum Kenrick.
*Mocissenum,* Othonem Zardetti.
*Bonearensem,* Uladislaúm Castellano.
*Ultraiectensem,* Henricum Van de Wetering.
*Atheniensem,* Caietanum de Angelis.

Episcopos :

*Flaviadensem,* Eduardum Knight.
*Seniensem,* Antonium Mauro vic.
*Brugensem,* Gustavum Iosephum Waffelaert.
*Ibarrensem,* Fridericum Gonzalez Suarez.
*Composten,* Franciscum Planearte.
*Troadensem,* Iulium Mauritium Abbet.
*Memphitensem,* Iosephum Barillari.
*Adrassensem,* Ioannem Gallagher.
*Tamasensem,* Raymundum Rin et Cabanas.
*Nilopolitanum,* Neilum Mac Neil.
*Liviadensem,* Epiphanium Scianow.
*Rhithymnensem,* Paulum Pellet.
*Ascalonitanum,* Franciscum Mostyn.
*Bendensem,* Ioannem Mariam Dépierre.
*Girbensem,* Victorem Roelens.
*Achantium,* Iosephum Passerini.
*Linoênsem,* Paulum Mariam Ramond.
*Lysiadensem,* Ioannem Petrum Alexandrum Marcon.
*Metropolitanum,* Iosephum Claudium Excoffier.
*Proconnesium,* Petrum Mariam Gemet.
*Thebanum,* Maurum Nardi.
*Augustopolitanum,* Rogerium Catizone.
*Myrinensem,* Maximilianum de Galen.
*Zeugmatensem,* Ioannem Mariam Farley.

*Cathedralem Ecclesiam Malacitan.* vacan, per promotionem R. P. D. Marcelli Spinola et Maestre ad Sedem Metropolitanam Hispalensem, favore R. P. D. Ioannis Muñoz et Herrera Episcopi Abulensis.

*Metropolitanam Ecclesiam Hispalen.* vacan, per obitum cl. me. Benedicti S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Sanz et Fores, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Marcelli Spinola et Maestre Episcopi Malacitani.

*Cathedralem Ecclesiam Abulen.* vacan, per translationem ad Sedem Malacitanam R. P. D. Ioannis Muñoz et Herrera, favore R. D. Iosephi Mariae Blanc et Baron, Presbyteri Barbastrensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Barbastrensi progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, tum in sacra theologia doctorali laurea, tum in utroque iure licentiae gradu dudum donatus,Vallisoletanae Metropolitanae Canonicus ac eiusdem archidioeceseos Provisor ac Vicarius Generalis ad praesens usque renunciatus est.

*Metropolitanam Ecclesiam Caesaraugustan.* vacan, per obitum clar. me. Francisci dum viveret. S. R. E. Presbyteri Cardinalis Benavides et Navarrete, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Vincentii Alda et Sancho Episcopi Oscensis.

*Titularem Episcopalem Ecclesiam Theodosiopolitan.* sub Archiepiscopo Caesareae Ponti, vacan, per obitum bo. me. Adriani Grodeski, postremi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Glavina, Episcopi Tergestini et Iustinopolitani.

*Cathedralem Ecclesiam Oseen,* cui Barbastrensis Ecclesia erit unienda, vacan, per promotionem R. P. D. Vincentii Alda et Sancho ad Metropolitanam Caesaraugustam, favore R. P. D. Mariani Supervia et Lostalé, Episcopi titularis Europensis.

*Cathedralem Ecclesiam Popayanen.* in Neogranatensi ditione, Americae Meridionalis, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Bonaventurae Oritz, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Emmanuelis Iosephi de Cayzedo Episcopi Pastopolitani.

*Cathedralem Ecclesiam Pastopolitan.* in Confoederatione Columbiana Americae Meridionalis, vacan, per translationem R. P. D. Emmanuelis Iosephi de Cayzedo ad Sedem Popayanensem, favore R. P. D. Ezechielis Moreno, ex Ordine Fratrum Excalceatorum S. Augustini, Episcopi titularis Pinarensis ei Vicarii Apostolici Casanarensis.

*Cathedralem Ecclesiam Aurien.* vacan, per obitum bo. me. Caesarii Rodrigo, ul" 'imi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D Paschalis Carrascosa et Gabbaldon, Presbyteri dioeceseos Conchensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui *Quintana del Rey* vulgo dicitur, Conchensis dioeceseos progenitus et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia doctorali laurea et in iure canonico licentiae gradu donatus, in Capitulo Cathedralis Ecclesiae Conchensis dignitatem Archipresbyteri adeptus est.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Diocaesarien.* sub Archiepiscopo Caesareensi vacan, per obitum bo. me. Antonini Caff, postremi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Simeonis Pereira, presbyteri dioecesis de Nicaragua; qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Francisci Ulloa et Larrios, Episcopi de Nicaragua in America centrali. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe *Leon* dioecesis de Nicaragua progenitus ac trigesimum secundum aetatis suae annum supergressus, professoris munere in dioe-

cesano seminario de Nicaragua perfunctus, a secretis illius Curiae Episcopalis atque eiusdem dioecesis Gubernator hucusque renunciatus est.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Temnitensem,* sub Archiepiscopo Ephesino certo modo vacan, favore R. P. D. Iosephi Weber, presbyteri archidioecesis Leopoliensis. Qui etiam constitutus fuit in auxiliarem R. P. D. Severini Morawski, Archiepiscopi Leopoliensis, latini ritus.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Adrianopolitanam,* vacan, per obitum bo. me. Aloisii Gabrielis de la Plata, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Nicolai Casas ex Ordine discalceatorum S. Augustini, presbyteri Tirasonensis in Hispania. Qui etiam deputatus fuit ad Vicariatum apostolicum Casanatensem in Columbiana Republica.

*Monasterium Beatae Mariae Virginis de Maris-Stella,* cum ei adnexo Prioratu Beatae Mariae Virginis Augiae-Maioris, Ordinis Cislerciensis in Helvetia et Austria, vacan, per obitum bo. me. Laurentii Wocher, ultimi illius Abbatis ac respective Prioris extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Augustini Stoeckli, Presbyteri Cisterci ensis.

*Cathedralem Ecclesiam Brugen.* vacat, per obitum bo. me. Petri Debrabandere, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Gustavi Iosephi Waffelaert, presbyteri dioeceseos Brugensis.

*Cathedralem Ecclesiam Ibarren.* in ditione Aequatoriali Americae Meridionalis, vacat, per promotionem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Synnadensem et ad perpetuam Coadiutoriam Quitensem R. P. D. Petri Raphaelis Gonzalez, favore R. D. Friderici Gonzalez Suarez, presbyteri Quitensis.

*Campecorensem Cathedralem* in Mexicana ditione, et ab hae sua nova erectione vacantem, favore R. D. Francisci Planearte, presbyteri Zamorensis dioecesis in Mexico. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Zamorae Mexici progenitus atque in nono supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, alumnis Collegii Pii Latini Americani adiunctus, ac tum in philosophia, theologia atque iure canonico Doctoris lauream assequutus, Rectorem agens in seminario dioecesano, atque Parochus Tacubayae renunciatus est.

*Titularem Ecclesiam Troaden,* sub Archiepiscopo Cyziceno vacat, per obitum bo. me. Aloisii Marcelli Pellegrini, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R..D. Iulii Mauritii Abbet, presbyteri dioecesis Sedunensis, qui etiam deputatus fuit in coadiutorem R. P. D. Hadriani Jardinier, Episcopi Sedunen. cum futura successione.

*Titularem Ecclesiam Memphiten.* sub Archiepiscopo Oxyrynchio vacat, per translationem ad Sedem Cracoviensem R. P. D. Ioannis Kniaz de Kolziolsko Puzina, favore R. D. Iosephi Barillari, presbyteri dioecesis Squillacensis. Qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Iosephi Antonii Virdia, Episcopi Cariatensis.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Thebanam* sub Archiepiscopo Ptolemaidensi per translationem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Antinoensem R. P. D. Antonii Sabatucci, modo Delegati Apostolici Columbiae, vacatam favore R. P. Fr. Mauri a Leonessa, Ordinis Minorum Capulatorum S. Francisci, expresse professi.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Proconnesien.* sub Archiepiscopo Cyziceno certo modo vacat, favore R. D. Petri Mariae Gentet, Presbyteri dioecesis Nannetensis. Qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Iulii Tonti, Archiepiscopi Portus Principis, Haitiana in ditione.

*Titularem Eceleâam Tamasen.* sub Archiepiscopo Salaminen. vacat, per translationem ad Sedem Cathedralem Tudensem R. P. D. Valeriani Menendez et Conde, favore R. D. Raymundi Riu et Cabanas, presbyteri Gelsonensis, pro assumenda administratione Apostolica dioecesis Celsonensis, iuxta vota Serenissimae Reginae catholicae regentis.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Augustopolitan.* sub Archiepiscopo Synnadensi, vacat, per obitum bo. me. Raymundi Moreno et Castañeda, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Rogerii Catizone, Presbyteri dioecesis Catacensis. Qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Bernardi Antonii de Riso, Episcopi Catacensis.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Myrinen.* sub Archiepiscopo Ephesino, vacat, per obitum bo. me. lsidori Barriga, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Maximiliani e Comitibus de Galen, Presbyteri Monasteriensis.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## OVETEN.

### MATRIMONII

*Die 22 Iunii i 894.*

**Sess. 24 cap. 5 de ref. matr.**

COMPENDIUM FACTI. Damasa Gonzales Orbon et Coron Ovetensis civitatis *die 3 Martii 1884* in Ecclesia parochiali *S. Ioannis* Oveti in Hispania iuncta est matrimonio Petro Emanueli Diaz Gorgoll 21 annorum Tepaste Habanensis Dioecesis nato, qui cum moraretur Habanae procurationis mandatum ad matrimonium contrahendum dedit amico suo Petro Emmanueli Fernandez.

Verum paulo post Emmanuel Damasae omnino oblitus, non erubuit die 7 Iulii eiusdem anni Annam Garcia De Diaz Syndici oppidi *S. Spiritus* sororem in uxorem ducere.

Progressu temporis cum Damasa Emmanueli significaverit, se velle ad ipsum in insulam Cubanam proficisci, ille mense Novembris 1885 ex oppido *S. Spiritus* patri Damasae literas misit, in quibus se mirari aiebat quod Damasa cogitaret ad ipsum pergere, nullo enim vinculo eidem ligabatur,

quoniam ipse plusquam ab anno cum sua dilecta uxore Lucia coniugali ter vivebat.

Infelix Damasa tam turpiter decepta, elapsis aliquot annis, animadvertens Emmanuelem reapse cum praedicta Lucia coniugium ini visse, atque cum ea adhuc convivere, mense Martio 1890 supplicem dedit libellum Episcopo Ovetensi, petens solutionem a matrimonio cum Emmanuele inito, vel saltem, ut ei obtineret a Supremo Pontifice dispensationem, eo quod suum matrimonium ratum semper manserit.

Ovetensis Curia, qua par erat diligentia ac sollicitudine, processum instauravit et die 15 Martii 1890, ac iterum 6 Iunii hortatorias ad Ordinarium Habanensem dedit literas, ut in iudicium Emmanuelem vocaret ad suum ius experiendum, relate ad matrimonium cum Damasa contractum. Paruit Emmanuel mandatis Curiae Habanensis et sub iuramento propositis interrogationibus respondit, asserens inter alia se mandatum ad matrimonium tempore utili revocasse. Emmanuelis responsa Episcopus Oveten., ad quem transmissa fuerunt cum depositionibus duorum testium Oveti datis, qui iurabant post suum matrimonium Damasam numquam reliquisse Ovetum, nec unquam in Hispaniam venisse Emmanuelem, ad S. C. C. misit.

Quibus acceptis, S. Congregatio eidem Episcopo Oveten. rescripsit sub die 15 Decembris 1891, ut conficere curaret processum « tam super asserta nullitate ob revocationem mandati, quam super non consummatione *coarctata temporis* (idest defectu cuiuslibet conventus sponsorum) probata per testes septimae manus ex utraque parte inducendos, cum facultate etiam subdelegandi pro examine partium ac testium, qui extra suam dioecesim morentur____»

Oveti Episcopus noviter ad S. C. die 5 Octobris 1892 scripsit, referens repetitis Uteris nullam accepisse responsionem ab Ordinario Habanensi, imo asserit, propter Emmanuelis fugam ac eius processui canonico oppositionem, impossibile esse ut testes ex sua parte adhiberentur.

Tunc S. Congregatio sub die 26 Novembris eiusdem anni

praecepit Episcopo Oveten., ut « omissa quaestione de nullitate matrimonii ex revocatione mandati, si haec tractari prudenter et utiliter non possit, ad tramitem Constit. *Dei miseratione* et *Instruct. S. C. anni 1840* . . . . processus fìat ad evincendum sponsos numquam simul convenisse: ad quem effectum examinabitur primum actrix : deinde nonnulli, et, si fieri potest, septem ab ea proponendi testes rogabuntur an haec mulier digna fide sit, et an revera a die 3 Martii 1884 numquam Oveto discesserit, aut saltem in Americam profecta sit. Eodem tempore committatur Curiae Habanensi examen Emmannelis Diaz et testium ab eodem inducendorum, ut vicissim praestabiliatur, eumdem Emmanuelem a die 3 Martii 1884 ex Habanensi insula non discessisse aut saltem in Europam non venisse. Quod si reus conventus etiam omissa inquisitione de revocatione mandati, iudici se sistere et testes proponere recuset, mandetur iudici subdelegato, ut nonnullos testes inter consanguineos et amicos eiusdem Emmanuelis ex officio accersat et excutiat. Quibus ad exitum perductis acta universa ad S. C. mittantur ».

Omnibus expletis, S. C. attenta oratricis paupertate, causam oeconomice pertractandam esse rescripsit.

## Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Theologus perspicuitatis gratia, tres sequentes quaestiones solvendas sibi proponit; nempe 1. an eiusmodi matrimonium fuerit validum et 2. si validum, an maneat adhuc dumtaxat ratum, et 3. denique si utrumque, an adsint iustae solutionis causae.

Ad Quaest. 1. gradum faciens. *An scilicet matrimonium Emmanuelis Diaz Gorgoll cum Damasa Gonzalez Orb on et Coro initum per procuratorem 3 Martii 1884 validum fuerit, affirmative* respondet, vel saltem non constat de eius invaliditate inquit. Idque ut evincat, animadvertit, quod :

Matrimonium per procuratorem valide certe contrahi poterat ante Trid. instar aliorum contractuum *ex c. ult. de Procurat, in 6.* Atqui communis est sententia hoc ius adhuc

vigere post Tridentin. si conditiones serventur quas *Bonifacius VIII exigit cit. Decretal.* Concilium enim Tridentinum nihil hac in re immutavit ; et praxis Ecclesiae quandoque in forma Tridentina matrimonium per procuratorem permittit. Ergo validum est -eiusmodi matrimonium, etsi raro sit permittendum, quibusdam cautelis adhibitis ad rei liceitatem.

Quod ex *communi Sententia,* etiam post Trid. matrimonium per procuratorem valide contrahatur ceteris praetermissis, demonstrat, auctoritate Card. De Luca, qui *Tit. de matrim, lib. XIV, Comp. n. 22, 23* ait : *Inter absentes quoque ad aliorum contractuum instar, ac iuxta eorum generales regulas, huiusmodi consensuum coniunctionem feri prohibitum non est, sive per mandatarios, sive_____Ea specialitate vigente, ut re integra priusquam perfecta sequatur consensuum' coniunctio, iam praestiti consensus, vel dati mandati revocatio concedatur, illa non attenta mandati irrevocabilitate, quae inprofanis indifferentibus contractibus datur, neque iurisiurandi religione hanc inducendi irrevòcabilitatem seu liberam poenitendi facultatem escludente.*

De conditionibus agens ad huiusmodi matrimonii valorem a Bonifacio VIII praescriptis, tres enumerat: scilicet I. ut adsit mandatum speciale, quae Procura audit, ad matrimonium contrahendum ; quae procuratio proinde certae et determinatae personae fieri debet ad effectum illud contrahendi cum certa et determinata persona *ex cit. c. ult. de Procur. in 6,* bene expressa, quae etsi in rigore iuris, scripto a mandante dari non debeat, tamen consultius nonnisi scripto expressam, Episcopus permittere potest : II. conditio est ut procurator exequi debeat mandatum per se, nec subdelegare alium potest, nisi subdelegandi facultas expresse ei data fuerit. Hic autem procurator si in forma tridentina fiat matrimonii celebratio, in actu matrimonii exhibet mandatum et parochus interrogat vis in uxorem Semproniam, nomine Titii ? Vis in maritum Titium mediante praesenti suo procuratore ? III. Conditio ut mandatum non sit revocatum ne-

que tacite, neque expresse *c. ult. de Procurat, in 6.* Dicit tacite etsi nihil procuratori innotuerit modo probari possit in foro externo mandati revocatio. In aliis actibus non valet revocatio, nisi procuratori innotescat, iuxta Iur. reg. *Actus valet, nisi procurator certior fiat de revocato mandato c. 33, de Rescript, et Clem. un. de Renunt.* Ratio differentiae patet, quia in aliis actibus lex consensum supplet: at matrimonialis consensus nulla auctoritate suppleri potest. Praxis Eccles, et *S. C. C. Eugubina seu Perusina matrimonii 5 Iul. 1727* idem ostendit, non requiri scilicet ut revocatio procuratori innotescat.

Quod autem *praxis Eccl.* matrimonium per procuratorem valide contrahi agnoscat, extra dubium esse ait, ita ut iam a suo tempore Ursaya *t. 1, p. 2, Discept. XVII, 1-2,* dicere potuerit : *exploratissimi etiam iuris est matrimonium contrahi posse per procuratorem, tam ex parte viri, quam mulieris dummodo constituatur procurator specialis ad contrahendum cum tali persona, prout factum fuit in praesenti iuxta textum expressum in c. fin. de Procur. in 6 apud* Sánchez *De matrim. I. 2, disp. 11, q. 1, num. 2 et q. 2, num. 10: et plenissime Rota in Neapolitana matrimon. 18 Iun. 1703 § Verum coram Ansaldo et resolvit S. C. C. in alia Neapol. matrim. 18 Iulii 1711.*

Tandem cautelae ad rei liceitatem adhibendae, iuxta Theologum, sunt *a)* causa valde gravis Ordinario exposita a Parocho, qui nunquam inconsulto Ordinario eiusmodi matrimoniis adsistat: *b)* ut qui matrimonio per procuratorem iunguntur vel iterum ipsimet coram parocho et testibus consensum renovent, vel saltem coram Ecclesia se ratum habere matrimonium declarent.

Iamvero prosequitur, quod ad matrimonium Emmanuelis Diaz Gorgoll cum Damasa Gonzalez Orbon et Coro per procuratorem ineundum I° fuerit mandatum speciale datum determinatae personae, quae est procurator ecclesiasticus scilicet D. Petrus Emmanuel Fernandez et Suarez ; quodque 2° speciale mandatum ipsemet Fernandez cum dicta Damasa

per se sit executus die 3 Martii anno 1884, evincitur declaratione D. Corbasal, parochi S. Ioan. Ovetensis, qua de mox relatis fidem facit.

Neque deest 3. conditio : scilicet quod mandatum non fuerit revocatum : quidquid dicat Emmanuel Diaz se revocasse. Nam initum est matrimonium quo ipse optabat tempore; - Die II Ianuarii ann. 1885 ad Damasam scribens verbis utitur, quibus adhuc amans ac sponsus esse videtur. - Ex timore carceris ipse aufugit, licet postea securitatis suae certus procurationem confessus est, quam postea se revocasse affirmat, ita ut eius affirmationi nemo sanus fidem adhibere cogatur.

Sit 2. argumentum declaratio eiusdem Ovetensis Episcopi qui ad S. C C. haec scribit : « Ex hoc enim facile eruitur matrimonium contractum cum Damasa fuisse validum, iam quia ita ostendit mala fides Emmanuelis Diaz in declarationibus praestitis, iam quia ille fugit actionem iustitiae, iam denique quia impossibile videtur ut septem annis elapsis post auctoritatem concessam non recordetur ante quem tabellionem fuisse revocatam, agendo de status electione et maxime cum posset scire processum criminalem ex sua actione necessario oriri ».

3. [dem ostendunt testes, qui postea adducuntur, quique unanimes hac in re habentur cum omnes eiusmodi matrimonium vel affirmant explicite, vel supponunt esse validum.

Relate ad quaest. 2. *An constet de inconsummatione huius matrimonii, seu an hoc remanserit dumtaxat ratum.*

*Affirmative* respondet sequentibus innixus rationibus: quia nempe ex depositionibus tum Emmanuelis Diaz, tum nonnullorum testium, qui a Curia Habanensi, ex mandato S. C. C. examini subiecti fuerunt, uti certissimum apparet, Emmanuelem Diaz, sive ex Habanensi insula, sive ex America nunquam discessisse.

Idem probavit Curia Ovetensis, non tantum examine mulieris huiusque septem testium se numquam Ovetum reliquisse, numquam in Americam commeasse, sed addito examine

quorumdam amicorum Emmanuelis Diaz Oveti commorantium, quod Emmanuel numquam post dictam diem in Europam redierit. Cum igitur ex inspectione processus rite formati in utraque Curia Ovetensi et Habanensi, constet Emmanuelem Diaz, et Damasam Gonzalez numquam convenisse a die matrimonii, per procuratorem contracti, sequitur hoc numquam fuisse consummatum et manere adhuc ratum.

Quod ex immediata processus inspectione eruitur, id confirmatur sententia Episcopi Ovetensis, sic SSmum alloquentis litteris datis 5 Octobris 1892 « Certum est 1. Emmanuelem Diaz Gorgoll vitam egisse in dioecesi Habanae post mensem Septembris 1883 ubi constanter permansit, nullum iter faciens in Hispaniam... 2. Publicum et notorium est convicinis Damasae, qui suum statum deplorant et in omnium conscientia repetitum Emmanuelem a mense Septembris 1883 hic amplius non morasse. 3. Comprobatum est Damasam semper in hac dioecesi stetisse et ab hac civitate nec puncto temporis abfuisse post contractum matrimonium »; unde merito concludit, ex actis, quae rite confecta esse recognovi « Ex parte Damasae, ut in hac expositione dictum est, adhibiti fuerunt testes, qui de veritate deposuerunt : pater ipsius sub iuramento declaravit, numquam matrimonium fuisse consummatum, et omnes, ut compertum habent sive con vicini, sive non, tale matrimonium fuisse tantum ratum ». Idem repetit SSmo Patri Leoni uteris datis 28 Aprilis 1893.

Quin obiicere iuvaret, quod Emmanueli asserenti se in Europam non remeasse post diem 3 Martii an. 1884 non est fides adhibenda cum non credatur ei, utpote dubiae fidei in assertione de renovatione mandati.

Huic siquidem offensioni respondet animadvertens quod S. C. C. ex relatione Episcopi Ovetensis suspicans Emmanuelem velle renuere se sistere iudici et testes proponere, mandat ut ipsa curia Habanensis nonnullos inter consanguineos et amicos eiusdem Emmanuelis ex officio accerseret, et servatis de iure servandis excuteret. Ergo etiam sine Emmanuelis assertione poterit constare factum, quo de agitur

an ipse a die 3 Maii 1884 Europam repetierit. - 2. Hoc porro factum cum sit omnino visibile, plures exigens dies ut eveniret, haud latere poterat praesertim parentes, amicos et notos. Iamvero tam Oveti omnes quam Habanae negant unanimes in Europam illum esse regressum. - 3. Neque potest per se haberi ut *semper* mendax, qui alia vice fuit mendax, cum non omnes rationes concurrant pro utraque vice. De revocatione mandati supponitur mentiri : et ratio mendacii redditur ab Episcopo Ovetensi. *In cognitionem Emmanuelis Diaz venit instructio processus et ad declarationes vitandas fugit, quia cum fundamento in re extimescit processus sententiam et ut in vincula coniiciatur.* Ad tantum malum vitandum mirari quis non debet Emmanuelem semel negasse se mandatum procurae dedisse, aut affirmasse eius revocationem. Quod malum aut simile sibi timendum non est si asserit iuratus in Curia episcopali se nunquam Ovetum aut in Europam fuisse regressum.

Ab inconsummatione matrimonii, ad causarum existentiam discutiendam de veniens, ob quas Rom. Pontifex dispensationem a matrimonio rato et non consummato indulgere solet, Theologus contendit, plerasque et gravissimas adesse: nempe 1. Emmanuelis animum erga Damasam adversum, ob quem ipse Emmanuel cum Damasa nunquam cohabitare pateretur idque eius literae a Paroecia S. Spiritus sub die 21 Dec. 1885 datae luculentissime ostendunt. 2. Dubium de validitate matrimonii ab Emmanuele cum Damasa per procuratorem initi, et huiusmodi dubium submovit non tantum ipse Emmanuel qui cum iuramento apud iudicem ecclesiasticum deposuit se mandatum procurae revocasse, sed etiam septimae manus testes ab Ovetensi Episcopo inducti affirmantes quod Emmanuel Diaz cum Oveti degeret, bona esset vita et verax : dignum fide eundem pariter asserunt testes ab Habanensi Curia examinati.

Unde ni penitus scelestus, sacrilegus et periurus habeatur, quod ex actis nondum ut talis apparet, aliquod dubium de validitate matrimonii manebit semper. 3. Moralem impos-

sibilitatem dissociandi Emmanuelem ab ea quacum a novem annis consuetudinem fovet coniugalem, tamquam maritus cum uxore ut putatur ab omnibus, atque propter inimicitias, odia et scandala hinc inde obventura plenum opus aleae fore.

His accedit quod Emmanuel fugam arripere sit paratus, potius quam in regionem dumumque suam ducere Damasam, quis non videt futurum scandalum post negatam solutionem decretamque ab Anna separationem cum facile ille cum hac sit mansurus ?

Iamvero ab omnibus DD. communiter admittitur iustissimam causam esse dispensandi vel unam ex sequentibus 1. animorum dissociatio, quin adfulgeat futurae reconciliationis spes : 2. timor probabilis magni scandali futuri, discordiarum et rixarum inter consanguineos: 3. semiplena probatio defectus consensus, aut alterius impedimenti. Cf. Consci *De separatione tori, III, II, n. 96 seqq.* Sánchez *De matrim. I. I, XVI.* Schmalzgrueber in *Decretal. I. IV, tit. XIX, n. 53 seqq.* De Iustis *De dispensat, matrim, n. 53 seq.*

4. Aliud matrimonium, etsi nullum, seu matrimonium civile ab Emmanuele cum Anna initum, a quo liberari nequit. Cf. De Iustis */. c. n. 32.* Matrimonium autem inter Emmanuelem Diaz et Annam Garciam syndici sororem, celebratum, tam coram Ecclesia, quam penes saecularem magistratum, est saltem civile, etiam a pluribus annis initum, a quo sine scandalo atque gravissimis aliis damnis patet, non posse liberari Emmanuelem. Et ob hanc solam causam pluries obtentam esse per S. C. C. a Romano Pontifice solutionem matrimonii rati.

5. Idemque infelicissimam Damasae conditionem, quae omnem promovere debet animum ad hoc, ut penes Rom. Pontificem ei obtineatur dispensando solutio matrimonii, quod insolutum in statu coactae viduitatis ipsam *iuvenem* et *pauperem* periculis proinde innumeris *hac nostra aetate vehementissimis* exponeret.

Cum igitur certissime constet de matrimonii dicti inconsummatione rationesque allatae iustissimae videantur, ut pe-

titioni solutionis matrimonii ab Episcopo Ovetensi pluries instantissime factae satisfiat theologus concludit, consulendum esse SSmo ut matrimonium ratum adhuc tantum inter Emmanuelem Diaz Gorgoll et Damasam Gonzalez Orbon et Coro per procuratorem initum, dispensationis ope solvatur.

VOTUM CANONISTAE. Canonista praemittit, quod cum S. Congregatio hoc unum scire desideraret, an Emmanuel unquam venerit in Europam, ut inde argumentum educatur moraliter certum de consummatione vel non consummatione coniugii, supervacaneum videretur hodie inquirere, an valide vel invalide initum fuerit, cum satis sit supplicari SSmo pro dispensatione a matrimonio, si argumenta non desunt, quibus ratum mansisse probetur. Verum non ita coarctata mihi quaestio proponitur, quae ut rite procedat, duo discutienda sunt : *aj* validene fuit matrimonium initum ab Emmanuele et Damasa? *b)* et si valide, fuit ne consummatum?

*Matrimonium inter Emmanuelem et Damasam fuit validum.*

Quod ut probet, recolenda esse autumat verba Cap. ult. de Proc. in VI quae sic sonant : *Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale . . . Si procurator antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem, (licet tam, ipse quam ea cum qua contraxerit, revocationem huiusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.* Hisce in iure praeiactis, perpendit inter negotia quae exigunt *speciale* mandatum, quaeque plurima sunt, supremum obtinere locum contractum matrimonialem, quippe qui inter potiora negotia recensetur, cum perpetuam obligationem inducat, quae res est magni momenti. Hinc haud sufficiens esse generale mandatum etiam ad universitatem causarum, sed *speciale* requiri, determinatum scilicet ad contrahendum. Et quidem non cum quacumque persona, sed determinata et specificata ab ipso

mandante. *Et iure quidem, nam non est indifferens contractum matrimonialem inire cum Caia vel cum Sempronia.* Quod consonum est *maximopere dispositioni iuris civilis. Generali mandato quaerendi mariti filiae familias non fieri nuptias rationis est, itaque personam eius patri demonstrari qui matrimonio consensit, ut nuptiae contrahantur necesse est.* Apud de Angelis *lib. 1, tit. XXXVIII.* Haec necessaria esse inquit ut sarta servetur matrimonii libertas, quod producit indissolubile vinculum, a quo resilire non licet, attento divino iure, *quod Deus coniunxit homo non separet.*

Cum autem procurator personam mandantis assumat quam repraesentat, et obligationem eius nomine contrahat, necesse omnino esse, mandatum ad delegationem concedendam nullimode praepediri, ita ut quod per alium facit, per seipsum facere vere proprieque dicatur : qui vero procuratoris munere fungitur onus voluntarie acceptet ; nemo enim invitus, procurationem cogitur acceptare. Iam si ad facti speciem attendatur, omnia requisita a iure non desunt. *Speciale* mandatum occurrit, sive ad contrahendum, cum determinata persona, Damasa scilicet, ceu constat ab apographo a tabulario publico exarato.

Diaz autem capacitate legali tunc temporis non privabatur, quasi non posset alterum delegare, neque libertate essentialiter requisita. Advertenter haec addere ait, quia in Ep. 21 Dec. 1886, conqueritur Emmanuel mandatum contrahendi fuisse sibi extortum, nec posse hodie ratum habere, cum parentum consensus defuerit. Verba sunt haec praetereaque nihil. Primo quia tabellio actum publicum exaravit, verbis exprimentibus verum et proprie dictum consensum. De illegalitate mandati non loquitur, imo e contra. Cum autem Emmanuel subsumit defuisse consensum parentum, mentitur aperte. Etenim Habanae actus publicus fuit exaratus, quo pater eiusdem huic matrimonio ab eodem ineundo maxima animi sui voluptate adsentitur, et nullum motivum oppositum se habere affirmat. Subiungit denique mandatum fuisse sibi extortum, et haec assertio gratuita est, quae ea-

dem facilitate reiicitur, qua profertur. *Dictum enim testis sine redditione causae non probat. I. solam cod. de test.*

Matrimonium rite celebratum esse ex libro parochiali resultat, in quo legitur initum 3 Martii 1884 mediante procuratore, quia contrahens absens reperiebatur.

Hisce addit Oveti rem esse notissimam. Omnes ad testificandum de eo inducti absentiam Emmanuelis, cum celebraretur, uno ore confitentur, proindeque mediante procuratore, et tanta securitate loquuntur, ut de re evidenti evenire solet. Unde ut res iudicata habenda est.

Verumtamen, subdit, in capite citato Decret, in VI edicitur, revocationem mandati nullum reddere actum procuratoris, etiamsi revocatio facta, ignorata fuerit a procuratore et a comparte, cuius redditur ratio, *cum illius consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequivit.* Inquirens autem modum, quo facienda sit revocatio, ut matrimonium invalide contractum esse dicatur, putat non esse necessarium, ut revocatio fiat eodem modo eademque ratione, qua mandatum concreditum est. Caput siquidem quod de procuratoribus est, mandati naturam indolemque mandati expendit, insuper loquitur de eius valore, de perseverantia, revocatione, altum vero servat silentium de modo quo revocatio mandati fieri debet. Sat erit itaque revocatum fuisse, et hoc probari posse in foro externo. Hinc libenter adhaeret sequenti animadversioni Coninkii, quam verissimam putat. *In foro conscientiae sufficit sola revocatio mentalis, quia haec omnino tollit consensum. Pro foro tamen externo necessarium est, ut revocatio probetur facta ante contractum initum. Sufficit tamen implicita revocatio (ut si mandans cum alia contrahat sponsalia)* idque etiam *in foro externo modo probari possit.* Disp. 24, dub. IX, n. 69. Conveniunt Salmanticenses, scilicet sufficere ad talem revocationem, quod tantum mentaliter fiat pro foro conscientiae, quamvis in foro externo non iudicetur revocatum, nisi de revocatione constet. Sufficit etiam si fiat revocatio epistola, verbo, aut etiam ipso facto, quia non tantum verbis, sed etiam lactis

demonstratur contraria voluntas. *Tract. IX, P. IV, n. 100.* Nec Sánchez dissentit, imo confirmat *lib. 2, disp. 11, n. 20.*

Emmanuel autem se retractavisse mandatum iuramento affirmat, quod si probaret, frustra hic quaereremus an matrimonium cum Damasa initum inter valida sit recensendum. Sed argumenta confirmativa ab eodem frustra expectamus. Quamdiu potuit, negavit se ulli dedisse contrahendi mandatum. Postea convictus apographo, et quo se verteret ignorans, praesidium revocationis invocare coactus fuit, nihil aliud edicens nisi quod tempore utili, id se fecisse. Nullum itaque argumentum occurrit, quo revocatio mandati vere ab Emmanuele facta sit, et probari possit in foro externo. Hoc unum in hac causa occurrit, contradictio perpetua. Emmanuel enim prius negat, postea convictus, affirmat, restringit, dilatat, quin tuto affirmari possit, quae sit in hac re eius vera sententia. *Porro si testis in parte verus et in parte falsus, in totum reputatur falsus* 1. si ex falsis de Transact., quanto magis , qui in omnibus deprehenditur falsus , et convictus ignorantiam affectât, edicens, se rétractasse mandatum, quin modum valeat iudicare. Fidemne meretur, qui ita se gerit in proferenda testificatione, iuramento firmata?

Forte dicet aliqui s -, nec immerito: ex sententia Ooninkii, Sánchez, Salmanticensium retractatio implicita sufficit, quae verificatur etiam in sponsalibus initis. Emmanuel autem coniugium cum alia contraxit : implicita revocatio ergo occurrit, quae maior desiderari non potest. Verum haec difficultas, iuxta Canonistam, est prorsus inanis, nec ullo modo destruit thesim de validitate coniugii. Ut secundum matrimonium, personaliter initum, mandato anteriori praeiudicet, debet esse anterius executione mandati. In eo casu mandatum cessat, et implicite revocatum esse censetur. Contra vero si executio mandati praecessit, matrimonium secundum non praeiudicat primo, quod in suo robore permanet. Iamvero mandatum contrahendi procuratori collatum, executionem habuit 3 Martii 1884, matrimonium vero in civitate Habanensi ab Emmanuele contractum fuit 1. Iulii eiusdem

anni. Emmanuel Diaz detinebatur iam impedimento ligaminis, et mandatum effectum suum habuit, nec poterat revocari actu contrario, sed posteriori ratione temporis. Cum itaque Emmanuel Diaz nullo modo probare valeat revocatum a se fuisse contrahendi mandatum, matrimonium cum Damasa suo nomine initum, in suo robore permanet in foro externo.

Post haec ad alteram quaestionem descendens, quae inconsummationem respicit, praemonet ad solutionem concedendam matrimonii, simpliciter rati, processum conficiendum esse ad tramites iuris iuxta praescriptiones Benedicti XIV in Bulla *Dei miseratione* et Decreta novissima S. Congregationis Conc. Porro hic plura desiderantur, et processus imperfectus est. Nihilominus his quae in actis relata sunt acquiesci posse existimat, quandoquidem ex relatis in actis argumenta certissima deducuntur matrimonium mansisse tantummodo ratum. Curia Ovetensis testes advoca vit fide dignos, et ut potuit, respondere curavit praescriptionibus latis ad omnes praecavendos errores in re tanti momenti, qualis est solutio matrimonii rati. Si alios testes non compulsavit, ideo evenit, quia Emmanuel Diaz in ius ab ea vocatus non respondit. Curiae Habanensi paruit, verumtamen cum matrimonium a suo procuratore initum nullum esse reponeret, ratione revocationis mandati, causam a Damasa motam consideravit ut sibi extraneam.

Cum res ita se habeat, hanc secundam thesim probat sequentibus argumentis. Et ut clare procedat testium vestigiis inhaerens, dicit *a)* nullam intervenisse matrimonii consummationem, *b)* immo nec potuisse.

Cum de re facti agatur, nonnisi argumenta positiva proferenda esse inquit. Si Emmanuel et Damasa aliquo tempore individuam vitae consuetudinem iniissent, praesumptio saltem secutae copulae dissipanda esset argumentis moraliter certis, quae non semper praesto sunt: verum hic aliter procedendum est, et inquirere sufficit, an aliquando insimul cohabitaverint, et vitam traduxerint coniugalem. Atqui con-

trarium omnino constat. Etenim Emmanuel Diaz ideo Petro Fernandez mandatum contrahendi nomine suo commisit , quia praesens esse non poterat. Antequam matrimonium conciliaretur Insulam Cubae appulit, ratione officii. In hoc conveniunt omnes : sponsi, testes, parochus, Curia Ovetensis, quae hoc modo non communi matrimonium celebrari concessit. Iam si defuit Diaz, nunquam cum sua uxore convixit, quivis cum ea conventus non habuit locum, imo nec haberi potuit. Quod desumitur ex ipsa impossibilitate qua detinebantur Emmanuel et Damasa consummandi coniugium. Quod argumentum, testium depositionibus confirmatum, non consummationem coniugii invictissime probat. Si enim a posse ad esse non valet illatio, multo minus ab impossibili.

Porro nec Emmanuel unquam in Europam venit et Damasa nunquam appulit Cubam. Utrumque facili negotio probatur. Emmanuel enim antequam coniugium iniret, O vetum deseruit. Una vice tantum in Ep. ad patrem Damasae desiderium redeundi Ovetum manifestavit, sub conditione tamen transeundi ad meliorem fortunam, eo quia Habanae officio et munere vacans, paupertate detinebatur. At eum conditio verificari non posset, desiderio redeundi valedicere debuit. Nulla enim erat discedendi et Ovetum redeundi opportunitas, cum meliorem fortunam absque officio sperare non posset. Ideo propositum mutavit nec unquam reliquit Habanam. Porro Emmanuelem non adimplevisse desiderium redeundi Ovetum, quod conceperat momento tristitiae, cum adversa fortuna premeretur, testes non desunt, et numero, et omni exceptione maiores, quorum confessiones certitudinem pariunt, qua maior desiderari non potest. Damasa enim, quae, teste Episcopo Ovetensi, bene morata est, et virtutibus praedita, proindeque incapax proferendi mendacium, absque hesitatione ulla, sed serio affirmat ex eo die, qua Emmanuel ex dioecesi Ovetensi discesserat « non lo ha veduto, nè » ebbe occasione di vederlo, nè molto meno di conversare » con lui ».

Adsentitur pater Damasae, qui reditum Emmanuelis ignorare non poterat, ceu ex eiusdem verbis eruitur, quae reditum executioni non mandatum affirmant. Ad 1. Idipsum confitetur Ioseph Cabal y Alvarez : « d'allora, (scilicet quando » Emmanuel discesserit), non lo ha più veduto, e si persuade » che non ha fatto più ritorno a questa città». Ad 2. Rationem reddit affirmationis suae, quia amicitiae vinculo tenebatur cum familia Emmanuelis, cuius reditum ignorare non potuisset. Similia repetunt Baldomerus Olay y Faujal, Urbanus Olay y Faujal, uno verbo ceteri testes septimae manus.

Quod si Emmanuelem in Europam non "venisse certissime constat, multo magis Damasam non ivisse Habanam. Ipsa quoque desiderium illuc eundi conceperat, ut marito adhaereret, et cum eodem vitam duceret maritalem. Hoc scatet ex epistola Emmanuelis ad patrem Damasae. Adventum Damasae pertimescens, dissuadet hoc iter his verbis : « debbo manifestarle che ignoro il motivo che l'anima di » venir meco dal momento che non mi uniscono ad essa » vincoli che giustifichino la nostra unione ». Canonista Emmanuelem id dixisse putat, non iam quia Damasam Habanam ituram esse firmiter crederet, sed ut praeveniret, et omnem suspicionem a se propulsaret. Quidquid sit, urget, haec epistola decretoria, quam Damasa certo agnovit, effecit, ut propositum illuc eundi, si habuit, mutaret. Quae proinde *patre teste,* « giammai si è assentata da questa città ». Aliunde cognita reluctantia Emmanuelis, cuius propositum erat, omnem cum eadem amicitiam abrumpere, si aderat, aut non agnoscere, nulla sane erat causa quae ad hoc iter agendum, ipsam impellerei. Ideo pater Damasae fidenter affirmat « giammai si è assentata da questa città. » Quae verba ceu acta luculenter ostendunt, repetunt ceteri testes septimae manus, ex parte Damasae adducti. Ex quibus omnibus, consummationem coniugii impossibilem fuisse evidenter elucet. Quam consequentiam ipsi testes ex propria depositione iurata sponte fluere sua agnoscunt, et de hac impossibilitate peractae consummationis ipsi quoque loquuntur.

Hisce omnibus quoad causae meritum expensis, canonista concludit, inquiens, quod licet acta processus imperfectissima sint, attamen matrimonium mansisse ratum argumenta indubia et efficacissima probant. Processus incompletus est, cum ex parte Emmanuelis Diaz desint testes septimae manus, matrimonialis vinculi defensor desideretur, qui tamen iuxta Constitutionem Benedicti XIV omnino requiritur, et censetur potissima pars in iudicio ferendo de validitate vel invaliditate coniugii, eiusque solutione, quando ratum fuisse censetur. Unde super his sanatio in vocanda est, nec Damasa sine ratione illam expectat, et consequi sperat a Pontificis indulgentia, sive quia Congregatio per litteras Secretarii ab Episcopo Habanensi, hoc unum scire desiderabat, an Emmanuel venerit in Europam, et Hispaniam appulerit, Damasam visurus, (quod non evenisse abunde se probasse confidit) : sive quia hodie processum repetere eumque absolvere ad tramites iuris, impossibile est, cum Diaz, vir durae cervicis, matrimonium a se initum agnoscere recuset, eo quod contrahendi mandatum, tempore utili se retractavisse affirmet.

Praemissa sanatione actorum, supplicandum Sanctissimo Patri pro dispensatione a matrimonio rato, firmiter censet. Damasa enim quae turpiter decepta est ab homine improbo, indulgentiam Pontificis implorat, ut a vinculo absolvatur bona fide contracto. Eius conditio sane bona non est. Atque ut Episcopus Ovetensis de ea scribit, « non è » maritata, nè zitella, conviene che questo stato si rego- » larizzi. »

Eo quod matrimonium cum Emmanuele contractum validum sit, certe eidem adhaerere teneretur, sed Diaz illam repellit, et matrimonium invalide initum fuisse peierando affirmat. Quid vero si facti poenitens, Damasam ut coniugem acceptaret ? Nec eo in casu Damasam impellendam esse censet. Qua animi voluptate id faceret si cogeretur ? De homine agitur, qui eodem anno, iisdemque verbis duabus mulieribus fidelitatem suam spondere non dubitavit. Damasa autem rationabiliter pertimesceret, fidem datam eadem facilitate Emma-

nuelem esse fracturam. Emmanuelis epistolae luculenter haec probant. Dum enim Damasae litteras dabat amoris plenas, aliam mulierem sibimet desponsaverat, aut saltem ad id erat iam animo comparatus. Hae autem nedum levis animi, sed et inconstantem esse insinuant. Quamdiu fortuna eidem favere non destitit, Damasae non recordabatur, imo cum eadem omnem relationem abrupit, sed cum adversa fortuna laboraret, et premeretur inopia, amicitiam cum eadem restaurare desiderabat, ceu constat ex epistolis ad Antonium Damasae patrem. Inconstantia haec, et mutatio Emmanuelis iuxta opportunitatem et tempus, Damasam edocet, esse malae fidei virum, et quod promittit, soluturum esse si convenit, non ita, si aliter utilitas velit et dictet.

ANIMADVERSIONES S. VINCULI DEFENSORIS. Sacramenti matrimonii adsertor animadvertit praeprimis supervacaneum prorsus esse de matrimonii nullitate verba facere, cum ipsi quoque lectissimi consultores theologus et canonista absque ambagibus matrimonii valorem agnoscant: quo vero ad inconsummationem, eam in probatis haud esse demonstrare satagit, sequentia perpendens.

Duo ex adverso evincenda erant ; nec Damasam scilicet ab absolutis nuptiis usque adhuc O veto ad insulam cubanam, nec Emmanuelem ab insula Ovetum profectum esse. Usque dum horum alterutrum in ancipiti manet inconsummatio matrimonii certa esse minime potest. Iam vero nec unum nec alterum exploratum est.

Non diffitetur praesto esse testes numero plures, qui sive unum, sive alterum vel etiam utrumque affirment. Sed, ait, illorum testimonium in pretio haberi nequit, non solum quia testes rationem dicti sui ut plurimum minime reddunt : sed etiam quia, dum affirmant vel Damasam non discessisse Oveto, vel ab- habanensi Sancti Spiritus civitate Emmanuelem, testes aut loquuntur de discessu ad longum tempus, et proin canunt extra chorum aut a veritate manifestissime aberrant.

Reque vera tres testes, idest Ioachim Perez y Ureta,

Ioseph Vidal Valdivia y Garcia atque Leontius Zamora y Peralta, in memorata urbe vulgo *S. Spiritus* degentes, asserunt quidem Emmanuelem nec ab insula, nec ab oppido *S. Spiritus* exiisse, imo neque exire potuisse, « *essendo stato impiegato in quel tempo* (a mense Decembri 1883) *nelle Regie finanze* ».

Ast, inquit, in aprico est hos testes a veritate deflectere. Compertissimum namque est, Emmanuelem ab anno 1886 oppido *S. Spiritus* et publico muneri valedixisse. Porro Emmanuel tempore non suspecto ad Damasae patrem inter alia idipsum scribit.

Alia vero in epistola ad eundem Damasae patrem data « Avana 1 Maggio 1886 » suum redeundi Ovetum, in antecessum panditum, desiderium etiam atque etiam affirmat.

Hinc liquet fabulis accensendum etiam esse matrimonium ab Emmanuele initum *die 7 Iulii 1884 cum Anna Garcia Re Diaz Syndici oppidi* S. Spiritus *sorore.* Nam si ab anno 1884 uxorem duxisset sororem Syndici *S. Spiritus,* anno 1886 haud vagabundus per insulam et famelicus panem in Hispania a Damasae patre quaereret.

Sed adesse urget omnino maiora: die 11 Ianuarii 1885 Emmanuel ad ipsammet Damasam scribit : se mense Aprili, vel Maio, ut eam inviseret, Ovetum iturum.

Quo vero ad Damasam, extra omnem prorsus dubitationis aleam positum esse contendit Oveto abfuisse et per tres menses in domo sororis *a Bona f errada provincia di Leon* anno commorasse ; idest eo temporis momento, quo Emmanuel, ceu ex superius adductis patet, cum Damasa coniungi percupiebat.

Quaerit itaque ubinam tribus hisce mensibus versata sit Damasa ? Neque Damasam audiendam esse, urget tum cum asserit *a Bonferrada* in domo sororis commoratam esse ; quandoquidem nullam huiusce rei probationem adducit. Our, petit insuper, soror ista ad examen adducta non est ? Ecquis auctor est Emmanuelem et Damasam tribus sin minus hisce mensibus sive in provincia de Leon, sive in aliis Hispaniarum aut cubanae insulae plagis una simul non convenisse?

Neque pariter concludit fidem praestandam esse testibus a Damasa inductis, qui uno ore iurant: Damasam ex temporis momento, quo matrimonium, sub die 3 Martii 1884 per procuratorem contraxit, numquam Oveto abfuisse.

Quibus relatis, discutienda proposita fuerunt sequentia

## Dubia

I. *An constet de nullitate matrimonii eœ revocatione mandati in casu.*

Et quatenus *Negative :*

IL *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, re mature discussa, sub die 22 Iunii 1894 respondendum censuit : Praevia sanatione actorum :

Ad L *Negative.* Ad IL *Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Matrimonium per procuratorem, quemadmodum ante Concil. Tridentinum, sic post citati Concilii promulgationem, valide contrahi posse, si conditiones *in cap. ult. de Procurat, ino.* praescripta serventur.

IL Huiusmodi conditiones esse *a)* speciale seu determinatum mandatum certae personae datum ad contrahendum, non cum quacumque persona, sed determinata et specificata ab ipso mandante; *b)* ut, sicuti mandatum ad delegationem concedendam nullimode praepediatur, ita procurator munus sibi oblatum voluntarie acceptet; *c)* ut procurator exequi debeat mandatum per se, nec subdelegare valeat, nisi huiusmodi facultas expresse ei data fuerit; *d)* ut mandatum ante matrimonii celebrationem non sit revocatum neque *mentaliter,* quae revocatio in foro conscientiae sufficit ; neque *implicite* (ex. gr. Si mandans cum alia sponsalia contrahat), quae valet etiam pro foro externo modo probari possit. Et revocationem valere etiamsi a procuratore et a comparte ignorata fuerit.

III. Quapropter necessarium haud esse, ut revocatio fiat eodem modo, eademque ratione, quo mandatum concreditum

est ; sed satis esse quod revocatum fuerit, et hoc probari valeat in foro externo.

IV. In casu autem pro validitate matrimonii, cum Damasa per procuratorem ab Emmanuele contracti, decisum fuisse, ex eo quod *expressa* revocatio ab Emmanuele obiecta haud probata remansit ; *implicita* autem, quae contigit, cum ipse matrimonium cum Anna contraxit, locum habuit, quando nuptiae cum Damasa iam celebratae erant.

V. Verumtamen dispensationem, a Damasa imploratam, indultam fuisse, quia ex actis prodiit, matrimonium consummatum haud fuisse, imo neque consummari potuisse ; et gravissimas causas adesse, quae huiusmodi dispensationem suadent.

# BURDIGALEN.

## NULLITATIS MATRIMONII

*Die 25 Iunii 1895.*

**Sess. 24 c. 37 de Reform.**

COMPENDIUM FACTI. Mauritius exercens cum patre in Burdigalensi civitate commercium, negotiationis causa frequentare solebat domum Gregorii eiusdem civitatis, pariter commercio addicti. Tali occasione Mauritius cognovit Iosephinam, Georgii filiam, cuius singulari venustate captus, ac spe conspicuae dotis blanditiisque Iosephinae parentum illectus, statuit eam quantocius in uxorem ducere.

Quapropter die 12 Ianuarii 1886, praevio coniugio ita dicto civili, Mauritius et Iosephina cum essent 21 annorum, legitimum iuxta Tridentini praescriptiones contraxerunt matrimonium in paroeciali Ecclesia *Notre Dame* Burdigalensis civitatis.

Si dictis Mauritii fidem praestemus luctuosum huiusmodi matrimonii finem iam ante celebrationem ipse praedixerat; asserit enim, Iosephinam ante nuptias, eum cum indifieren-

tia tractasse et semper coram ipso praetulisse tristitiam signa. Quae indifferentia aucta est ipso coniugii die, mulier enim sponso declaravit se imperiosam subiisse parentum voluntatem, seque amorem erga alium fovere. Ideoque, refert Mauritius, non absque gravi difficultate, ex parte Iosephinae, consummatum matrimonium fuisse eandemque in ipsa coniugali peregrinatione per totam diem deseruisse maritum.

Nuptiarum itinere expleto, cum Mauritius participare noluerit soceri negotiationibus, nec pro illo obligationes erga creditores sumere, Georgius minatus est suam filiam ab ipso separare. Tunc cognovit Mauritius, patrem Iosephinam ad matrimonium coegisse spe reparandi angustias suae rei familiaris, existimans deinde posse impune inexperientiam sponis decipere. Hinc graviores inter coniuges exortae sunt controversiae; Iosephina, uti vir asserit, non erubuit eidem suas praeteritas culpas narrare, pluries dereliquit maritale domicilium, ac tandem post paucos cohabitationis menses in insulam *Cazaux* ad parentes aufugit, et paulo serius divortii civilis causam intenta vit, quod pronunciatum fuit anno 1887 contra Mauritium, uti adulterii reum ac saevitiarum in sponsam.

Tribus preterlapsis annis a divortii sententia, Mauritius supplicavit Archiepiscopum Burdigalensem, ut suum matrimonium nullum declararetur ob veri consensus ex parte sponsae defectum.

Instaurato processu, Archiepiscopus Burdigalensis ad Curiam Archiepiscopalem urbis *Buenos Ayres*, ubi sponsa cum patre qui bonis Gesserat, transmigraverat, literas dedit, ut ipsa a iudice delegato circa suum matrimonium interrogaretur. At Curia *Buenos Ayres* domicilium mulieris ignorabat et inutiliter eam citavit. Tum Iudex Burdigalensis et vinculi defensor domum matris Iosephinae petierunt, promissione habita quod filia, cum rediret, Curiam esset access ura.

Sed cum etiam hac vice mulier non paruerit ex S. C. C. mandato, Cùria Burdigalensis, citationis aedictalis praeter-

missis solemnitatibus, perentoriam citationem misit ad Familiae Iosephinae domicilium, vocans Iosephinam et suos parentes, qui die assignata non comparen tes iam declaraban tur contumaces.

Denique Burdigalensis Curia sententiam pronuntiavit, validitatem matrimonii confirmantem : a qua actor appellavit apud S. Sedem.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI ACTORIS. Antequam actoris patronus demonstrationem nullitatis matrimonii ex defectu consensus inciperet necessarium duxit aliquid animadvertere circa sponsae eiusque parentum contumaciam. Talis contumacia, ait ipse, difficiliorem reddit thesis demonstrationem, sed certe significat, eos a testimonio ferendo abhorruisse, sive ut actoris conditio difficilis evaderet, sive quia conscientia ipsis non permisit, sub fide iuramenti, violentiam incussam et consensum coactum ac fictum denegare.

Nescimus, ait, orator, in primis quomodo ipsius creditum vel filiae, etsi extitisset, obstaculum insuperabile opponeret sistendi ante Curiam Burdigalensem, ut de veritate factorum testimonium ferret. Sed decantatum creditum non existit, adest enim evidens et definitiva iurium sponsae totalis acceptilatio, emissa iam a mense Iulii 1889, nempe duobus ab hinc annis.

Data etiam sponsae contumacia, nulla alia via erat, observat patronus, ut actor sua iura sustinere posset, nisi ex testium dictis haurire ea omnia, quae demonstrant sponsam coactum et fictum consensum praestitisse.

His praemissis, advocatus probare contendit, Iosephinam praestitisse in matrimonio consensum fictum et coactum colligens hoc ex factis et adiunctis quae matrimonium praecesserunt : quae observat patronus, demonstrant, Iosephinam matrimonium contraxisse, et consensum dedisse, dum alium, eo ipso temporis momento, amabat, et ut libertatem obtineret. Consensus ergo fuit tantum externus, et oretenus

tantum praestitus; quem consensum, minime sufficere pro validitate matrimonii, omnia iura clamant.

Ita Schmalzgrueber, *Ius eccl. univ. part. 1. sez. 1, n. 264:* « Quaeritur qualis esse debeat consensus ad matrimonium requisitus. *Resp.* 1. debet esse liber; 2. Verus non fletus aut simulatus, quia sine vero consensu non consistit matrimonialis contractus, simulatus autem contractus non est verus ». Et Sánchez *De matr. lib. 3, disp. 25 n. 2> 3.* « Dupliciter posse intelligi ut consensus sit causa matrimonii. Primo ut matrimonium est sacramentum et sic dicitur causa, in quantum internus consensus est causa externi contractus matrimonii, in quo consistit ratio sacramenti, et secundum hoc, non solum est causa efficiens extrinseca, sed etiam causa formalis intrinseca, quia verba contractus in quantum in seipsis involvunt, mutuos consensus, et illos exprimunt, sunt materia et forma huius sacramenti, uti dixi hoc *lib. disp. 5. n*. 6,* et confirmatur, quia intentio ministri et recipientis, sacramentum est de eius essentia, et contrahentes ipsi sunt ministri huius sacramenti et recipientes ut dixi *disp. 6. n. 2,* ergo eorum consensus et intentio est de huius sacramenti essentia . . . . Hinc infertur matrimonium minime esse si consensus ficte et oretenus praestetur ».

Si haec, ait orator, in iure constituta sunt, erit ne verus consensus ille, quem praestitit Iosephina? Nonne est dicendus fletus et oretenus praestitus cum ipsa declaraverit testibus consensisse, eo tantum scopo, ut libertatem acquireret dum alium, flagranti prosequebatur amore et ipsi fidem profitebatur?

Verum, prosequitur patronus, etiam coactus fuit consensus, siquidem pluries sponsa fassa est, se ex coactione a parentibus incussa matrimonium contraxisse. Mauritius enim in iudicio narrat: « Le soir du mariage, la voiture allant à la campagne je remarquai son air triste et lui demandai, ce qu'elle avait. Et comme je la prenais par la main elle m'écarta en me disant. Il m'est impossible de vous aimer ;

j'aime M. X., auquel mes parents s'étaient engagés à me marier. Mon père est une canaille, il l'a refusé pour gendre, parceque étant avocat il était à ses yeux un marchand des paroles, et il vous a préféré parceque vous êtes marchand d'argent en votre qualité de fils d'agent de change héritier de la charge____Oui (le mariage a été consommé) douze jours environ après la célébration du mariage, douze jours de résistance de la part de l'épouse et après la consommation du mariage elle me dit, vous m'avez eue par la chair, mais vous ne m'aurez pas par le coeur. J'aime toujours M. X. »

Haec, quae sponsus declarat sub iuramento, et de cuius religione veritateque non est dubitandum, uti testes, ac ipsa Curia Burdigalensis affirmant, confirmat etiam soror *Boni Pastoris* Maria Barger.

Ex depositione ipsius Parochi apud Curiam Burdigalensem constat Iosephinam parocho patefecisse voluntatem suam petendi ab ecclesia nullitatem matrimonii, et tantummodo ex causa vis et metus. Nam si in genere de nullitate loquuta fuisset cum parocho, hic, cum tractatum de matrimonio Iosephinae tradidit, non iudicasset paginam ubi adamussim sermo est de nullitate ex vi et metu. Et si, argumentati orator, Iosephina parocho loquuta est de nullitate sui matrimonii ex vi et metu, dubitari non potest, ipsam conscientiam habere, matrimonium ex vi a parentibus incussa contraxisse, et in celebratione matrimonii coactum et fictum praestitisse consensum.

His advocatus effuso calamo probatis, refellit obiectiones a sententia et a defensore vinculi propositas. Et contra sententiam Curiae animadvertit; quoad indolem non esse iudicandum modo superficiali.. Indoles seu character non potest tam facile iudicari, sed sunt inquirenda locus, tempora, circumstantiae et praesertim relationes quae intercedunt inter personas in ea circumstantia, loco et tempore. In casu vero characteris diagnosis a Mauritio explicatur: « Elle était (Iosephina) orgueilleuse, fière, vaniteuse, elle était violente et

emportée ». Sed « Elle était craintive et absolument sous le joug des ses parents ». Et interrogatus : « craignait elle des les contrister et de leur déplaire ? Non, elle n'avait envers eux cette crainte delicate, et révérentieuse ; elle subissait une volonté supérieure à la sienne, celle de son père.... elle était dominée par ses parents ». Quae indolis species, ait orator, cum ab omnibus testibus declaretur, clientis honorabilitas et in dicendo veritas omnino confirmatur.

Refert insuper advocatus haec alia Sententiae verba : « Que s'il parait certain que dans les premiers jours de la vie comune, l'épouse a refusé à l'époux ses droits de mari, le mariage n'a pas tardé cependant à être consommé, comme le reconnut loyalement l'époux ». Et respondit nos non debere inquirere ea quae in posterum evenerunt, sed ea quae vel concomitarunt vel illico matrimonium subsequuta sunt. At vero ipsa Sententia ait: « parait certain que dans les premiers jours l'épouse a refusé à l'époux ses droits de mari ». Curnam hoc, nisi ex aversione erga virum ex coacto consensu, quem parentes vi et violentia imposuerunt?

En igitur, concludit tandem patronus, consummatio matrimonii, quae locum habuit inter sponsos. Quae certe non est illa consummatio matrimonii, quae affectionem maritalem demonstrat; sed potius magis atque magis confirmat aversionem erga virum ex consensu coacto.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. EX altera parte Sacramenti vindex animadvertere incepit, quomodo post sententiam divortii civilis Iosephina spem conceperit matrimonium ab ecclesiastico etiam iudice cassatum iri, et primum consilii causa adiit Petrum Bonnet, loci *Bruges* parochum qui testatur : « Madame Josephine est venue me voir avec la supérieure de Ste. Germaine. Elle m'a fait connaître l'intention où elle était de demander à l'autorité religieuse d'annuler son mariage— Elle ne m'a pas dit que son consentement n'avait pas été libre... mais elle m'a demandé pour son avocat un traité du mariage. Je lui ai prêté le traité de Carrier, en indiquant la page de vi et metu ». At omni spe

abiecta circa nullitatem sui matrimonii, a causa promovenda destitit. Mauritio vero sponsae exemplum, ait defensor, non placuit et causam intenta vit, sed frustra.

Enimvero in confessis praeprimis est, observat vinculi tutor, Iosephinam ita libere et sua sponte consensum in matrimonium, coram parocho et testibus praestitisse, ut ne leve quidem coacti consensus indicium prodierit. Ipsemet enim Mauritius ad quaestionem : « Que savez-vous sur la manière dont l'épouse a répondu à l'Eglise, *le oui, je le veux,* et sur son attitude à la sacristie pendant la signature et au départ de l'Eglise ? » reponit : « Je n'ai rien remarqué de particulier ». Tali stante facto, en, prosequitur orator, quod nos docet S. Rota in *decis. 149,% 1* coram Ratto: « Cum agatur de matrimonio contracto coram parocho et duobus testibus iuxta formam praescriptam a sacro Concilio Tridentino in *Sess* ***i*** *24 De ref. matr. cap. 1,* et in ipso celebrationis actu intervenerit liber consensus utriusque contrahentis, omnis praesumptio militare debet pro validitate eiusdem matrimonii, nullaque ratio habenda est de oppositis exceptionibus, quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces, ut incontinenti et concludentissime, evincant praetensam nullitatem, sive ex defectu liberi consensus, sive ex alia irritanti causa promanantem ». Et Instructio S. C. S. R. U. Inquisii, die 20 iunii 1883 edita, in *artic. tert. De impediment. vis et metus., § 39* praecipit: « in hac re iudex sciat matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint. Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat » (1).

At in praesenti, quisquis videt, ait defensor, quomodo rationes, quas Mauritius ad suadendam coactionem colligit,

(1) Instructio haec relata fuit vol. XVIII, pag. 344.

non excludant omne prudens dubium ; comperta etenim et explorata non habentur facta, per quae Iosephina ad consentiendum in matrimonium coacta ostendatur. Ex testibus quos Mauritius induxit, unam Ioannam Giraud, observat vinculi propugnator, factum in medium afferre, quod ad extorquendum a Iosephina consensum in matrimonium adhibitum foret. Ait enim Ioanna : « le Père disait à sa fille : Si tu ne te maries pas avec Maurice je ne m'occupe plus de toi, mais cela sans menaces, comme à dire, je ne te proposerai pas d'autre mariage ». Urgente sacramenti vindice « Avez-vous eu connaissance de menaces faites par le père, et la mère pour pousser leur fille à se marier avec Maurice? » Ioanna iurat : « Je n'ai eu aucune connaissance des menaces ».

Concedit defensor patrem Iosephinae dictitasse : « Si tu ne te maries pas avec Maurice, je ne te proposerai pas d'autre mariage : » sed hoc non constituit metum cadentem in constantem virum. Metus, ait ipse, est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio *L* i, § *1 ff. quod metus causa.* Certe autem non ea erat Iosephina, ut eius mens trepidaret ad illa patris verba. Testes enim prosequitur orator, uno ore Iosephinam in mulierem traducunt flocci facientem parentum voluntatem.

Sed facta verbis sunt eloquentiora, exclamat vinculi tutor. In actis factum prostat quod clare demonstrat, Iosephinam, nec ulli parentum metui esse obnoxiam nec indigere, ut sibi virum parentes provideant. Aloisius Tabuteau narrat: « J'étais à Paris au mois de juillet 1881. Mon frère, ingénieur consul de l'entreprise reçut devant moi la confidence suivante. Nous sommes désolés : notre fille vient de nous quitter, nous emportant cinqcents francs. Au bout de huit jours, la police la trouva dans un hôtel avec un jeune peintre. Elle avait alors de 15 à 16 ans ». Quod a testibus et ab ipso etiam auctore confirmatur.

Nec matrimonii defensori refert, Bertam Lacoste dixisse : « La famille craignant que la future (Iosephina) quittât la

maison paternelle pour échapper à ce mariage, fermait bien soigneusement la nuit la porte de la chambre de leur fille et le père veillait quelquefois ». Si enim parentes, ait ipse, timebant ne Iosephina aufugeret « pour échapper à ce mariage » excubandum erat non solum « quelquefois », sed omnibus noctibus imo etiam die.

Ceteri testes, animadvertit orator, non facta recensent, sed narrantiunculis contenti sunt. Quos inter praeeminet Mauritius Larronde, testis ab actore inductus post sententiae publicationem, et ideo tempore suspecto. At monet Clemens V. *ea. 2, Clementin. De testib. :* « Testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem vel directe contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere, sic non debet in appellationis causa licere : cum non minus in appellationibus quam in principali causa subornatio sit timenda ».

Quibus praemissis suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An sententia Curiae Burdigalensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 22 Iunii 1895, censuit respondere : *Sententiam esse confirmandam.*

## CANTONIS TICINI

### POSTULATUM EPISCOPI CIRCA CAPITULI CATHEDRALIS CONSUETUDINEM IN SERVITIO CHORALI

*Die 17 Augusti 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Ordinarius Dioecesis Ticinensis in relatione status suae Ecclesiae S. C. C. transmissa, *die 4 Februarii 1895,* sequens exposuit postulatum :

« In mea relatione, anno 1891, mense Ianuario exhibita, expostulaveram :

« An posset conservari consuetudo quae in Cathedrali S. Laurentii Lugani invaluerat, ut Missa Conventualis, solis diebus festis de praecepto, etiam suppressis, caneretur; et reliquis diebus legeretur, dum in choro parvae horae recitantur. Quatenus consuetudo non sufficeret, rogabam ut speciale indultum ad hoc concederetur; quia canonici pauci sunt, et quidam ex iis vel in Seminario Lectores, vel in Curia Episcopi officiales sunt; qui ideo nec bene nec sine gravi difficultate possunt iis muneribus obire, si diutius in choro tenerentur impediti. »

« II. An posset conservari consuetudo supradicti Capituli Cathedralis canendi diebus Sabbati, loco Missae officio diei respondentis, Missam Votivam B. Mariae V., ad quam Capitulum obligatur ex quodam Legato; aut Missam pro defunctis quoties aliqua ex causa canenda sit, ex. gr. ob funera aut anniversaria, ita ut Missa Conventualis Officio diei respondens ab alio Canonico, qua libuerit hora, absente Capitulo, celebretur. »

« III. An tolerandum esset quod toto tempore hiemali cum horae canonicae recitentur in Sacristia interiori, Missa conventualis celebretur in Ecclesia, hora libera, quin Canonici eam audiant. »

« Super his postulatis Sacra Congregatio die 9 Aprilis 1892 respondit:

« Ad 1^m Pro gratia, perdurantibus circumstantiis, dummodo tempore Missae conventualis non recitentur horae canonicae. »

Ad 2^m Negative. »

« Ad 3^m Tolerari non posse. »

« His responsis non obstantibus supradictum Capitulum a suis consuetudinibus abstinere non est arbitratus, his fretis rationibus, id est :

« *a)* quoad 1^m et 3^m Rescriptum favorabile pro gratia, accedente voto Episcopi concessis a Sacra nuntiatura habitum anno 1812. (N. B. Tunc Ecclesia S. Laurentii nondum Cathedralis erat) ;

<< *b)* quoad 2^m consuetudo ab immemorabili inducta ab Episcopis connuentibus pluries approbata; et praeterea ad Ecclesiam Cathedralem difficilis accessus ; itemque parvus canonicorum numerus, quorum plerique senio confecti, procul (quatuor exceptis) ab Ecclesia commorantes ; et plures curae animarum , et aut seminario , aut curiae episcopali, addicti ».

« Quare super his postulatis, pro gratia, preces in terminis prioris petitionis a me factae, renovat. »

Percontatus idem Ordinarius , ut documenta transferret a Capitulo invocata, legitimo modo recognita, remisit.

## Disceptatio Synoptica.

In novam huius quaestionis formam haec animadvertenda videntur. Quia EE. PP. priori dubio respondere placuit: *« Pro gratia, perdurantibus circumstantiis, dummodo tempore Missae conventualis non recitentur horae canonicae »* sequitur eosdem benigne admisisse, ut Missa conventualis *non caneretur,* nisi diebus festis de praecepto, etiam suppressis; noluisse vero ratum habere , ut missa conventualis , etsi *lecta,* celebraretur tempore recitationis horae canonicae. Ve-

rum quia in 4° Dubio quaerebatur : *An possit servari consuetudo, qua quum ex rubricis missalis secunda aut tertia Missa canenda esset, ipsa legatur qualibet hora, non adsistente Capitulo. Etiam quoad hoc quatenus consuetudo non sufficiat, rationibus, ut supra, allatis ad quaesitum n. 1, apostolicum indultum postulo* » respondere censuerunt « *Attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus pro gratia iuxta petita* » ; quare iuris rigorem benignitate temperantes indulgere arbitrati sunt, ut *secunda aut tertia missa* celebraretur , non adstante capitulo. Quod iure meritoque edictum perspicitur, si ex una parte attendatur perpetua et constans praxis S. O; SS. RR. quae centies expunxit et damnavit morem missam celebrandi conventualem, dum, recitantur horae canonicae, prouti apertissime declaravit *die 27 Septembris 1817,* nam interrogata « *Utrum tollerari possit consuetudo, ignoti initii, legendi Missam dum in choro dicitur hora prima* » respondit : « *Negative et serventur rubricae ».* Alia ex parte SS. Canonum rigor videtur circumscriptus ad unam tantum missam conventualem ; adeo ut si ex Rubricis secunda ac tertia missa praescribatur, huius applicatio libera est, non vero necessaria pro benefactoribus, uti praecipit Benedictus XIV in celebri Const. « *Cum semper oblatas* » - ibi - « *Ubi vero id usu receptum non invenitur liberam omnino secundae tertiaeque missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, Ecclesiae Benef actorum in genere non obliviscantur ».*

Ad 2um dubium vero, nempe an servari posset consuetudo canendi aliam Missam votivam B. Mariae Virginis aut Missam Defunctorum, loco Missae conventualis respondentis officio diei, quae antea celebratae ab alio canonico, capitulo non adstante, rescribendum censuerunt « *Negative ».*

Item 3° dubio ; nempe an tolerari posset, ut toto hiemali tempore Missa conventualis celebraretur, absente capitulo: Emis Patribus respondere visum est « *Tolerari non posse ».*

Ita respondentes EE. PP. pressius inhaeserunt vestigiis constan iis , legitimae interpretationis tum ss. Rubricarum, tum ss. Canonum. Nam cum primis S. C. Rituum renovando alias edita decreta, ex oraculo SSmi rubricas Missalis Romani servari in omnibus et per omnia praecepit, non obstante quocunque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit, ceu refert Fagnanus in cap. *Cum creatura De celeb. Missar. n. 29.* In specie vero in *Oseen. 26 Martii 1592 ad dub. 7 ; in Perusinae Aug. 1766 ; in Gadicen. 22 Ianuarii 1768* et *in Imolen. 7 Iulii 1759,* apud Gardellini SS. RR. C. rescripsit, Missam conventualem officio diei respondentem celebrandam esse, eamque non pro lubitu sed post *tertiam* vel aliam horam a rubricis praescriptam; consuetudine etiam immemorabili non obstante. Demum quod Missae conventuali adesse teneantur omnes capitulares, ea lege qua tenentur Divino Officio interesse ob generale residentiae munus nemo inficias iverit: siquidem Missa conventualis est praecipua Divinorum Officiorum pars, uti planum est ; et omnibus est in confesso, prouti etiam ex ratione historica inculcat Benedictus XIV in iam cit. Const. *Cum semper oblatas* § *14.*

Sed ex adverso EE. PP., capitulares rati sunt non adstringi praescriptionibus S. C. C. quia quod Episcopus postulaverat , partim iam ipsis concessum fuerat. Nimirum per Apostolicas facultates concessas a Sacra Nuntiatura Lucernae anno 1812, prouti in documentis referendis narratum fuit, Episcopus Capituli precibus annuerat, *primo* ut nempe Missa conventualis *caneretur* tantum diebus festis, etiam suppressis, reliquis vero diebus *legeretur* dum horae parvae recitarentur ; *secundo* ut tempore hiemali, canonicis Divinum officium in Sacrario recitantibus , Missa conventualis in Ecclesia celebraretur qualibet hora, capitularibus eamdem non audientibus. Non erit vero supervacaneum advertere, haec concessa fuisse Canonicis quando eorum Ecclesia nondum evecta fuerat ad dignitatem Ecclesiae Cathedralis, prouti notat Episcopus in supplici libello.

Nihilo secius in huiusmodi benigna concessione non comprehenditur postulatum, *2 Dubio* expressum; scilicet an possit servari consuetudo canendi, loco Missae conventualis, antea celebrandae, non adstante Capitulo, Missam votivam B. Mariae V. ; aut Missam Defunctorum. Quam consuetudinem immemorabilem, quamvis apprime Sacris Rubricis non uno nomine contrariam, tamen*precatur* Episcopus ut S. C. C. dignetur confirmare, ratamque habere quia est « ad Ecclesiam Cathedralem difficilis accessus, itemque parvus canonicorum numerus, quorum plerique senio confecti, procul, quatuor exceptis, ab Ecclesia commorantes ; et plures curae animarum et, aut Seminario aut curiae episcopali addicti ».

Quibus praemissis, quaesitum fuit quodnam dandum esset precibus responsum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 17 Augusti, censuit respondere : *Attentis peculiaribus circumstantiis, ad I, II, et III, pro gratia ad decemnium, si tandiu, facto verbo cum SSmo.*

# EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

## ORANEN. (1)

### PROPRIETATIS ET EXPULSIONIS

*Die 23 Augusti 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Exorta quaestione ex una parte inter presbyterum Iosephum Catà, qui ex Hispania in dioecesim Oranensem immigraverat, ubi Hospitium fundaverat pro pauperibus puellis ex parentibus hispanis, et cuius directio concredita fuerat sororibus Societatis S. Teresiae; et Curiam Oranensem, ex altera, circa proprietatem, administrationem et directionem praefati asyli, in generalibus comitiis Con-

(1) Speciem et discussionem huius causae in prima propositione vide in praecedenti vol. XXVI, 156.

gregationis Episc, et Regul. sub die 2 Iunii 1893, proposita fuere sequentia dubia :

I. *An et quomodo ad presbyterum Catà pertineat proprietas aut simplex administratio Asyli in casu?*

II. *An et quomodo sustineatur expulsio Sororum S. Teresiae ab Asylo; et an presbyter Catà easdem expeliendo incurrerit ecclesiasticas censuras in casu?*

III. *An idem ipse teneatur removere a directione Asyli* AFRICANISTAS, *sic nuncupatae?*

Quae dubia, sub eadem die, sic resoluta fuere:

Ad I. et II. *Negative in omnibus et amplius.*

Ad III. *Affirmative et amplius et ad mentem: mens est, quod Catà suspensus manet a divinis* 1. *Donec plene exequatur praesentem resolutionem;* 2. *donec veniam petat ab Episcopo et convenienter scandalum datum reparet;* 3. *donec sese committat Episcopo ut titulus civilis Asyli transferatur in alias personas, si et quatenus Episcopus opportunum censeat.*

Insuper hac decisione sacerdos Catà potius expostulavit beneficium novae audientiae ; sed postea mutato consilio censuit decisionem acceptare, et de hoc Episcopo Oranensi admonito , ab eo per literas petiit, ut sibi indicaret modum transferendi titulum civilem Asyli : insimul de hoc certiorata S. Congregatione ab ea petiit, ut inflicta suspensio relaxaretur.

Super hisce precibus rogatus Episcopus Oranensis respondit, praetensam submissionem factis non cohaerere; Africanistas sorores ab Instituto dimissas in dioecesi domum aperuisse cum scandalo fidelium, et quoad translationem tituli civilis Asyli eam acceptare non posse, tum quia sacerdos Catà renuit exhibere ipsius statum oeconomicum, tum quia praetendit ipsum Asylum debito gravari libell. 30,000.

Hisce tamen non obstantibus S. Congregatio die 1 Decembris 1893 sequens edidit rescriptum « *Episcopo cum facultatibus absolvendi Oratorem a suspensio?ie. Quo vero ad Africanistarum habitum et ad, debitum a sac. Catà noviter*

*exhibitum, Episcopus utatur iure suo* ». Renuente Episcopo hoc rescriptum exequi, et iterum iterumque instante sacerdote Catà etiam ope Hispaniae legati ad S. Sedem pro relaxatione suspensionis, asserente inter alia asylum controversum pertinere ad hispanam nationem, S. Congregatio ita duxit rescribendum « *Scribatur Episcopo, num opportunum et expediens sit translationem dominii aedificii a sac. Catà peragendam acceptam habere facta reservatione circa asserti debiti libell. 31 mili, legitimitatem, quae penes curiam ecclesiasticam iuris ordine servato probanda erit. Exquiratur tandem ipsius Episcopi sententia super petitione ab Hispaniae legato apud S. Sedem Enw Status Secretario porrecta, qua contendit aedificium, de quo sermo est ad Hispanos pertinere, licet collatitid pecunia extractum fuerit* ».

Episcopus in uteris responsivis diei 26 Februarii 1894 declarat se tantummodo recognoscere debita gravantia asylum ante sententiam S. Congregationis diei 2 Iunii 1893, quae, omnibus computatis, ascendere dicit ad libellas 4000 : respuit vero posteriora utpote sac. Catà imputanda : item mordicus obsistit novae discussioni circa legitimitatem debiti libell. 31 mill. qui esset attentatum contra relatam decisionem S. Congregationis, quae huiusmodi perfugio iterum ad trutinam revocari vellet : quoad vero pertinentiam asyli ad Hispanos, inter alia observat, hoc iam fundatum existere antequam largitiones hispanae essent collectae.

At ulterius reclamante sac. Catà pro rehabilitatione ad S. Missae celebrationem, tandem a S. Congregatione haec concessa fuit rescripto diei 24 Aprilis 1894, « *sed extra dioecesim Oranensem et cum reincidentia* ».

Interea sacerdos Catà edoctus de prolatis ab Episcopo in supra relatis Uteris exhibuit currentes rationes asyli cum nonnullis allegatis : ex hisce resultat Catà collegisse libellas 43409. 76 et expendisse libel. 64937. 76; unde debitum gravans institutum ascenderet ad libellas 21528 : ad hoc debitum expungendum mutua contraxisse cum sac. Vincentio Carrasco et cum quodam Francisco Guardiola.

E contra Episcopus exposita a sacerdote Catà traducit ceu falsa et fictitia, et hoc probat computis et rationibus ab ipso Catà an. 1891 oblatis, pro approbatione, Cardinali Archiepiscopo Toletano ex quibus apparet differentia tantummodo libel. 609. 76 : signanter vero respuit duo supra allegata mutua et praesertim illud Francisci Guardiola, quod cum contractum fuerit an. 1894 seu post sententiam S. Congregationis, nullius valoris esse putat : hinc concludit pro totali reiectione petitionis sacerdotis Catà.

Nihilominus cum huius Procurator acriter instaret pro causae revisione praevia in integrum restitutione, et cum aliunde Asylum gravi discrimini ob non solutas taxas et non satisfactos fructus creditoribus hypothecariis exponi posset, Moderatores S. Congregationis annuerunt pro causae repropositione sub formula dubiorum ut infra.

## Disceptatio synoptica

DEFENSIO SACERDOTIS CATÀ. Defensor primo recenset motiva extrinseca pro concedenda restitutione in integrum : et haec duo esse dicit, quorum primum est quod causa resoluta fuit unica decisione et quidem munita clausula *et amplius* rei iudicatae vim habente : cum itaque remedium ordinarium appellationis competere non possit, aequitas postulat ut id remedium extraordinarium restitutionis in integrum concedatur, quae appellationis locum teneat.

Secundum motivum extrinsecum desumit ex causae gravitate; in ea enim continentur altissimae iuris quaestiones puta, utrum praefatum Asylum sit laicale vel ecclesiasticum, utrum sit opus cultus vel simplex opus pium, utrum annuentia Ordinarii pro colligenda stipe ad aedificium eximendum canonicae aequivaleat erectioni, et aliae quas enunciat, quae multae in numero et in se graves, conveniens est ut duplici examini supponantur.

Transit deinde patronus ad motiva intrinseca. Sane, ait, negari non potest, et etiam ipse Ordinarius Oranensis ad-

mittit, quod sacerdoti Catà ius et titulus fundatoris pertineat; iam vero S. Congregatio ad relatum dubium: *An et quomodo ad presbyterum Catà pertineat proprietas aut simplex administratio asyli in casu?* Respondendo *negative in omnibus,* hunc titulum ei denegavit: siquidem sedulo distinguendum esse tradit ius reale dominii a iure proprietatis, quae sub se etiam ius auctoris comprehendit : proinde cum emanata decisio subvertat sacrorum canonum spiritum qui hunc titulum fundatoris reservatum volunt, *quia expedit excitare pios homines ad nova opera ad publicam utilitatem,* revocari debet : hic adnotat quod priores Defensores in prima causae discussione errarunt ponendo quaestionem dominii, quasi sac. Catà sibi vellet vindicare proprietatem Asyli: hoc non respondebat obiectivitati quaestionis, neque intentioni ipsius Catà, qui tantum sibi reservatum voluit ius fundatoris et auctoris.

Ulterius patronus instat, asylum in casu esse opus pium laicale, et probat 1. ex fine qui iuxta D. Thomam et Aristo telem entis naturam determinat. Unde scitum esse ait opera ecclesiastica nunoupari quae ad cultum religiosum vel ad bonum animarum diriguntur; laicalia vero quae ad alium scopum : at in themate finis asyli est alimentum subventio, et educatio pauperum puellarum : probat 2. ex mediis; institutum enim extructum fuit ex privatis laicalibus contributionibus, proinde sub hoc respectu nullimode ecclesiasticum dici potest : probat 3. tandem ex personis quae in instituto aluntur: hae enim sunt pauperes puellae et tamdiu inibi consistunt quoadusque collecta subsidia non deficiant; hinc Asylum destituitur illo charactere perpetuitatis, quae in fundationibus ecclesiasticis requiritur. Posito vero quod opus a sacerdote Catà fundatum sit laicale, eius fundatori absque iniustitia denegari non poterat administratio.

Quin aliquid obsit quod affert Episcopus Oranensis ad probandam eius ecclesiasticitatem, nempe licentia ab ipso impertita ponendi capsulam in Ecclesia pro eleemosynis favore Instituti extruendi, et facultas colligendi subsidia ad

eumdem finem etiam extra dioecesim : respondit enim patronus quod haec licentia spectari non potest ceu canonica erectio, sed potius ceu actus *politiae ecclesiasticae, et hoc iusta eco causa* (Fagnan. ad cap. 14 lib. 5 Decretalium de poenit. et remis.) *fuit constitutum, ut dignosceretur an esse?it tales quales afferunt; plerumque enim contigit ut assumpto falsae religionis habitu se fingant alios quam sint.* Cum itaque praefatum Asylum sit tantum opus pium laicale, Episcopo tantummodo visitatio competere potest, non vero ingerentia in eius administratione, quae omnino Asyli, fundatori est reservanda. Deinde, pergit defensor, ipsa Oranensi Curia fatente, in Gallia opera pia ecclesiastica destituuntur capacitate possidendi, neque ipsa Curia umquam intendit sibi addicere Asylum : ergo presbytero Catà ea lege oblationes sunt traditae, ut ipse ceu fundator personam iuridicam gerens, ante leges esset etiam Asyli proprietarius et administrator : et quod ita se gesserit independenter a Curia ecclesiastica Oranensi constare, ait, ex innumeris factis in ipsa extractione Asyli : regulae organicae a se concinnatae pro instituto approbatae sunt ab auctoritate civili et non ab ecclesiastica : sacerdos Catà Commissionibus Fabricae praefuit, ipse conduxit operarios, ipse contractum locationis cum Sororibus Teresianis inivit, uno verbo Asylum erectum et ordinatum fuit a sacerdote Catà absque interventu auctoritatis ecclesiasticae : unde Episcopus Oranensis in sua informatione concludebat *sibi naturale videri, ut sac. Catà inscriberetur titulus civilis proprietatis.* Si itaque Asylum est opus pium laicale, evidenter iniusta est S. Congregationis decisio, quae sacerdoti Catà denegat omne ius fundatoris super Asylo a se erecto, ordinato et administrato.

Postea patronus obiectionem Curiae Oranensis repellit, quae ita se habet: sacerdos Catà innixus apparenti titulo civili semper sibi vindicavit *ius dominicale super Asylo:* ergo nunc non licet materiam contentionis mutare, restringendo praetensionem ad ius fundatoribus concessum quin violetur quasi contractus iudiciarius ex litis contestatione exoriens :

huic obiectioni ita respondet defensor: vel quaestio spectetur ceu mere civilis, et tunc dubitari nequit quod sacerdoti Catà etiam dominium super Asylo competit; vel est quaestio conscientiae et fori ecclesiastici, et tunc indubie ei spectat ius reservatum omnibus fundatoribus piorum Operum: in utroque casu iniustitia editae resolutionis semper patet: denegat autem adesse violationem quasi contractus iudiciarii, quia litis contestatio non solum versata est super titulo civili dominii, sed etiam super titulo canonico fundationis et complectebatur utrumque ius proprietatis et administrationis et hinc etiam ius fundatoribus reservatum. Accedens defensor ad secundum dubium circa expulsionem Sororum S. Teresiae ab Asylo, sustinet decisionem S. Congregationis pariter iniustam esse: sane in ea resolutione edicitur sac. Catà censuras ecclesiasticas non incurrisse, et tamen negatur contradictorie legitimitas expulsionis: re quidem vera si sac. Catà traducendo Sorores S. Teresiae ad laicum tribunal, declaratus est non incidisse in ecclesiasticas censuras, quia privilegium fori ecclesiastici non viget in dioecesi Oranensi sicuti in Gallia, et quia sorores praefatae nullam institutionem canonicam habuerant in Asylo, ut iniuria praetendebat Curia Oranensis, sed erant mere stipendiatae seu locatrices operum, ex iisdem rationibus renuncian debebat legitima expulsio, cum ea iussa fuerit a competenti magistratu, cuius actus declarari nequeunt illegitimi absque ordinis publici turbatone.

Sed subdit Curia Oranensis: Sac. Catà, nixus titulo civili sorores expulit, quia Asylum usurpare volebat. Defensor ita hanc obiectionem diluit: sacerdos Catà utique allegavit titulum civilem, sed *non animo sibi habendi* institutum, *sed animo se defendendi:* Sorores Teresianae non amplius, parebant conditionibus ab initio impositis et ab ipsis acceptis: arbitrarie numerum sororum a 5 ad 12 auxerant puellas, non ex pauperibus, sed ex divitibus familiis recensebant: et vocem sac. Catà non amplius audiebant: hinc earum expulsio, omnibus mediis ad correctionem frustra adhibitis, necessaria

evaserat : ut hoc consequi valeret sac. Catà agere debuit uti dominus Asyli, seu allegare titulum civilem : sed hanc tituli allegationem quis asserere audit factam esse animo sibi habendi seu usurpandi institutum.

Tandem defensor, multis aliis refutatis a Curia Oranensi adductis, dicit nullo in pretio habendam esse acceptationem decisionis factam a sac. Catà : ea enim non fuit voluntaria seu *nullo iare cogente* facta, sed potius emissa sub metu suspensionis *a divinis* sibi inflictae, nisi illico et immediate decisioni S. Congregationis pareret : hinc est quod sac. Catà eodem tempore imploravit beneficium novae audientiae : quod evidenter demonstrat editae resolutioni non voluisse acquiescere.

DEFENSIO EPISCOPI ORANENSIS. EX adverso Episcopus observat in primis decisionem S. Congregationis diei 2 Iulii 1893 nedum in rem iudicatam transiisse, sed etiam ab ipso sac. Catà plene acceptatam fuisse, ut constat ex duabus uteris ipsius sac. Catà, quas adducit : unde petitio novae revisionis causae est potius medium excogitatum ad eludendam vim emanatae decisionis.

Idque eo magis urget quia motiva adducta nullo solido nituntur fundamento. Sane praetentio ex parte Defensoris sac. Catà, quod in altera causae discussione quaestio non posita fuerit in suis veris terminis et iuxta intentionem contendentes Catà, refutatur aperte a factis et verbis ipsius Catà : idque probat sese referens ad documenta allata iam in prima causae discussione ; ex quibus constat 1. intentionem sac. Catà revera fuisse habendi absolutum dominium super Asylum, quod uti suam proprietatem spectabat : 2. super hoc praetenso iure dominii praecipue cecidisse litis contestationem ; hinc defensores Catà, neque errasse, neque errare potuisse in quaestione stabilienda; hinc eam respondisse intentioni clientis.

Hoc praemisso, Episcopus respuit absolute quod defensor sac. Catà adducit in sua petitione pro obtinendo beneficio novae audientiae: falsum esse dicit quod sac. Catà invoca-

verit praetensum ius proprietatis non animo sibi dominium habendi super Asylo, sed potius tamquam facultatem ad removendas sorores S. Teresiae; siquidem sac. Catà omnem recursum fundabat in iure proprietatis, quod sibi vindicabat in Asylo : item negat quod quaestio administrationis moralis vel materialis Asyli quae iuxta contrarium Defensorem est vera et unica quaestio, non fuerit ventilata et resoluta a S. Congregatione: non obstante enim quod Episcopus titulum fundatoris sac. Catà recognoverit, ad quem hic in suis scriptis semper appellabat; tamen proposito dubio, *an sac. Catà pertineat proprietas vel simplex administratio super Asylo?* S. Cong. respondit *negative in omnibus:* tandem negat quod quaestio posita, prout vult contrarius defensor, absorbeat quaestionem redditionis rationis collectarum et erogatarum eleemosynarum : nam haec in suo robore semper permanet, quaecumque sit futura decisio principalis controversiae: sicuti etiam negat quod ab hac resolutione pendeat ruina vel vita neonati Instituti, uti pariter vellet dictus defensor, excepto casu addit Episcopus, quod sac. Catà non abutatur titulo civili, quo est investitus, ad pessumdandum institutum, quod nihilosecius dicit facto comprobari.

Huc re deducta, Episcopus monet S. Congregationem quod sac. Catà, ut ut reproponi causam obtinuerit, iam suo mandatario commisit quamprimum Asyli proprietatem alienare, et de hoc actum est cum quodam Finet qui promptus est ad Institutum acquirendum pretio libell. 45.000. Hoc quod unice pendet a libera sac. Catà voluntate, et non ab actibus iudiciariis ex parte agentis taxarum, vel creditorum hypothecariorum Asyli, subdit Episcopus, est novum argumentum malae fidei ipsius Catà, qui confisus titulo civili proprietatis, nihili ducit S. Congregationis resolutiones.

Hisce utrimque compendiario collectis ad proposita

## Dubia

I. *An sit locus restitutioni in integrum in casu.*

Et quatenus Affirmative.

IL *An et quomodo confirmanda vel revocanda sit decisio diei 2 Iunii 1893 in casu i*

RESOLUTIO. Sacra Congreg, re mature discussa sub die 23 Augusti 1895 rescripsit :

Ad I. *Negative.* Ad II. *Provisum in primo et ad mentem.*

Ex HIS COLLIGES: I. Licet in sede appellationis non sit prohibitum novas probationes afferre iuxta adagium : *Non deducta deducam, non probata probabo,* tamen non licet materiam contentionis mutare, quia esset violare quasi contractum ex litis contestatione exortum, qui partes ligare debet: unde merito S. Cong. non attendit quae Procurator sacerdotis Catà attulit circa erratam positionem quaestionis in altera causae propositione.

II. Non dari restitutionem in integrum adversus rem iudicatam 1. quando pars postulans eam iam accepto habuit; 2. quando pendente iudicio restitutionis in integrum pars instans committat attentatum contra impugnatam decisionem, quia cum hoc arguat malam fidem et spretum iudicis, praesumptio est quod neque novam decisionem sit executura.

III. Ad diiudicandum utrum aliquod opus pium sit laicale vel ecclesiasticum, inter alia esse inspicienda 1. finem ad quem est directum, 2. media quibus est fundatum, 3. personas quas attingit : quare ait Sebastianus Berardi, quod *Hospitalia suapte natura inter res ecclesiasticas minime recensentur.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Congregationis presbyterorum SS. Sacramenti.
Dubia quoad commemorationem SS. Sacramenti aliaque etc.

Rmus Procurator Generalis Congregationis SS. Sacramenti a Sacra Rituum Congregatione postulavit, ut sequentia Dubia declarare dignetur nimirum:

I. An in Ecclesia dicata SSmo Eucharistiae Sacramento, quando fit officium de feria, debeat in suffragiis fieri commemoratio de SSmo Sacramento, omissa commemoratione de Cruce, vel potius commemoratio de Cruce, omissa commemoratione de SSmo Eucharistiae Sacramento?

II. Sacra Rituum Congregatio, decreti 3 Aprilis 1884 benigne indulsit Congregationi SSmi Sacramenti, ut feria V quae prima quolibet mense occurrit, recoli valeat sub ritu duplici maiori Commemoratio solemnis de SSmae Eucharistiae Sacramento, dummodo in eam feriam non incidat festum aequalis vel potioris ritus seu dignitatis.

Quaeritur I°. An haec solemnis Commemoratio habeat praecedentiam super festum secundarium eiusdem ritus, sed non eiusdem dignitatis, cuiusmodi esset festum B. M. V. tam in occurrentia, quam in concurrentia.

2°. An eiusmodi solemnis commemorationis in concurrentia cum festo secundario eiusdem ritus et eiusdem dignitatis Vesperae esse debeant de SSmo Sacramento vel de sequenti?

III. An post expositionem privatam SSmi Sacramenti, scilicet, aperto ostiolo tabernaculi, dari possit Benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in pyxide recondito?

IV. Sacerdos celebrans coram SSmo Sacramento patenter exposito dum in Evangelio dicit « Et verbum caro factum est » genuflectit aliquantulum versus SSmum Sacramentum:

Quaeritur: An debeat versus idem venerabile Sacramentum inclinationem facere quotiescumque in lectione Evangelii pronuntiat nomen Iesu?

Et sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremonia-

rum Magistris, dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative acl primam partem; Negative ad secundam.*

Ad II. *Negative ad primam quaestionem. Quoad alteram, totum de Festo cum Commemoratione Officii votivi.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Affirmative.* Atque ita rescripsit.

Die 30 Novembris 1895.

G. CARD. ALOISI-MASELLA, 5. *R. C. Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. *R. C. Secretarius.*

NEAPOLITANA. Beatificationis et Canonizationis servi Dei Francisci a Neapoli sacerdotis professi Ordinis Minorum s. Francisci reformatorum.

Neapoli die x Septembris anno MDCCLXIII piis honestisque parentibus Iosepho Mangano et Maria di Bisogno ortus est Dei Famulus, cui in sacro fonte nomina Franciscus Maria imposita sunt. A teneris annis christiana institutione imbutus et sacro chrismate confirmatus suaves optimosque ostendebat mores. Adulescens orationi adsidue intentus Ecclesiam Trinitatis Maioris, quae prope domum erat, frequenter adibat ibique saepe sacramenta suscipiebat. Quum adhuc aetate esset sexdecim annorum, meliora charismata aemulatus et Ordinem Minorum S. Francisci Reformatorum ingressus, die xv Augusti anno MDCCLXXIX religiosum habitum induit. Tyrocinio rite peracto, ad solemnia vota nuncupanda, unanimi patrum suffragio, admissum et superiorum voluntati constanter obsequens, philosophicis theologicisque studiis operam dedit. A Rmo Praesule Spinola ad sacerdotium evectus est, et paulo post ad confessiones excipiendas in Neapolitana Archidioecesi approbatus. Interim in eodem Coenobio prius novitiis, deinde clericis uti magister praepositus regularem observantiam in se suisque discipulis adeo promovit,

ut sub eius disciplina plures religiosi sanctitate vitae ac virtutum profectu emicuerint. Neque alia vitae ratione usus est Dei Servus dum Vicarii conventus obivit officium, cui etiam accessit divini Verbi ad populum dispensatio, dominicalis puerorum institutio, assidua sacramentorum administratio. Verum anno aetatis suae sexagesimo sexto Franciscus apoplético morbo laborare coepit, qui ultra progrediens ferme per decennium eius corpus vexavit. Hunc statum patientissime tulit verus Christi discipulus, qui virtutem in infirmitate et in tribulatione magis perfici ac roborari optime noverat. Tandem senio ac morbo confectus die xxxi Decembris in Domino placidissime obdormivit; eiusque corpus suavem exhalans odorem, post triginta septem dies adhuc incorruptum repertum fuit ingeniique cleri et populi concursu, post decennium, a communi sepulcreto ad Ecclesiam coenobii translatum. Inde factum, ut super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum Servi Dei magis in dies clara in Neapolitana Ecclesiastica Curia Ordinaria Inquisitio ad iuris tramites peracta, et in Actis Sacrorum Rituum Congregationis exhibita fuerit. Quum vero Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, instante Riîio Postulatore huius Causae cum supplicibus litteris Emorum S. R. E. Cardinalium, atque plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, necnon Rmorum Capitulorum et Religiosorum Ordinum, benigne induxisset, ut Dubium de signanda Commissione Introductionis Causae Servi Dei proponi ac discuti valeret in Ordinariis S. Rituum Congregationis comitiis absque interventu et voto Consultorum ; id actum fuit quum in Coetu ad Vaticanum habito die XXVIII Iulii MDCCCLXXXVIII, tum in altero subsignata die coadunato, in quo iterum proposito dubio ab Emo et Rmo Dno Card. L. M. Parocchi Episcopo Albanensi et Causae Ponente, Emi et Rmi Patres, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative ; seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die x Decembris MDCCCXCV.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Servi Dei, die XII iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA S. *B. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

SUBLAQUEN. Beatificationis et Canonizationis servi Dei Fr. Mariani ab Arce Casali laici professi Ordinis Minorum s. Francisci de observantia in recessu prope Civitellam.

In Sacro S. Francisci Recessu prope Civitellam plures religiosi sanctimonia vitae inclaruerunt, inter quos, haud dubie, recensendus est Servus Dei Fr. Marianus ab Arce Casali, qui humili ianitoris officio fungens longaevam sanctamque vitam egit. In oppido Aprutino, Arce Casali, dioeceseos Sulmonensis, in lucem editus die xv Ianuarii anno MDCCLXXVIII, puer a parentibus pietatem hausit, paupertate comite, quae, Deo omnia mirabiliter disponente, in corde Mariani iucundum hospitium pau latim sibi parabat. Adulescens gregibus pascendis addictus mundam eiusque illecebras spernere ac solitariae vitae delicias praegustare suevit. Divinae voluntati obtemperans, quae eius menti illuxit atque animum infiamma vit, habitum S. Francisci in Aprutina S. Bernardini Provincia postulavit atque obtinuit, et, tyrocinio expleto, ineffabili gestiens laetitia die III Septembris anno MDCCCIII solemnia vota nuncupavit. Putans Dei Famulus se apud Civitellanum Recessum maiores in Seraphica Schola progressus facturum, illuc contendere studuit, ac prius veluti hospes, dein ut filius in Provinciam Romanam cooptatus, per totam vitam sacrum illum conventum incoluit. Ibidem per varia

fratris operarii officia, mendicantis, coqui, hortulani et fabri lignarii probatus, tandem ianitoris munus, quinquaginta fere annos,, vigilanter exercuit, Deo et hominibus dilectus. Namque simul rudes puerosque doctrina fidei et morum imbuere, ante SS. Eucharistiam diu orare, et sacris adstare aut inservire sollicitus fuit: quod potissimum accidit quum ob devexam aetatem adiutorem in officio habuit. Tandem Frater Marianus annis mentisque plenus, lethali morbo correptus, sacramentisque accedentium munitus e terrena peregrinatione ad caelestem patriam evolavit, postremo die mensis Marialis anno MDCCCLXVI, dum Festum ageretur SSmi Corporis Christi, quod Famulo Dei viaticum fuerat ac pignus aeternae beatitatis. Interim mirabilia quae tunc operatus est Deus et fama sanctitatis vitae Servi sui, oppidanos et peregrinos ad Coenobium et Ecclesiam S. Francisci illico attraxerunt turmatim confluentes, ut eius exuvias in aedicula B. Thomae a Cora recónditas venerarentur opemque potentem apud divinam Clementiam implorarent. Quum vero super fama sanctitatis vitae et virtutum, prodigiosis quoque signis, ut fertur, aucta, in Ecclesiastica Curia Sublaquensi Ordinaria Inquisitio rite instituta et ad S. Rituum Congregationem delata fuerit, instante Rmo Postulatore huius Causae cum supplicibus litteris Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium et plurium insimul Reverendissimorum Antistitum, necnon amplissimorum virorum utriusque cleri, SSmus Dominus Noster Leo XIII benigne indulsit, ut Dubium de signanda Commissione Introductionis Causae huius Servi Dei in Ordinariis S. Rituum Congregationis Comitiis proponi ac discuti posset absque iuterventu et voto Consultorum. Quapropter Emus et Revmus Dominus Card. Aloisius Macchi in Ordinario Coetu, subsignata die, ad Vaticanum habito enuntiatum Dubium proposuit, et Emi et Rmi Patres, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, respondendum censuerunt: *Affirmative* seu signandam esse Commissionem, si SSmo placuerit. Die x Decembris MDCCCXCV.

Super quibus omnibus facta Sanctissimo Dno Nostro Leoni

Papae XIII per infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam Jhabuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae prefati Servi Dei Fr. Mariani ab Arce Casali, die XII iisdem mense et anno,

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, *S. C. R. Praefectus.*

L. % S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. C. *R. Secretarius.*

# EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

Domino Cardinali Alexandro Tascherau Archiepiscopo Quebecensi, quoad scholas neutras.

Eminentissime et Reverendissime Domine.

Sacra haec Congregatio, Fidei Propagandae compertum habet quam graves catholicis in Manitoba leges quaedam acciderint circa scholarum regimen ab illius Provinciae Gubernio recens conscitae. Quod quidem eo magis dolendum evenit, quod rerum conditioni in ea regione favore Catholicorum ex solemnibus pactionibus iampridem constabilitae refragetur, florentesque ibidem Catholicae scholae in discrimen adducantur. Merito proinde ad tam grave periculum propulsandum eorum Catholicorum patrocinium penes Foederale Gubernium universi Canadenses Antistites nobilissimis datis uteris susceperunt. Nec violatis Catholicorum iuribus atque Episcoporum conatui Foederalis Gubernii voluntas defuit vel auctoritas. Verum quominus res e sententia succederet, haud levia interiecta obstacula hactenus prohibuere. Nunc autem quum ex Regii Consilii privati in Anglia data nuper sententia Foederale Gubernium ad hoc gravissimum negotium pertractandum certa auctoritate muniatur spei locus est, ut res eo tandem evadat, quo firmissima

iura, religionis bonum atque ipsius reipublicae emolumentum postulant. Capessenda tamen alacriter opportunitas, nec eorum Catholicorum tutela deserenda. Quapropter sacrum hoc Consilium, in re tanti momenti, cohibere vocem non potest, qui erecta iam in id catholicorum ac praesertim Episcoporum Canadensium studia confirmet magisque accendat; ac dum meritis hònestat laudibus sedulam in huiusmodi causam iam collatam operam, simul animum addit ut pro viribus incoeptum nobilissimum prosequentes, ad felicem exitum perducere adnitantur.

Falso quippe quorundam mentibus ea opinio incessit, nihil periculi in scholis quas neutras vocant adesse, easque sine discrimine a Catholicis pueris posse frequentari. Etenim aliis omissis eae quae neutrae scholae dicuntur, eo ipso quod ex ambitu suo exclusam una cum aliis veram etiam religionem faciant, gravem huic iniuriam inferunt, quum ab illo principe loco deturbatur, quem quum in omni humanae vitae consuetudine, tum maxime in iuventutis educatione habere debet. Nec est asserere privata parentum cura huic defectui posse sufficienter suppleri. Id scilicet remedium mali esse tantum ex parte poterit sed educationis illius sine Deo in scholis traditae vitium pessimum non excusat. Cui et illud addatur, religionis dignitatem in puerorum existimatione imminui oportere, si illa veluti publico honore carentem intra domesticos parietes relegatami viderint. Quid vero si parentes desidia aut occupationibus impediti, remissius, ut fieri solet, agant; neque extra disciplinam a liberis in scholis habitam, eorum religiosam institutionem, sive per se, sive per alios satis curent?

Quamobrem nihil ferme ad fidem praeservandam in populis consultius fieri potest, hoc praesertim tempore quum eam tot errorum procella impetitam videamus, quam ope Catholicarum scholarum religionem ac pietatem in teneris puerorum animis inserere, excolere et munire, ita ut una cum litterarum rudimentis ac liberalioribus disciplinis christianae vitae instituta alte recipiant, firmaque in reliquum vitae cursum retineant. In

id operis qui studia viresque contulerit, is optime meritus de religione iure habeatur.

Porro firmissima haec principia, quibus Canadenses Episcopi tanta constantia iugiter insistere, Sacrum hoc Consilium nunc permovent, ut noto ipsorum zelo vehementer commendet Catholicorum provinciae Manitobae iurium circa religiosam liberorum educationem, defensionem, ut haec, prouti spem facit iustitia causae, vindicentur, ac gravis ab Ecclesia avertatur iniuria.

Interim manus tuas humillime deosculor

Eminentiae Tuae humillimus addictissimus servus

CARD. M. LEDOCHOWSKI, *Praefectus*

A. ARCHIEP. LARISSEN. *Secretarius.*

# EX 8. CONGR. R. ET U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad operationes chirurgicas, non directe tendentes ad occisionem foetus in sinu materno, sed ut vivus edatur, quamvis proxime moriturus.

Beatissime Pater

Stephanus Maria Alphonsus Sounois, Archiepiscopus Cameracensis, ad pedes Sanctitatis Tuae devotissime provolutus, quae sequuntur humiliter exponit:

Titius medicus, cum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est, foetus in utero praesentia. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu foetus electionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque imme-

diate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad luQem ederetur, quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset

Iamvero lectis quae die 19 Augusti 1888 Sancta Sedes ad Cameracenses Archiepiscopos rescripsit: *tuto doceri non posse* licitam esse quancumque operationem directe occisivam foetus, etiam si hoc necessarium foret ad matrem salvandam: dubius haeret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum, quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut praegnantes graviter aegrotantes salvaret.

Quare, ut conscientiae suae consulat supplex Titius petit: Utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit.

Feria IV die 24 Iulii 1895.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, proposita suprascripta instantia, Emi ac Rmi Domini Cardinales in rebus Fidei et morum Inquisitores generales, praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt: *Negative*, iuxta alias decreta, diei scilicet 28 Maii 1884 et 19 Augusti 1888 (1).

Sequenti vero feria V die 25 Iulii, in Audientia R. P. D. Adsessori impertita, Sanctissimus Dnus noster relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit.

L. * S.

Ios. MANCINI Can. MAGNONI

*S. Rom. et Univ. Inquisitionis Notarius.*

(1) Recole Vol. XVI, 556 et Vol. XXII, 748.

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Sac. Lambertum Eygenraam, moderatorem Ephemeridis - De Tijd • eiusque socios Scriptores.

Egregium sane id est atque bonorum comprobatione dignum, quod anno iam exeunte quinquagesimo ex quo istius Ephemeridis initia sunt posita, hanc vos memoriam habere et celebrare faustam velitis. Nuncius rei accidit Nobis iucundus. Novimus enim quae proposita, inde a primordiis, scriptores eius tenuerint et quas ediderint multis modis utilitates. In observantia nimirum ac disciplina Ecclesiae matris omni fide constantes, sic rationes dignitatemque rei catholicae assidue speraverunt, ut ea simul studiose curarint quaecumque ad rei civilis vel honestatem vel prosperitatem conducerent. Ipsorumque praeclara est laus, tum de Hierarchia instauranda, gravissimo quidem negotio, prudenter feliciterque contendisse, tum pro veritate institutisque catholicis adversus multiplicem errorem saeculi magno opere propugnasse. — Haec autem quae dicimus, superiora praesertim tempora respicientes, volumus eadem ad vos pari iure conversa, dilecti filii, qui priorum vestigiis religiose ingressi, eadem atque illi studia animo erecto profitemini aemulàque actione iamdiu probatis. Et quoniam vobis est optatissimum, expectationi Nostrae cumulatiore in dies fructu respondere, hoc ipsum minime profecto defuerit, si vos causa religionis, quae boni communis eadem est causa, defensores habere pergat non modo ardore animi strenuos, sed etiam iis praesidiis maxime confidentes quae divina Evangelii praescripta atque huiusce Apostolicae Sedis documenta peropportune suppeditant.— In quo facile quidem videtis, res ut sunt apud vos, muneris vestri officium non ultimum esse, omni occasione diligenter uti qua liceat firmamentum admovere lumenque afferre animis de religione sollicitis. Hinc spem bonam Nosmetipsi alimus, vestram iudicii operaeque sollertiam haud minimum habere virtutis posse ad Nostra quoque provehenda consilia; qua videlicet parte nunc impensius nitimur reconciliationem fovere in christianis gentibus quae unitatis catholicae sunt expertes. Hoc autem doctrinae caput, de unitate fidei et communionis quam in Ecclesia inesse sua Christus omnino constituit, satis crebram et convenientem tractationem, sive ad tuendum

sive ad illustrandum, exposcit. Quippe hoc est quod variis ar-
tibus antiquus humani generis hostis impugnare acrius con-
suevit, nefarie fidens se, sectatorum Christi discissis animis,
Christum ipsum eiusque redemptionis opus usquequaque ever-
surum: nullo enim pacto neque in se neque in mystico suo
corpore *divisus est Christus.* — Ita vos similesque homines ca-
tholicos, qui scriptis vel quotidie vel ex intervallo ©mittendis
dant operam, coeptis velle Nostris maiorem in modum obse-
cundare pro certo habemus. Quo rectius id vero utiliusque
eveniat, studete naviter vos aeque et illi, vehementer hortamur,
cum doctrinae sincerae solidaeque instructu copiam coniungere
prudentiae, aequitatis, concordiae; quarum munere laudum, et
omnia devitentur quae offensiones in nostris contentionesque
serere possint, et multo augeantur eorumdem vires ac decus,
cum alienis agentium. Hoc amplius, talium scriptorum prorsus
esse debet, sacrorum Antistitum vereri maxime auctoritatem,
persequi ductum, desideriis ipsis concedere; id quod adhuc
vos praestitisse, dilecti filii, iure gratulamur, perindeque agno-
scimus quasi argumentum uberioris gratiae quae laboribus
vestris sit apud Deum itemque apud homines in posterum ob-
ventura. — Nos interea, ut fateamur quod in animo est, erga
nationem vestram, generosam ingenio gestisque rebus nobilem,
voluntate admodum propensa movemur, nec unquam de ipsa
nisi magno cum desiderio recordamur. Memoria nempe subit
quum eam Willibrordus, apostolici exempli vir, a Sergio I de-
cessore Nostro Archiepiscopus Frisiorum consecratus sacroque
pallio insignitus, velut felicem agrum subegit Christo ac diu
multumque excoluit; quam eamdem non pauca saecula et in-
tegritate fidei et digna praestantia operum florentem, Ecclesia
catholica habuit carissimam. Qui deinceps successere casus!
Quae autem miserentis Dei in Neerlandiam benignitas! Est enim
pergratum videre in ea ut, acres post hiemes ac procellas, lux
veritatis et gratiae pristina sensim recepta sit, quotidieque, in
iuris potestatisque publicae aequitate, increscat. At vero quan-
tum in communibus votis supersit, probe intelligitis, dilecti filii,
ac sentitis ipsi, pro ea quae vos tenet urgetque patria et chri-
stiana caritas. Agite igitur, cursum auspiciis novis repetentes,
instate propositis, alacritatem intendite: ut optimos vestrae
operae fructus cives omnes largius percipiant, ii in primis qui
de fide dissentiunt. Quorum in causa hoc habetote tamquam

documentorum summam, studia vestra non tam esse oportere de adversariis coarguendis et revincendis, quam de fratribus, eisque non una spectatis laude, ad veritatem in vitandis, ad sinumque reducendis eiusdem matris. — Iam vobis, prout valde precamur, aspiret Deus et adsit continua ope; cuius accipite pignus in Apostolica benedictione quam singulis effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xv decembris anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## VASTEN.

### MATRIMONII

*Die 23 Iunii 1895.*

**Sese. 24 cap. 5 Be reform, matr.**

COMPENDIUM FACTI. Maria Florentia Ranieri loci *P agitela* Vastensis Dioecesis *22 annos* agens amore capta* est erga iuvenem Antonium Di Matteo, a quo vehementer redamata, mutuam, uti videtur, promissionem futuri matrimonii inter se spoponderunt.

At huiusmodi amorem puellae pater ita aversatus est, ut ipsa, iubente patre, sponsalia iniverit cum Florintho Cericola eiusdem dioeceseos iuvene *16 annorum*, quem pariter constat haec sponsalia voluntate parentum iniisse.

Peractis autem sponsalibus cum Florintho, amor inter Mariam et Antonium, adeo percrevit ut timeretur ne illa ab Antonio rapta esset ad matrimonium contrahendum. Quapropter parentes ad tale periculum praecavendum statuerunt, quod Maria et Florinthus matrimonium quantocius inirent coram Ecclesia, hac cum conditione, ut sponsi, celebrato coniugio religioso, manerent separati unusquisque apud propriam familiam, usque ad celebrationem matrimonii, uti

dicunt, civilis, quod tunc celebrari non poterat ex defectu aetatis Florinthi.

Itaque, praedictae conditioni annuente Curia, Florinthus Cericola et Maria Ranieri die *18 Februarii 1888* in Parochiali Ecclesia loci *P allieta* matrimoniali foedere rite iuncti sunt et extemplo ad respectivam domum paternam ultro se receperunt. Verum, Maria animo post matrimonium non immutata, die 22 Maii eiusdem anni, derelictis parentibus, fugam cum Antonio arripuit inhonestamque cum eo traducens vitam, mense Martio 1889 filiam peperit atque die 27 Decembris 1890 non abhorrait nefarium consortium civili vinculo arctius obstringere.

Tunc miserrimae suae conditioni solamen quaerens infelix Florinthus supplicem misit libellum ad Archiepiscopum Teatinum, Dioecesis Vastensis Administratorem, in quo enarrabat matrimonium nullum fuisse ob defectum consensus ex parte sponsae, ac certe inconsummatum mansisse, ideoque enixis precibus rogabat Praesulem, ut canonicum processum super utroque capite confici curaret. Archiepiscopus statim die 18 Decembris 1891 tribunal constituit, eique propria auctoritate demandavit, nedum ut validitatis causam cognosceret, sed etiam ut de asserta inconsummatione matrimonii inquisitionem faceret. Quare Iudex delegatus, absoluto processu, mense Iulio 1892 sententiam sequentibus verbis protulit: « . . . dicimus, pronunciamus et definitive sententiamus matrimonium initum.... validum, et ratum esse: idem vero matrimonium, validum et ratum tantum esse, non vero consummatum etc. »

Ab hac sententia sacramenti vindex appellavit pro tuenda Sacramentalis vinculi indissolubilitate, simulque appellarunt partes ad obtinendam nullitatis sententiam, quam Episcopalis Curia non admisit.

## Disceptatio synoptica

VOTUM THEOLOGI. Theologus, praemissa facti specie, contendit Curiam Episcopalem nullitatis sententiam iure

meritoque non admisisse ; reverentialis enim ille timor, quo mulier coacta asseritur ad contrahendum cum Florintho, et siquidem adfuit, non certe talis fuit, ut caderet in virum constantem, prout necessarium foret ad hoc, ut matrimonium nullum reddat. Notum enim est S. C. O. hanc in praxi et in foro externo sequi doctrinam, circa timorem reverentialem, ut patris indignationem, neque pro puella, ut malum grave retineat, nisi accedant vel iurgia, vel minae, vel aliqua verbera, vel saltem preces importunae et instantissimae: atqui nil horum, in casu de quo agitur, accidisse, Acta Processus demonstrant: ergo reverentialis timor, siquidem adfuit in casu, non certe talis fuit ut matrimonium nullum redderet.

Quod quidem confirmatur ex testium depositionibus, ex quibus resultat I° puellam, neque una vice, directe cum patre suo, de hoc matrimonio loquutam fuisse, sed tantum eum matre et cum atavo : 2° Patrem hoc unum dixisse, relate ad hoc matrimonium, scilicet: *videamus an fiet voluntas mea, vel voluntas filiae meae:* quae certe verba, per se, et nullis additis minis, moralem coactionem non important, neque gravem timorem inducunt: 3° Patrem, etsi severam, tamen ut violentum a nemine agnosci: 4° Filiam ipsam potuisse hoc malum antevertere, aperta voluntatis suae manifestatione, non coram matre et atavo, sed coram genitore ipso, qui tandem filiam suam voluntarie consensisse putabat. Timor igitur reverentialis in casu, saltem ut dubius habendus est, ideoque insufficiens ad matrimonium in foro externo irritandum.

At, etsi vere ratum, tamen matrimonium in casu revera consummatum non fuisse meridiana luce clarius constare asserit. Quod quidem paucis verbis demonstrandum assumit, hoc modo videlicet: Quod partes, coeteroquin religiosae, iuramenti asserunt sanctitate ; quod testes omni exceptione maiores iuramento deponunt ; quod adiuncta et circumstantiae confirmant; id pro moraliter certo tenendum esse omnis ratio suadet: atqui haec omnia initum matrimonium inter

Florinthum Cericola, et Mariam Florentiam Ranieri haud consummatum fuisse demonstrant: ergo talis matrimonii inconsummatio pro moraliter certa habenda erit.

Maior propositio demonstratione non indiget; quoties enim physica certitudo, quae ex corporali inspectione deducitur, haberi non potest, toties recurrendum esse ad certitudinem moralem, eamque sufficere, nedum ius et Doctores, sed ipsa S. C. O. praxis evidentissime demonstrat. Moralem autem certitudinem plenissimam enasci ex religiosarum partium iuramento, ex iuratis gravissimorum testium depositionibus , et ex specialibus circumstantiis et adiunctis, res est adeo clara, ut ipsa sui expositione comprobetur.

Remanet igitur demonstranda minor propositio, in qua factum asseritur non sequutae consummationis inter Florinthum et Mariam. Et I° quidem ad hoc evincendum, iuramentum adducit a partibus emissum, de quorum veracitate neque unus testis invenitur, qui plenissimum testimonium non dicat. Ipsos autem' testes religione et virtute eminere, ex ipsis eorum responsionibus evidentissime comprobatur. Legenti enim patebit, ipsos et rei gravitatem, et sanctitatem emissi iuramenti agnovisse, et cum omni sinceritate et simplicitate fuisse loquutos. Non magnae urbis cives, sed simplices oppidani et agricolae, quae coram Deo vera putabant, verbis protulerunt. Animi candor in ipso sermone conspicitur, et conscientiosa loquutio ex singulis verbis apparet. Cum igitur de veracitate partium plenissime constet, indubium argumentum exurgit de non sequuta consummatione, quam partes iuramento excluserunt.

Nec satis ; testes enim nedum de veracitate partium plenissimum testimonium dicunt; sed factum ipsum asserunt non sequutae consummationis, et quidem talibus verbis, ut dubitatio nulla exoriri possit. Neminem sane latet, factum non sequutae consummationis ineluctabili argumento evinci, quando demonstratur sponsos numquam inter se ita conversatus fuisse, ut solus cum sola manerent: atqui testes uno ore asserunt sponsos numquam inter se solum cum sola

mansisse: ergo eorum testimonium non peractam consummationem evidentissime demonstrat.

Forsan, urget, quaeri posset, undenam scirent testes sponsos umquam inter se, solum cum sola conversatus fuisse. At huic offensioni occurrit, perpendens partes et testes non in magna quadam civitate mansisse, sed in oppidulo, ubi sciunt omnes quae facit unusquisque. Plurium testium domus prope omnino erat domui mulieris, et omnes deponunt quod quoties Florinthus in mulieris domum se recipiebat, toties illam alloquebatur coram pluribus, et numquam factum est, ut ipsos solos domi parentes relinquerent. Hinc testes sunt non de auditu, sed de visu.

Insuper addendum censet, quod testes omnes tam pro viro, quam pro muliere, idem testificentur, iis non exclusis, qui matrimonium, aliquo modo, iniunxere, et quorum proinde intererat, ut matrimonium et validum et consummatum haberetur. Nec putandum quod potuerint casu parentes mulierem aliquando solam domi relinquere; cum enim timerent ne fugam cum Di Matteo arriperet, evincitur ex Actis quod numquam solam vel domi vel alibi reliquerunt. Quod si quis mirum putaret virum numquam coegisse mulierem ad rem maritalem habendam, et mulierem numquam petiisse a viro ut solus cum sola maneret; is sciat oportet I° matrimonium ea lege contractum fuisse, ut non consummaretur nisi post expletas civiles solemnitates; 2° hanc promissionem factam fuisse a personis religiosis et timoratis; 3° Florinthum iuvenem fuisse honestissimum, et maxime pavidum, ac insuper matrimonialium officiorum omnino ignarum; 4° demum mulierem omnino et semper aversatam fuisse Florinthum, cum amore capta esset erga Antonium Di Matteo, cum quo tandem et fugam arripuit, et civile connubium contraxit. Qua igitur ratione, quoque modo fieri poterat, ut vir peteret et redderet mulier ì At dato parumper, quod tamen negandum est, ipsos solos mansisse, quaerit, 'quid petiisset ignarus iuvenis? et quae mulier iam fugam cogi-

tabat cum Antonio Di Matteo, qua ratione putandum, quod arctius vinculum cum Florintho contrahere voluisset?

Et haec quidem in hypothesi quod soli mansissent. At hoc testes omnino excludunt. Et notandum, Sapientissimi Iudices, quod testes locuti sunt ex intima animi persuasione, scientes verum omnino esse quod ipsi asserebant. Et sane cum vir et mulier asseruissent apud Tribunal numquam mulierem ipsam domum adiisse Florinthi; hoc testes denegarunt asserentes revera mulierem, una vice, Florinthi domum petiisse , licet etiam pro hac vice excludant quod potuerint soli manere, imo fateantur revera solos non mansisse. Quomodo igitur dubitandum de facto, quod asserunt, non sequutae consummationis, quando etiam contra partes in aliquibus testimonium dicunt, et factorum veritatem ipsi manifestant ?

Haec adeo gravia sunt, ut iam inutile evadat de adiunctis et circumstantiis sermonem instituere. Quandoquidem ex ipsis testium depositionibus, adiunctorum et circumstantiarum multiplicitas elucescit. Inde enim scatet Mariam Florentiam Ranieri numquam vero amore prosequutam fuisse Florinthum Cericola: inde patet matrimonium, insciis partibus, statutum fuisse; inde apparet sponsalia et matrimonium numquam effecisse, ut mulier oblivisceretur Antonii Di Matteo, imo post sponsalia et post matrimonium cum Florintho, vehementiorem ignem accensum fuisse inter Antonium et mulierem. Hinc parentum timor et vigilantia ne grave aliquid contingeret: hinc aversio mulieris, quae Florinthum numquam ut proprium virum agnovit : hinc tandem arrepta fuga, et celebratum cum Antonio civile connubium.

Quae omnia si invicem conferantur, si comparentur cum iuramento partium et testium depositionibus, si animadvertatur et testes et partes, saltem Florinthum, personas esse maxime honestas et religiosas et quidem sine ulla exceptione; maxima dicenda erit, quae inde exurgit, de non consummato matrimonio, moralis certitudo. Qua stante, data animorum adversione, et admisso facto celebrati civilis connubii inter

Mariam Florentiam Ranieri et Antonium Di Matteo, nullus datur dubitandi locus, esse in casu consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

VOTUM CANONISTAE. Canonista animadvertit in primis, processum, licet in reliquis legalem formam praeseferre, duplici tamen vitio infectum esse. Matrimonii nullitas ex eo petebatur quod Maria Florentia a patre coacta sub influxu metus reverentialis Florintho nupserat. Porro tralatitii iuris est in huiusmodi casibus de matrimonii nullitate inquiri posse tantum ad petitionem partis metum passae, ideoque Florínthum actoris iuribus caruisse. Ad hoc evincendum, praetermissis Canonistarum auctoritatibus, affert quae prostant in Instructione S. C. S. O. diei 20 Iunii 1883 *tit. 6, art. 3,* quaeque ita leguntur: « Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur. » Alterum vero defectum in eo esse, quod processus relate ad inconsummationem matrimonii inconsulta S. Sede confectus fuit; quod tamen minime fieri potuisset. Rem hanc pariter vulgatam esse, neque longa demonstratione egere, eamque erui a responso a S. C. nuper dato in *Varsavien. 16 Iunii 1894 ad dub. 2,* quo sancitum fuit non licere Episcopis sine speciali pro unaquaque vice S. C. permissione recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam super matrimonio tantum rato Sanctissimi dispensationem. Ex quibus concludit Archiepiscopum Teatinum sive ob non ius actoris, sive ex defectu iurisdictionis non potuisse excipere petitionem Florinthi ac proinde super neutro capite valuisse causam cognoscere. Attamen cum mulier saltem implicite viri petitionem suam faciat, et plura benignae sanationis ex parte S. Officii praesertim quoad alterum vitium exempla suppetant, cumque processus in reliquis probari possit, putat indulgentiam adhibendam esse, ne, re in longius adhuc protracta, miserae conditioni, praecipue partis innocentis, tardius provideatur.

Post haec quaestionem aggrediens validitatis matrimonii, praemittit in themate agi de metu mere reverentiali, ac proinde inquirendum esse non modo an revera metus extiterit, sed etiam num metui accesserint minae aut saltem preces vel suasiones importunae ac saepius repetitae, quae reverentiae patri debitae coniunctae malum grave et ad consensum extorquendum sufficiens constituere valeant. Etenim, scribit Engel *Comment, in tit. de spons. et matr. § 5, n. 4,* « quod reverentia superiori debita non indistincte pro iniuncto metu allegari possit, alias nullus foret locus efficaci contractui... in praesentia parentum, si prae tensione reverentiae quaelibet cavillatio concederetur... Si autem praeter reverentiam alia etiam adminicula concurrant, ex quibus colligi possit aliquem revera fuisse invitum, ut periculosae minae, importunae persuasiones, et ut verbo dicam, si modesta contradictio nihil iuvisset, tunc metus reverentialis etiam pro iusto metu habendus erit. » Nec aliter Sánchez, qui docet *lib. 4, disp. 6^ n. 7* « ultima sententia, quam multo veriorem puto, docet solum metum reverentialem, nisi minae, aut verbera, aut alius metus gravis illi adiungatur non cadere in virum constantem, ac proinde nec annullare matrimonium. » Quibus cohaerent clarioris nominis Doctores, veluti Reiffenstuel *lib.* 3, *tit. 41, de reg. et trans. n. 165,* Schmalzgrueber *t. 4, p. 1, tit. 1, n. 432.* Clericatus *dec. 27, n. 34 De matr.* Pignatelli, et recentiores, uti videre est apud Santi *Prael. Iur. Can. IV, 1, n. 144* et Gasparri *De matr. vol. 2, cap. V, § 815,* qui praeterea docent hanc doctrinam in praxi admitti a S. Congregatione Concilii.

Iamvero in themate nedum ex testium depositionibus minime eruitur patrem saevitias, minas vel obiurgationes violentas adhibuisse ut Mariam Florentiam ad matrimonium cum Florintho contrahendum adigeret, sed haec tum ex contextu narrationis, tum ex indole patris nec acerba nec in iram praecipiti penitus excluduntur. Quinimo et suasiones seu preces importunas defuisse tenendum est, cum et de his pariter sileant testes, nec aliunde facile credi possit

illos praesertim qui eamdem incolebant domum huiusmodi importunitatem latuisse. Unde censet patrem quidem voluntatem suam quoad nuptias a filia ineundas, ut eiusdem bono prospiceret firmiter manifestasse, at, ipso fatente, limites suasionis parentibus licitae non excessisse.

His autem prae oculis habitis, haud putat magnam difficultatem desumi posse ex iis quae mater Mariae Florentiae et testis Aloisia Impicciatore coram iudice deposuerunt. Praeterquamquod enim ex plurium attestatione patet, quod sponsae mater contra votum ceterorum ex familia, matrimonium filiae cum Cericola aegre ferebat, et Aloisia Impicciatore ex auditu Berenicis sororis sponsae loquitur, animadvertendum est eorum verba gravitatem metus nullimode adstruere, sed ad summum aversionem quamdam Mariae Florentiae erga propositas nuptias evincere, quae a coacto consensu plurimum differt. Ceterum si haec et alia quae arguere fas esset ex amore quo Maria Florentia prosequebatur Antonium Di Matteo, cum quo civiliter deinde iuncta est, dubium adhuc suppeditare viderentur, perpendendum est matrimonium in possessione esse ac proinde illius validitatem tenendam esse, « nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint ». *(Instr. S. C. de Prop. art. III, n. 40).* Quibus praenotatis, opinatur primae quaestioni respondendum esse: *Non constare de nullitate matrimonii,* vel, si magis Iubet: *Providebitur in secundo.*

Gradum faciens ad alterum controversiae punctum, recolit quod alioquin vulgatum est in iure, pro dispensatione super rato obtinenda, duo esse demonstranda, videlicet matrimonium mansisse inconsummatum et causas adesse quae Supremum Principem ad gratiam concedendam movere valeant. Verum relate ad inconsummationem, cum in themate physica argumenta ex corporis mulieris exploratione deducta praesto esse nequeant, intrant ea quae docet Sánchez *De matr. lib. 2, disp. 23, n. 1* - ibi - « Si sponsa non erat virgo nec sponsi domum traducta fuit, adhibetur illorum iuramento fides, cum ex aspectu probatio haberi nequeat ».

Porro, iureiurando interposito, uterque coniux deposuit se numquam matrimonii consummationi operam dedisse, nec aliquando simul convenisse solum cum sola. Sane iudici sciscitanti : « utrum celebrato matrimonio, lo avesse consumato » vir respondit : « Negativamente, da quanto fin qui ho spiegato » et Maria Florentia idipsum confirmavit. Huiusmodi vero confessio a septima manu plene roboratur. Omnes enim inducti testes unanimiter religionem Florinthi et veritatem Mariae Florentiae perspectam habentes, renunciarunt ipsis tamquam mentiri nesciis fidem esse adiiciendam, retuleruntque ex propria scientia fere impossibilis res videri quod matrimoniali genio indulserint. Iamvero ait Cosci *De sep. tor. lib. 3, cap. 2, n. 136* « accedente in hac materia iuramento septimae manus consanguineorum aut vicinorum ex parte utriusque coniugis, qui si affirment se firmiter credere coniugum confessionem esse veridicam eosque sic delicatam habere conscientiam, ut sint incapaces proferre mendacium ac periurium, tamquam purgatores dicti alieni suspicionem collusionis removent ac falsitatis... eorum depositio *sufficit* pro adhibenda fide coniugibus ». Quam doctrinam in casibus etiam cohabitationis et condormitionis aliquando S. C. C. tenuisse perspectum est ex Regien. *27 Iunii 1891,* Mileten. *12 Septembris 1841*, Engolismen. *12 Dec. 1891,* aliisque.

Praeterea nonnulla adiuncta perpendenda esse subdit, quae moralem certitudinem inconsummationis matrimonii inducere videntur. Ac in primis attendi debet viri aetas eiusque indoles, quam testes concorditer timidam et pudicam asserunt, nec non mulieris amor erga Antonium Di Matteo, cum quo fugam arripere iam animo volutabat. Accedit quod domus quas sponsi incolebant ultra duorum *kilometr.* intervallo disiunctae erant, .et familia cuius pars erat mulier plus quam viginti capitibus constabat, ita ut nec frequenter simul convenire potuissent ac multo minus plurium personarum vigilantiam eludere. Haec ab omnibus testibus narrantur, atque nulla ratio apparet cur eorum dictis plena fides sit deneganda.

Neque officit quod coniuges coram iudice matrimonii inconsummationem affirmantes, addiderint etiam numquam Mariam Florentiam in domum viri pedem intulisse, cum e contra aliqui ex testibus fateantur illam bis, matre aliisque de familia comitantibus, in agros patris Florinthi ad opus faciendum venisse eiusque domum ut cibum sumeret statuta hora una cum ceteris operariis fuisse ingressam. Siquidem testes qui coniugum depositiones audientes huiusmodi circumstantias commemorarunt, quique proinde maiorem sibi vindicant fidem, insimul retulerunt Mariam Florentiam pluries ne ad agros viri excolendos una cum suis accederet, morbum simulasse ac nonnisi coactam bis accessisse, sed nusquam a magno comitatu fuisse divulsam, nec solam mansisse cum viro, adeo ut ita ipsimet qui aderant et numquam oculos ab ea obduxerant de illius erga virum repugnantia testimonium edant et quamlibet consummationis matrimonii suspicionem excludant. Insuper si exinde fides coniugum depositionibus habenda labefactari velit, haud rationes deesse putat quibus ab eis mendacii et periurii nota removeri possit. In primis enim perpendendum est eosdem coniuges de matrimonii inconsummatione fuisse interrogatos eorumque scopum fuisse illam asserere, ac proinde verba ab eis prolata, attento contextu, ita sumenda videntur ut intelligantur, numquam mulierem in domum sponsi venisse ad effectum cohabitandi vel maritalem actum explendi. Accedit quod cum mulier per breve temporis spatium ut cibum cum aliis sumeret domum viri ingressa fuerit, non incongrue teneri possit, vel id eorum memoria excidisse, vel eos voluisse affirmare numquam sponsam ad maritum invisendum eius domum ingressam fuisse. Ceterum cum aliunde satis superque ex superius allatis de eorum veracitate constet, priusquam gravissimum crimen illis appingamus, pronum videretur prolata verba ita intelligere ut eorum existimatio salva maneat.

In vado posita matrimonii inconsummatione, pauca de dispensationis causis edicens, meminit vulgatum esse apud

Doctores inter legitimas dispensandi causas accenseri dubium quoad matrimonii validitatem, Ursaya *tom. 3, p. 2, dis. 21* n. 104,* Cosci *De sep. tori lib. 3, cap. 2, n. 386,* periculum animae, Sánchez *lib. 12, disp. 16, n. 19,* Fagnanus in *cap. Verum n. 11 De conv. coniug.,* timorem scandali eiusque congruam reparationem, Sánchez ib., animorum aversionem, nullamque spem pacis restituendae, Cosci *loc. cit. lib. 3, cap. 2, n. 95,* ac tandem ex praxi S. C. C. actum civilem cum alio initum.

Porro nullam ex his causis in themate desiderari palam est. Namque licet matrimonii inter Florinthum et Mariam Florentiam contracti nullitas haud probata censenda sit, difiiteri nequit aliquod tamen vel leve dubium de ea superesse posse. Impossibilis autem omnino est sive ex mutua animorum aversione, sive ex pseudolegis civilis praescripto coniugum reconciliatio et cohabitatio. Quare ne scandalum diutius perseveret et uterque sponsus in supremum animae discrimen adducatur, tenet SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato benigne esse consulendum.

ANIMADVERSIONES S. VINCULI DEFENSORIS. Defensor praemonito quod Florinthus Cericola matrimoniale vinculum cum Florentia initum irritum proclamat, affirmans Florentiam a patre ad matrimonium adactam fuisse, atque opere imperfectum matrimonium, subdit de praetensa matrimonii nullitate supervacaneum esse verba facere. Vastensis enim iudex ac lectissimi consultores theologus et canonista eam et ipsi inter fabulas amandant.

Quo vero ad matrimonii inconsummationem a iudice vastensi atque a consultoribus communi calculo admissam, observat in probatis eam censeri non posse, cum inquisitio ad rem instituta nullitatis vitio, ceu docte demonstrat eximius consultor canonista, quaquaversus tabescat.

Quinimo etsi apostolicae ope sanationis monumentis memorata inquisitione collectis iuris firmitas adiici velit, iuridica tamen inconsummati matrimonii probatio praesto minime

est. Profecto, ait ipse, in themate demonstrandum venit Florinthum et Florentiam per tres sin minus menses, idest ab initis nuptiis ad arreptam a Florentia una cum Antonio Di Matteo fugam numquam fuisse *solum cum sola.*

Iam vero « Hanc probationem (ait Coscius *de separat, tor. lib. 1, cap. 16, n. 11 et seqq.)* facere possunt testes, qui deponant, quod coniuges, contracto matrimonio numquam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem, quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint, nec umquam sub eodem tecto cohabitaverint, seu etiam in cubiculum ingressi fuerint apertis ianuis ibique non nisi per momentum moram traxerint.

Adesdum: Florinthus profitetur: - Fatti gli sponsali io visitava massime ne' giorni festivi la famiglia della sposa composta di circa venticinque persone... *Dopo lo sposalizio io continuai a serbare nella casa della sposa le stesse relazioni dette di sopra dopo gli sponsali.* - Ast nec verisimile nec probatum est Florinthum et Florentiam frequentibus hisce salutationibus et visitationibus ne semel quidem absque testibus et arbitris constitisse.

Neque valde fìdendum est in coniugum iuramento, quippe quos mendacii arguunt locupletissimi testes. Porro Florinthus iurat: ego numquam loquutus sum cum sponsa, solus cum sola; et eo minus ipsa pedes in domum meam intulit. Iurat pariter Florentia: post matrimonii celebrationem numquam Florinthi domum ingressa sum.

Sed econtra Vincentius Cericola, Florinthi frater, testatur: Florentiam bis cum aliis de familia in ipsorum agros ad opus favendum venisse, ac in eorumdem domum pedem intulisse. Hoc ipsum testatur Oamillus Cericola, Florinthi pater. His gemina habent Lelius Ranieri, Palma Cericola et Aloisia Impicciatore.

Omnibus hisce relatis, proposita fuerunt enodanda

## Dubia

I. *An sententia Curiae Vasten, quoad validitatem matrimonii sit confirmanda vel infirmanda, in casu?*

Et quatenus confirmanda

II. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a ma~ trimonio rato et non consummato in casu?*

RESOLUTIO S. C. C. Concilii omnibus rite perpensis in plenariis comitiis diei 22 Iunii 1895 proposita dubia sequenti responso dimittere censuit : *Ad* I^um^ *Sententiam esse confirmandam. Ad* II^um^ *Praevia, quatenus opus sit, sanatione actorum, affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Reverentiam superiori debitam non indistincte pro iniuncto metu allegari posse, alias nullus foret locus efficaci contractui in praesentia parentum, si prae tensione reverentiae quaelibet concederetur cavillatio.

II. Timorem reverentialem tunc tantum cadere in virum constantem ac idcirco nullum reddere matrimonium, cum ex parte patris aut matris vel iurgia, vel minae, vel aliqua verbera, vel saltem preces importunae et instantissimae accedant.

III. In themate validum renunciatum fuisse matrimonum, quia ex actis non apparet patrem saevitias, minas vel obiurgationes violentas adhibuisse, ut Florentiam ad matrimonium cum Florintho contrahendum adigeret.

IV. Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur.

V. Non licere Episcopis sine speciali pro unaquaque vice S. C. permissione recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam super matrimonio tantum rato SSmi dispensationem.

VI. Quum iureiurando interposito uterque coniux deposuerit se numquam matrimonii consummationi operam dedisse, si sponsa non est virgo nec sponsi domum traducta

fuit, illorum iuramento fidem adhibendam esse, etsi ex aspectu probatio haberi nequeat.

VII. Idque eo vel magis si testes ex parte utriusque coniugis inducti, accedente iuramento affirment se firmiter credere cuniugum confessionem esse veridicam, atque sic delicatam habere conscientiam, ut sint incapaces proferre mendacium ac periurium.

VIII. Inter legitimas matrimonium ratum dispensandi causas accenseri dubium quoad eius validitatem: periculum animae: timorem scandali eiusque congruam reparationem: animorum aversionem, nullamque spem pacis restituendae, ac tandem ex praxi S. O. C. actum civilem cum alio initum.

## VIGILIEN.

### IURIUM BENEFICIALIUM

*Die 23 Iulii 1895.*

**Concil. Trid. Sess. 24, cap. 18 De reform.**

COMPENDIUM FACTI. Vacante iam a mense Februarii a. 1892 praebenda Theologali in Ecclesia cathedrali civitatis Vigiliensis, eiusdem dioecesis perpetuus Administrator Apostolicus ad formam Constit. *Pastoralis officii* Benedicti XIII concursum indixit pro die 19 Februarii 1894. Ad examen duo se obtulerunt candidati, scilicet Angelus Dente sacerdos alter, alter Franciscus Cocola sacerdos, modo in hac causa contendentes , quorum primus ipsa die examini destinata cum levi morbo correptus fuerit, ad diem 21 subsequentem dilatum fuit examen, quum ulteriorem dilationem concedere renuerit alius *concurrens;* qui imo postea visus est vehementer de vi huius morbi suspicari, prout constat ex non-» nullis uteris in actis congestis.

Reapse mane diei 21 Februarii sub hora nona ante meridiem candidati ad subeundum examen in condicto loco adstiterunt. Sed ex quatuor examinatoribus ab Ordinario

electis , tres tantum aderant ; nam quartus pridie nuncium miserat *thelegrammate* dato Francisco Cocola candidato, quod sub hora tantum undecima ante meridiem advenire!, prouti factum est. Quare alii examinatores certiores effecti, quartum Examinatorem postea super venturum, quaestiones enodandas examinandis proposuerunt, non secus ac suas obtulit novissimus quum hora iam enunciata advenerit. At malo fato Angelus Dente cum iam per sex fere horas operi incubuerit et duas ex quatuor propositis absolveret quaestiones, febre correptus ab incoepto desistere coactus est, atque aulam concursus derelinquere , quum interim alius candidatus susceptum experimentum ad finem perduxerit.

Examine ita absoluto, apud Ordinarium examinatoribus rite coadunatis pro expendendis concurrentium lucubrationibus, Angelo Dente ex scientia in examine comprobata 7 puncta attributa sunt; Francisco vero Cocola, ex eodem titulo 11 puncta. Dein, perpensis aliis qualitatibus moralibus, prouti fieri solet, Angelo Dente 6 puncta tribuere censuerunt examinatores, Franciscus Cocola 3 puncta. Quamobrem hisce punctis summatis, Angelus Dente 13 retulit, Franciscus Cocola 14.

Tali de candidatorum idoneitate habito specimine Ordinarius anceps haesit, tum ob circumstantias concursum concomitantes, tum ob ipsius experimenti exitum et aestimationem, dubitans *primo* an concursus valeret, *secundo* et data eius validitate cuinam ex candidatis praebenda adiudicanda esset. Dubitandi ratio, an scilicet valeret concursus, vehementer Apostolici Administratoris movebat animum, quia examinatores pro examinandis quaestionibus sibi quoddam iudicii proposuerunt criterium quod postea non observarunt.

Sed ad quaestionem dirimendam Archiepiscopus recursum habuit ad S. C. C. et sub die 17 Martii 1894 ita rescriptum fuit : *Quatenus constiterit neutrum ex concurrentibus fuisse approbatum ab examinatoribus, renovandum esse concursum: quatenus vero contrarium constiterit, Ordinarius utatur iure suo , seligendo inter approbatos quem magis in Domino expedire iudicaverit.*

Exinde Administrator Apostolicus, animo reputans utrumque concurrentem Examinatores approbasse, praebendam theologalem potius Angelo Dente conferendam esse iudicavit, eo quia qualitates morales essent praestantiores. Quare ad S. Datariam Apostolicam literas dedit pro expeditione literarum Apostolicarum: beneficium enim quippe mensibus papalibus vacaverat, erat Sanctae Sedi reservatum; quam circumstantiam S. C. C. Ordinarius reticuerat.

Rei notitiam cum habuerit Franciscus Cocola ad acta S. Datariae apposuit *Nihil transeat*, ratus iniuria alteri candidato posthabitum fuisse et exigens, ut ad tramites Constitutionis Benedictinae acta concursus ad S. Datariam transmitterentur.

Proinde exorta etiam est quaestio de competentia; an nempe S. Dataria vel potius haec S. Congr. competens esset: sed hac quaestione rite agitata in S. Datariae Tribunali apud Praefectum officii per Obitum, quum partes consenserint, ut causa apud S. C. C. agitaretur, Beatissimus Pater, quo sospite fruimur, votis annuens concessit ut ab eadem S. Congregatione lis definiretur.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO FRANCISCI COCOLA. Franciscus Cocola per interpositum Procuratorem haec advertit. Nempe in primis asserit, innumeras et inexplicabiles tricas et circumventiones habitas esse in enunciato concursu, quarum primum auctorem ait, fuisse Sacerdotem Tarlizzi, qui antea concurrit, quasi ad alios ferendos, dein postea petito concursui renunciando.

Item evincere contendit ex ratione agendi Curiae Tranensis et Vigiliensis. Siquidem Curiae istae pluries invitatae ab Apostolica Dataria, ut acta concursus ad Eam transmitterentur, vana et inutilis prorsus fuit postulatio.

Expediendas vero esse Literas Apostolicas favore sui clientis, postulat patronus, ob suffragiorum maioritatem quam retulit ab Examinatoribus.

Porro pergit Orator, receptum est apud omnes, praesertim apud viros prudentes, neminem posse edere iudicium super incognitis rebus. Etenim hic non est quaestio instituenda super coniecturis, sed super experimento, ex quo constare debet utriusque concurrentis scientia, qua quisque debet esse ornatus, ut officium praebendae adnexum valeat adimplere. Proinde quoad altera duo quaesita Examinatores non poterant puncta concedere adversario, qui propterea non. poterat adscribi inter approbatos: Archiepiscopus non poterat eum commendare Apostolicae Datariae quippe qui nullum concursum fecerit.

Praeterea advertit, adversarium nonnisi ex arte febrim et infirmitatem expiscasse, et confirmat testimonio medici.

Quod favore Francisci Cocola sint expediendae Literae Apostolicae, advertit procurator, Summus Pontifex Benedictus XIII docet. Etenim in sua Constitutione *Pastoralis officii* praescribit, ut praebenda theologalis conferri debeat. I° Doctori in S. Teologia; 2° magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renunciato; 3° ut quoties praebendae collatio ad S. Sedem spectabit, Episcopus ad R. Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem Praebendam illi assignare atque conferre possit, quem ceteris digniorem atque magis idoneum in Domino iudicaverit. En verba: « Quod si Episcopus, contra formam in praesenti constitutione praescriptam, conferre praesumpserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio, provisio ipso iure, nulla et irrita nulliusque prorsus roboris, vel momenti sit, ac esse debeat, eiusdemque praebendae dispositio statim devolvatur, et pertineat ad S. Sedem et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo Doctori in S. Theologia conferetur ». Item probare nititur patronus ex. praxi et observantia Apostolicae Datariae.

Nec obstat, ait orator, quominus Archiepiscopus recursum habuerit ad S. Congregationem Concilii atque haec Ei dederit facultatem eligendi Can. Theologum inter approbatos.

Demum notat patronus , suum clientem sane ornatum esse omnibus requisitis qualitatibus. Hinc enarrat, eumdem ab anno 1889 usque ad annum 1893 licet praebenda destitutum, in collegiata SS. Mathaei et Nicolai Vigiliensi fecisse satis religiose assumptis oneribus ; adeo ut, absens a sua civitate, turnum Missae conventualis uti canonicus praefatae collegiatae accurate adimplevit per alium, quin particeps esset adventitiis distributionibus. Praeterea observat, Clientem esse Doctorem in S. Theologia et in humanis Uteris, tenuisse semper illibatam vivendi rationem , esse confessarium utriusque sexus et absque ulla retributione operam assiduam dedisse Dei verbi praedicationi.

Cum autem munus professoris exercuerit in seminario Tusculano et collegio vulgo nuncupato *di Mondragone* in praesens munus praefatum exerceat, Emus Episcopus Tusculanus, eumdem verbis amplissimis commendat.

Archiepiscopus Rossanensis, pergit orator, eiusdem civitatis Vigilien, manifesta habet verba quibus suam aestimationem erga sac. Franciscum pandit. Idem Archiepiscopus ceu Rector seminarii Vigiliensis testimonio laudis illum commendat ob impartitam instructionem : idem facit Rector Collegii, vulgo *di Mondragone.*

DEFENSIO ANGELI DENTE. Sed ex adverso favore Angeli Dente haec adnotanda sunt. Ipse in acta produxit animadversiones in litteras Medici, pene deponentis de confìcto morbo quo fraude laborare ipse insinuaverit.

Deinde advertit Sacerdos Dente quod etsi gravis non ëxtiterit morbus, imo levissimus, tamen integrum erat Episcopo differre terminum concursus , quod probat per plures auctoritates desumptas a Lucio Ferrari *Prompta Bibliotheca etc. vol. 2, vocabulum concursus art. 2, num. 2, marginali 61-62.*

Ex officio autem animadversum fuit in favorem habiti concursus et factae electionis, quod in primis eiusdem acta uti valida censenda sint, quia etsi Angelus Dente non omnibus satisfecit quaestionibus, nihilominus in pretio haberi debent

responsiones datae, quae, iudicio examinatorum, tot puncta mereri possunt, ut concurrens inter approbatos recenseatur. Nam peius est nonnullas ex quaestionibus ita resolvere, ut erroribus scateant, quam minime easdem enodare: gravius est enim falsum vel erroneum pro vero asserere, quam candide fateri, se aliquam quaestionem, ex abrupto, quin consuli possint probati auctores, resolvere non valere. In casu vero non agitur de confessa ignorantia, sed de impedimento legitimo, *saltem probabili*, quominus omnes quaestiones resol verentur. Unde ex duabus resolutis quaestionibus Angelus Dente probari valuit.

In quod propositum, nempe quoad solemnitates et praescriptiones servandas in conferendis, per concursum, praebendis Theologali et Poenitentiaria, advertatur non easdem requiri ad substantiam quae *taxative* requiruntur pro concursibus ad praebendas parochiales, quamobrem benignitate iudicari debent concursus: ad praebendam Theologalem. Ita ex resolutionibus S. C. C. ratiocinatur cl. Pallottini *In Collect. V. 6, pag. 555, § 347.* « Quamvis enim Const. *Pastoralis* Bened. XIII collationem Canonicatus Theologalis et Poenitentialis exaequet collationi Parochialis Ecclesiae, nihil tamen statuit circa modum concursus: in *Alerien. Can. Poeniten.* die 19 Aprilis 1777 § 348. Unde quidquid sit de dispositione Epistolae Encyclicae Sacrae Congr. pro paroeciarum concursibus editae anno 1721, haec sicut et ceterae pro paroeciis dispositiones, locum minime sibi vindicant in concursu Praebendae Theologalis etc. ».

Demum quod Episcopus idoneiorem iudicaverit Angelum Dente prae Francisco Cocola, qui puncta *uno* maiora retulerat, hoc nullam reddere electionem non videtur. Nam *primo* Episcopus eam reddit rationem, nempe se potius Angelum elegisse, quia pro moralibus qualitatibus prae alio *duplo* maiora suffragia habuerat: pro scientia vero *relative;* seu quoad duo enodata quaesita, comparative ad alium, etiam maiora retulerat approbationis puncta.

Dubium vero non est quod Ordinarius non tenetur illi

ex concurrentibus conferre praebendam, quem examinatores magis idoneum declararunt, sed plane valeat illi praebendam conferre, quem magis idoneum inter approbatos ab examinatoribus in Domino iudicaverit. — Re quidem vera Const. Bened. XIII - *Pastoralis officii* - decernit praebendas esse conferendas « magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renunciato eo plane modo, quo parochiales ecclesiae conferuntur ». Quocirca non secus ac in concursu ad Ecclesias parochiales electio dignioris seu idoneioris inter approbatos pertinet ad Episcopum seu ad collatorem, non autem ad examinatores. Quam rationem ita explicat Cardin. Paulut. apud Riganti *De reg. 1, Cancell.* § *10 num. 31:* « Quia, qui non non habet facultatem indicendi concursum, non potuit eligere magis idoneum, cum haec electio sit pars integralis et veluti clausura totius concursus quae a Concil. Trident, tribuitur tantummodo illis qui concursum perficiendi ius habent ut alias respondit Sacr. Congreg. Conc. *die 1 Decembris 1608 ».*

Idem saepe confirmavit S. C. C. Ita in *Urbevetana concursus* 11 Iul. 1846 cum Episcopus Canonicum Theologum elegerit, qui minorem suffragiorum numerum retulerat, proposito Dubio : - *An et quomodo constet de irrationabili iudicio Episcopi circa electionem canonici Theologi in casu.* S. C. C. respondit: *Negative et amplius.* - Praecipue recensenda est responsio data in *Aversana Concursus Theologalis et poenitentiariae* die 21 Novemb. 1829; nam doctrinali proposito dubio : - *An Episcopus polleat iure eum eligendi ad praebendam theologalem et poenitentiariam , quem ipse inter approbatos in formali concursu digniorem iudicaverit, seu potius illum eligere teneatur, quem magis idoneum in eodem concursu examinatores renunciaverint in casu* - Sacra Cong. Conc. respondit : - *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam-.

Demum pro veritate et iustitia adnotari debet, quod electio ab Episcopo facta eo videtur laborare nullitatis defectu, quia Episcopus ipse elegerit, quum expresse cautum sit in

Const. Benedictina *Pastoralis officii,* in his beneficiis S. Sedi reservatis , ut electio non ab Episcopo fiat dignioris, sed a Summo Romano Pontefice ad quem proinde acta concursus transmitti debent ; en verba : « Quoties autem Praebendae collatio ad S. Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem, pro tempore existentem, Acta concursus transmittere teneatur , ut ipse vacantem praebendam illi assignare atque conferre possit, quem ceteris digniorem et magis idoneum in Domino iudicaverit ».

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

### Dubium

*An et cuius favore eoopediendae sint literae Apostolicae in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 20 Iulii 1895 censuit respondere : *Fiat novus concursus, servatis adamussim omnibus de iure servandis, et acta concursus transmittantur ad Datariam Apostolicam.*

## EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

### ROMANA

#### REDUCTIONIS PENSIONIS

*Die 22 Aprilis 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Rmum Capitulum Vaticanum in conventu diei 26 Augusti 1894 ad relationem unius ex Maioribus Camerariis super consectariis ex nova lege 22 Iulii 1894 vulgo *su iptrovvedimenti finanziari',* vi cuius incipiendo a mense Iulio eiusdem anni taxa nuncupata *di ricchezza mobile* evehebatur a 13,20 ad 20 in singulis centenis, decrevit ad tramites iuris communis et noti Decreti *Cum Nuperrimis* editi a S. Congr. Episcop. et Regul. sub die

28 Ian. 1871 ut in posterum quisque Praebendatus valeret retinere 7 pro singulis centenis in respectivis pensionibus in qualibet pensionis decurrentia, initium sumendo a mense Iulio a. supradicti, exceptione facta dumtaxat pro decurrentia mensis Septembris anni praefati in qua cum dicta taxa percutiat tantum trimestre retentio fieri debebat in 3,50 in singulis centenis. Ratio huius dispositionis erat quia ex augmento taxae in vim novae legis ad 20 % reditus Capitulares incipiendo a mense Iulii d. a. imminutionem patiebantur in libellis plusquam 38.000, ita ut reditus cuiuslibet Canonici decurtati manerent annuatim in libel. 700, Beneficiati in lib. 350 et Clerici Beneficiati in lib. 175.

Contra hoc decretum recursum habuerunt ad S. Cong. EE. et RR. primo Rmus Constantinus Contini Riccardi qui annua pensione libel. 500 fruitur super beneficio possesso a D. Albertazzi in Basilica Vaticana, et deinde Ioannis Magnanigo qui annuam pensionem libell. 200 habet super canonicatu in d. Basilica iam possesso a Rmo Carini et modo a Rmo Felice Cavagnis, petentes ut sibi integre dictae pensiones solvantur nulla ratione habita de statuta, ut supra, retentione.

Auditis super hisce recursibus quoad primum interesse habentibus, quoad secundum, Capitulo canonice coadunato et per secreta suffragia, Emus Archipresbyter praefatae Basilicae sub die 1 Octobris relati anni rescripsit indubie applicandum esse Decretum *Cum Nuperrimis* pro novo taxae augmento, pensionibus iam existentibus tempore superventae legis : declarat autem impositas post dictam legem vel in posterum imponendas pensiones immunes esse debere a dicta retentione augmenti taxae 7 °/₀.

Transmissis deinde deductionibus tum ex parte sac. Magnanigo, tum ex parte Rmi Capituli Vaticani causa iussa est proponi *in plenario Auditorio Emorum Patrum,* ut hinc edita decisio supponeretur approbationi SSmi Dñi Nostri seu ad referendum.

## Disceptatio Synoptica

RATIONES SAC. MAGNANIGO. Sacerdos Magnanigo praemittit quod taxae augmentum non est 7 °/₀ sed potius 6,80 °/₀ unde miratur quomodo Rmum Capitulum Vaticanum sibi vindicare velit 20 cent, in singulis centenis cum nulla ratio sibi subesse videatur ad huiusmodi augmentum etsi tenue comprobandum.

Hoc praemisso sustinet decretum *Cum Nuperrimis* applicandum esse illis Capitulis, quorum reditus *ob rerum vicissitudines non modicam passi fuerint diminutionem,* non vero Capitulis quorum reditus ex novis superventis circumstantiis aucti sunt ; hoc et spiritus ipsius Decreti et aequitas suggerit. Atqui, subdit sacerdos Magnanigo, in hoc praecise secundo casu versatur Capitulum Vaticanum : et probare enititur comparando reditus ante an. 1870 cum reditibus a Capitulo perceptis post conversionis legem ex qua comparatione, omnibus oneribus deductis, resultat singulos canonicos lucrari menstruas 2000 libellas'. Hinc concludit locum non esse in themate applicationi Decreti *Cum Nuperrimis* sed sibi pensionem integre esse solvendam : aut si S. Congregatio expediens non putet hanc quaestionem dirimere dictum statuendo principium, saltem rogat ut det rescriptum: *Dilata quaestione super merito, interim integrae solvantur Oratori ratae pensionimi decurrendae.*

RATIONES REVERENDISSIMI CAPITULI VATICANI. Rmi Capitulares Vaticani ex adverso contendunt in primis retentionem faciendam super pensionibus non debere desumi a differentia inter veterem et novam legem taxam augentem ad 6, 80°/₀: sed potius esse commensurandam damno quod Capitulum ex praecitata nova lege 22 Iulii 1894 persentit. Age vero, pergunt Capitulares, iuxta rationes exhibitas a Rmo Canco Camerario, damnum quod Administratio Capitularis patitur ex taxae augmento ascendit ad libellas 39.065,42 : proinde diminutio reditus canonicalis pro quolibet canonico est in Ii-

bellis 700,70 seu 7°/₀ super reditibus non depuratis libellarum 10,000 qui efformant canonicalem quotam.

Probata sic rationabilitate retentionis 7°/₀, Gapiturales attingendo meritum quaestionis dicunt quod erronee a parte adversa statuitur quod pro applicatione Decreti *Cum Nuperrimis, non modica diminutio redituum* scatere debet ex differentia redituum perceptorum ante an. 1870 cum reditibus posterioribus seu perceptis post dictum annum : hanc interpretationem omnino respuunt quia ex tenore ipsius decreti, ex auctoritate recentium canonistarum et etiam illorum qui partem in compilatione ipsius decreti habuerunt manifesto erumpit quod *non modica imminutio* desumi debeat ex comparatione reditus tempore quo canonicus obtinuit canonicatum eique imposita fuit pensio, cum reditu hodierno: atqui res facti est, pergunt Capitulares, quod comparatione instituta reditus praesumpti an. 1894 in libell. 10.000 cum reditu quem Canonicatus Vaticanus habebat an. 1889 quo tempore eum obtinuit Rmus Carini modo defunctus eique imposita fuit pensio Magnanigo, differentia intercedat libell. 1.485,91: quod autem haec differentia constituat *non modicam diminutionem* redituum probant decisiones S. Congregationis BB. et RR. 21 Decembris 1878 in qua declarata fuit *non modica* praecise pro Rmis Canonicis Vaticanis diminutio lib. 423,32, in an. 1871; libell. 437,26 in an. 1872; lib. 1.025,08 in an. 1873; et lib. 275.16 in an. 1874; hinc iuxta mediam' quadriennii *non modica* diminutio recognita fuit in lib. 540,20. Concludunt proinde Capitulares deductiones pensionarii Magnanigo nullo in pretio esse habendas, et iure merito locum esse applicationi Decreti *Cum Nuperrimis* pro retentione 7°/₀.

OBSERVATIONES EX OFFICIO. Rmus Advocatus Summista praemittit quod ad statuendum gradum diminutionis certae quantitatis necesse est prius determinare tempus a quo quantitativum diminutionis commensurari debeat, ut sic comparatione instituta inter quantitatem temporis praecedentis cum illa subsequentis dignosci possit differentia. Hinc ne-

cessitas videndi utrum reditus quos Decretum *Cum Nuperrimis* supponit amissos vel imminutos referri debeant ad reditus assignatos titulari, tempore quo obtinuit beneficium eique imposita fuit pensio, vel potius sint illi quos beneficium habebat ante novas vicissitudines politicas seu ante an. 1870 ad effectum decernendi, comparatis reditibus prioribus cum hodiernis, utrum realis et effectiva imminutio contigerit in sensu relati Decreti. Videtur, ait Rmus Summista, quod extraordinarium Decretum percusserit statum redituum qualis erat tempore quo titularis beneficium obtinuit eique pensio fuit imposita et hinc quod diminutio pensionis si locum habere debeat, desumenda sit ex differentia inter illos et hodiernos reditus.

Sane recolendum quod relatum Decretum fuit specialis provisio fundata in lege aequitatis : cum enim in vim novarum vicissitudinum multi beneficiarii in Italia suorum redituum imminutionem passi fuerint, aequum fuit, ut ab hoc damno aliquatenus allevarentur etiam concursu pensionariorum seu reductione proportionali eorum pensionis.

Iam vero pergit Summista quod haec imminutio redituum intelligenda sit de reditibus tempore collati beneficii et impositae pensionis primo eruitur ex duabus primis periodis ipsius Decreti. Enimvero in primo periodo edicitur quod cum reditus beneficiorum ob novas vicissitudines passi fuerint imminutionem, *Beneficiarii illos* (reditus) *haud amplius oneribus abs se ferendis pares esse existimarunt.* Ergo ante novas vicissitudines *reditus erant pares oneribus ferendis.* Sed qua de causa illi reditus capaces fuissent onera imposita supportandi inter quae pensiones, nisi quia reditus remansissent iidem ac quando illa onera imposita fuerunt ? Sequitur periodus Decreti *Illud vel maxime grave ipsis* (beneficiariis) *visum est quod, ad pensionum solutionem ab iis urgerentur, quorum favore in actu collationis legitimi sunt impositae aut reservatae.* Haec verba clare exprimunt in tantum beneficiariis visum esse grave cogi ad persolvendum hoc onus, in quantum reditus amplius non erant iidem

ac quando impositae legitime sunt pensiones : proinde ex supra relatis verbis clare videtur erui quod reditus, circa quorum imminutionem Decretum vult providere, sint reditus assignati beneficiario tempore collationis beneficii et impositionis pensionis.

Ulterius iuxta Rmum Summistam id eruitur ex communibus theoriis iuris canonici, sequendis in resolutione quaestionum circa reditus beneficiarios, quae theoriae nos docent, inspiciendum esse tempus quo concessio facta est. Sic *Tonanti de pens. eccl. cap. 58 n. 4, 5,* quaerens quo tempore spectari debent reditus beneficii resignati cum reservatione pensionis cum clausula redituum sufficientium, ad statuendum quod beneficiario salva remanet congrua, respondet quod est tempus obtentae gratiae. *Probatio debet percutere tempus rescripti* et statuens quasi generale principium ait : *generaliter constitutum est, valorem probandum esse habito respectu vacationis.* Exinde est quod in regula 55 Cancellariae Apostolicae indicitur *sub poena nullitatis,* ut in omnibus impetrationibus beneficiorum exprimatur verus annuus valor redituum et quantitativum beneficiorum iam obtentorum ab impetrante, ut Summus Pontifex cognoscere valeat quos reditus tribuere velit Titulari et quae onera pensionum imponere *Riganti Comment, in Reg. Cane. Apost. n. 45.* Unde in huiusmodi quaestionibus videtur quod statui possit tamquam legalis aphorismus quod tradit citatus auctor cum aliis doctoribus 1. c. n. 83 nempe *quod probatio valoris debet percutere tempus praecisum gratiae: quod tamen,* ut ait Cardin. De Luca De beneficiis disc. 90 n. 19, *moraliter* est intelligendum ut *scilicet non percutiat tempus remotum.* Quare concludit Summista, etiamsi in Decreto *Cum Nuperrimis* tempus non esset determinatum, a quo commensurari deberet quantitativum imminutionis redituum beneficii, ex supra citata doctrina hoc tempus esset illud profecto concessionis beneficii et impositionis pensionis, quia *casus omissus manet in iuris communis dispositione.*

Demum Summista contendit, hanc interpretationem etiam

fuisse datam ab S. Congr. unice in hac materia competenti. Sic in *Romana quoad reductionem vel suppressionem pensionum* 30 Maii 1873, in responsione ad tertium dubium, adducitur causalis proportionalis reductionis pensionum *ob imminutionem redituum beneficiorum, de qua in citato Decreto;* ita etiam in *Romana pensionis* sub die 20 Septembris et 20 Decembris 1878. Hinc mens legislatoris in citato Decreto haec fuit, nempe ut ad commune infortunium levandum, tum pensionarli, tum beneficiarii concurrerent : et hoc maxima aequitate nititur: si enim titularis in maiori parte gravamen persentit qui choro et aliis praebendae oneribus gravatur, aequum est ut etiam pensionarius, licet in minori parte, gravamen supportet, qui choro non adstringitur et pensione fruitur titulo lucrativo. *Pensionarli percipiunt fructus titulo lucrativo sine ullo labore et onere, quod est adnexum administrationi Episcopatus vel beneficii Piton. Discept, ecc. 56 n. 21.*

Hisce in iure praehabitis et Statutis, Summista advertit quod citatum Decretum est etiam applicabile Capitularibus Vaticanis, tum ex superius relatis decisionibus 20 Septembris et 20 Decembris 1878, respicientibus Capitulum Vaticanum, tum ex tenore ipsius Decreti *SS. Dominiis Noster, omnibus undequaque perpensis, hanc normam generalem statuendam ac decernendam esse diiudicavit.* Hinc, deducit Summista, non videtur posse dubitari quod si reditus assignati tempore collationis beneficii et impositionis pensionis notabilem passi sint imminutionem, locus esse debeat proportionali reductioni pensionum iuxta mentem pluries citati Decreti.

Idque fortius nunc videtur retinendum, eo quia id suadet etiam norma nunc adhibita a Summo Pontifice, qui in Vaticanis beneficiis conferendis prius spectat reditum beneficii et dein aequa proportione facta, partem congruam et sufficientem assignat titulari, alteram detrahit favore pensionarii. Haec detractio numquam in maxima parte effecta nisi quando pensio esset ad vitam pensionarii primitus erat in lib. 1290 praebendis canonicalibus, in libel. 645 pro beneficiatis, et

pro clericis beneficiatis in libell. 322,50. Sed nunc perpetuae, continuae et auctae fere in duplum sunt pensiones quae imponuntur : nempe pensiones gravantes canonicos evectae sunt ad libell. 2,500 et quae gravant Beneficiatus et Clericos-Beneficiatos attingunt respective libellas 1,500 et libell. 500.

Ex quo videtur posse colligi iuxta Rmum Summistam, quod ratio habenda sit diversae conditionis oeconomicae, in qua versantur antiqui possessores beneficiorum Basilicae Vaticanae, ab illa in qua sunt recentiores possessores beneficiorum investiti cum regula ut supra relata : et consequenter quod pro illis attento ex una parte augmento redituum, et ex alia tenuitate pensionimi impositarum, fieri non debeat locus applicationi Decreti *Cum Nuperrimis.*

Hisce relatis suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An et quomodo Pensionara obnoxii esse debeant retentioni 7 in singulis centenis ob augmentum taxae vulgo* ricchezza mobile *vi novae legis* su i provvedimenti finanziarii *diei 22 Iulii 1894 in casu i*

RESOLUTIO. Sacra Cong. Episc, et Reg. sequens edidit responsum: *Ex audientia SSmi, habita ab Emo et Revmo Praefecto die 22 Aprilis 1895, SSmus audita relatione omnibusque perpensis, decrevit ac statuit: pensiones iuxta normam ab eodem SSmo D. statutam, auctas ac perpetuitate praeditas, subesse ulteriori extorsioni sub titulo* — aumento di ricchezza mobile — *reliquas vero pensiones non subesse.*

## NOVARIEN, SEU IANUEN.

PENSIONIS

*Die 23 Augusti 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Ad preces Patrum Congregationis Somaschae Domus Paroecialis S. Mariae Magdalenae in civitate Ianuensi an. 1842 a Gubernio Pedemontano ipsorum favore decreta fuit pensio libellar. 1500 super reditibus Mensae Episcopalis Novariensis, firmata etiam Uteris Apostolicis Gregorii XVI cum clausula *donec suae dotationi* (conventus) *aliter provisum fuerit.* Haec pensio an. 1869 ad 500 libell, a S. Sede reducta semper persoluta fuit a Praedecessoribus Actualis Episcopi Novariensis. Verum hic suam sedem ingressus, antequam ad solutionem deveniret, satius duxit exquirere a Patribus praefatae domus statum oeconomicum eorum Conventus ad diiudicandum utrum conditio resolutiva adiecta in uteris Apostolicis esset impleta. Datum responsum, utpote genericum Episcopo Novariensi non arrisit, qui tamen ad iurgia vitanda pensionem libell. 500 pro an. 1894 persolvit. At hoc decurso, initio nempe currentis anni Episcopus oblato recursu a S. Sede provisionem vel potius moderationem pensionis expostulavit; et partibus hinc inde auditis quaestio pro solutione remissa fuit plenariae Congr. Episcop. et Regul.

### Disceptatio Synoptiea

IURA EPISCOPI NOVARIENSIS. Hic instat pro ulteriori pensionis reductione, primo quia reditus suae mensae magnam imminutionem passi sunt non solum a lege Conversionis Assis Ecclesiastici, sed etiam a lege abolitiva decimarum; ita ut mensae dotatio quae prius ascendebat ad libellas centum millia, nunc reducta sit ad libellas 20,000 : hinc deducta congrua Tridentina, applicando Decretum *Nuperrimis,* pensio moderanda esset ad sextam partem, nempe ad annuas libellas 250. Quod fortius secundo fieri oportere contendit,

eo quia allegata ex adverso paupertas Conventus destituitur fundamento. Sane notum est quod post legem suppressionis Corporationum religiosarum affirmatae sunt capsae Provinciales, ad quas affluunt legata vel alia capita relicta singulis domibus religiosis; et si hae publice et in individuo possidere nequeunt, possunt tamen ope capsae Provincialis : hinc ex facto quod domus Magdalenae haurit subsidia a Capsa Provinciali deducit, quod ipsius conditio oeconomica melior evaserit : aliunde si super exposita non admittantur, stante suppressione domorum religiosarum, sequeretur quod conditio apposita in uteris Apostolicis numquam adimpleri possit, et sic pensio quae de se est *temporanea* evaderet *perpetua.*

Tandem Episcopus concludit declarasse non abhorrere a transactione vel compositione pro relevanda mensa ab onere pensionis, quod iuxta ipsum fieri posset, si mensa una vice solveret 1000 libellas.

IURA RELIGIOSORUM CONGREGATIONIS SOMASCHAE. Religiosorum Procurator praemisso quod controversa pensio Conventui Magdalenae assignata fuit non in *augmentum,* sed ad *supplementum* dotationis ceu constat ex uteris Apostolicis, sustinet primo dicti Conventus paupertatem in dubium revocari non posse et probat ex facto quod subsidia recipit ex Capsa provinciali : quod autem haec sit conflata ex legatis vel aliis capitibus relictis singulis domibus omnino respuit : hinc ex haustis subsidiis nihil deducere posse Episcopum in sui favorem ; secus sequeretur quod provisio, de qua loquuntur relatae literae Apostolicae, fieri deberet cum parsimoniis aliarum domorum Provinciae Ianuensis, quod profecto repugnat.

Sed urget ulterius Procurator. Quando imposita pensio reducta fuit ad libellas 500, hoc latuit Gubernium et Regium Oeconomatum, qui proinde integram pensionem adhuc existentem putantes in liquidanda quota concursus, eam detrahunt a reditu imponibili. At posito quod Gubernio constaret quod pensio vel amplius non extet, vel ad minimum

sit reducta, quota concursus augeretur ; et cum reditus mensae Novariensis censeantur in libellis 30.000 duae tertiae partes reditus respondentis suppressae pensioni , devolverentur iuxta legem ad Gubernium ; et hinc mensa Episcopalis loco solvendi 500 libellas Conventui Magdalenae, cogeretur ad annuas 1.000 libellas pendendas Gubernio : quare iuxta Procuratorem, implorata ulterior reductio est potius in damnum ipsius Mensae Novariensis : nihilominus, ipse concludit, Religiosi non refugiunt ab ineunda amicabili compositione intra aequi et iusti limites.

OBSERVATIONES EX OFFICIO. Rmus Summista in linea iuris putat, quaestionem ad duas praecipue indagines reduci posse, nempe primam circa diminutionem redituum quae passa fuit mensa Episcopalis Novariensis ab an. 1842 usque in praesens; alteram circa vim et adimplementum clausulae. *Donec aliter fuerit provisum.*

Quoad primum observat in actis deficere elementa necessaria ad statuendum quod quotae diminutione reditus mensae Episcopalis Novariensis obnoxii fuerint; dum enim Episcopus tradit mensam a libell. 100.000 ad 20.000 descendisse, Procurator e contra censet hos reditus in praesentiarum ascendere ad libellas 30.000

2°. Quod est principium canonici iuris, quod *diminutio superveniens cedit damno titularis et non pensionarii, ubi salva remaneat congrua,* quae pro parochis est iuxta Concilium Tridentinum in 100 ducatis, et 1.000 pro Episcopis : quia ut ait Card. De Luca disp. 91 n. 4 de Pension., *cum titularis sit dominus fructuum, eius damno cedere debet illorum diminutio, non autem pensionarii, eodem modo quo e converso eius commodo cederet augmentum absque eo quod pensionarius de illo participationem aliquam pretendere posset, cum augmentum et diminutio sint sequela dominii.*

3°. Quod contra allatum principium non videtur invocari posse Decretum *Cum nuperrimis* diei 28 Ian. 1871 : primo quia hoc fuit remedium extraordinarium ad succurrendum beneficiatis a novis rerum vicissitudinibus damnum passis : se-

eundo quia ad tramites relati decreti pensio a libell. 1.500 ad 500 fuit reducta; hinc non videtur quod denuo debeat applicari ex facto superventae abolitionis decimarum, sed potius res diiudicari debeat ex altero iuris canonici allato principio.

Demum quoad alteram inquisitionem observat, extra controversiam esse, quod si probari posset Conventui Magdalenae alia capita vel reditus accessisse quae pensionem libell. 500 compensarent, praefatam cluusulam adimpletam fuisse et consequenter pensionem cessasse : verum utrum ex adductis hoc decerni posset, relinquit iudicio S. Congregationis. Hisce utrinque disputatis, nec non praehabitis observationibus ex officio, suppositum fuit enodandum sequens

## Dubium

*An et in qua summa servanda sit pensio gravans Mensam Episcopalem Novariensem favore PP. Congregationis Somaschae Domus- Magdalenae in civitate Ianuensi in casu?*

RESOLUTIO. Die 23 Augusti 1895. S. Cong. reformato dubio : *An et in qua mensura reducenda sit pensio, quam Mensa Episcopalis Novariensis persolvit Patribus Congregationis Somaschae Domus Magdalenae in civitate Ianuensi,* omnibus sedulo perpensis, respondit: *Negative.*

## NOVARIEN.

### BENEFICII

*Die 23 Augusti 1895.*

COMPENDIUM FACTI. P. Matthaeus Fazio, e Ferazzano dioecesis Boianensis, religiosus Ordinis Minor. Observantium Provinciae S. Ferdinandi, evulgata lege suppressionis Ordinum Religiosorum, dioecesim Novariensem petiit, ibique anno 1886 rescriptum a S. Congregatione super Disciplina Regulari obtinuit manendi « *extra claustra quamdiu Regularis eius Provinciae adiuncta perduraverint* » quod rescri-

ptum P. Generalis Minorum die 26 Novembris eiusdem anni rite executus est.

Interea vacante per resignationem titularis Iosephi Ugazio in manibus Episcopi paroeciae Insulae Superioris nominationis popularis in dioecesi Novariensi, ad eam praesentatus fuit a patronis dictus religiosus. Hic autem, quoniam Episcopus ad institutionem dandam promptus erat, sub die 21 Februarii 1888 ab eadem S. Congregatione obtinuit indultum saecularizationis perpetuae Ordinario Novariensi remissum ad hoc, *ut constito sibi, Oratorem de congruo patrimonio vel de alia sufficienti substentatione esse provisum, exclusa civili pensione, ipsi licentiam concedere valeat manendi extra claustra, habitu regulari dimisso, quoad vixerit: ita tamen ut substantialia votorum, quatenus feri poterit, observet; habitus religiosi memoriale signum intrinsecus deferat. Ordinario loci subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti. Valeat insuper idem Ordinarius post praesentis decreti executionem* (intra tres menses sub poena nullitatis faciendam) *ipsum Oratorem habilitare ad unum tantum beneficium ecclesiasticum canonice assequendum ac retinendum nomine S. Sedis, titulo administrationis, etiam residentiale vel cum animarum cura, super quo eiusdem Ordinarii oneratur conscientia.* Hoc obtento indulto ex-religiosus Fazio die 28 Martii 1888 literas institutionis canonicae habuit in beneficio paroeciali Insulae Superioris, sub titulo S. Victoris in Verbano Lacu, in quibus edicebatur ipsum incorporatum esse vi relati rescripti dioecesi Novariensi. Attamen ipse timens ne pensionem amitteret quam uti religiosus a Gubernio percipiebat, neglexit accipere possessionem, tum canonicam, tum civilem paroeciae, quin imo Uteris diei 27 Maii eiusdem anni valedixit iam obtento R. Placito.

Elapsis sex annis ex-religiosus Fazio vadatus fuit ante Curiam Episcopalem, et nonnullis subiectus interrogatoriis. Post quae eadem Curia, attendens quod resignatio parochi Ugazio publicata non fuerat ad tramites Constitut. *Humano vix iudicio* Gregorii XIII, sententia diei 15 Decembris 1894

ipsum declaravit excidisse a iure parochi, proindeque renunciavit paroeciam esse vacantem.

Contra hanc declaratoriam sententiam illico appellationem interposuit ex-religiosus Fazio apud S. Congregationem, petens ut ipsa revocaretur.

## Disceptatio Synoptiea.

PRO CONFIRMATIONE SENTENTIAE. EX triplici ratione Curia Episcopalis Novariensis editam sententiam confirmandam esse contendit. I° Quia omissa fuit publicatio resignationis factae a sac. Ugatio, ut supra dictum est. Sane neminem latere ait, quod haec publicatio a Const. Gregoriana praescribitur sub poena caducitatis a beneficio facienda inter trimestre tempus, saltem per aequipollens seu *per missionem in possessionem non clam sed publice,* ut monet Sebas. Berardi Com. in Ius eccles, universum, par. 3, dec. 7, cap. 3. Hanc praescriptionem adhuc vigere docet S. Congregatio Concilii m *Firmana* 20 Ianuarii 1894. Confer Acta S. Sedis vol. 27, pag. 8. Proinde cum ex-religiosus Fazio neque paroeciae possessionem coeperit, neque praescriptioni citatae Constitutionis paruerit, a beneficio decidisse dicendus est. 2° Quia tempore quo ei collata fuit paroecia, non erat provisus de congruo titulo substentationis, et hinc ad tramites supra relati rescripti 21 Feb. 1888 erat omnino inhabilis ad beneficia recipienda. 3° Quia plures querelae portatae erant contra dictum ex-religiosum, tum circa eius agendi rationem et asperum caracterem, tum circa eius neglectum in paroecialibus functionibus peragendis. Hisce tamen non obstantibus Episcopus non dissentit a congrua provisione danda praefato ex-religioso, dummodo sit ea absque animarum cura, et ab ipsa S. Congregatione ad id invitetur.

PRO REVOCATIONE SENTENTIAE. EX adverso patronus ex-religiosi Fazio sustinet motiva impugnatae sententiae nullo solido fulciri fundamento. In primis observat quod iuxta Gregorianam Constitutionem publicatio resignationis non imponitur *taxative* successori in beneficio resignato, sed est

facienda *aut a resignante solum* aut a resignatario. Hinc non est culpae vertendum appellanti, si eam omiserit: et etiamsi haec culpa admitti velit, tacite dicit esse sanatam tum ab exercitio functionum paroecialium per sexennium, tum ab actis visitationis pastoralis, in quibus edicitur in paroecia Insulae Superioris nihil irreguläre esse deprehensum.

De veniens ad secundum motivum, praemisso quod Bulla Episcopalis institutionis statuit illam notorietatem quae in themate requiritur, in facto esse ait, quod novus parochus e suggestu populo suam nominationem et institutionem publicavit, et eodem tempore ad valvas ecclesiae literas Institutionis affixit ; qui actus proinde cum suppleant formali et notoriae possessioni, censendum merito est novum parochum substantialiter et per aequipollens satisfecisse praescriptioni relatae Constitutionis circa publicationem resignationis factae a suo praedecessore Ugazio.

Ad omne dubium summovendum et controversiam radicitus dirimendam allegat auctoritatem Riganti § 228-29-30 regula XXXVI Cancellariae Apostolicae, ubi statuitur quod triennalis possessio sanat quemcumque defectum in possessione. Idque eo fortius quia scopus relatae Bullae fuit *ad prohibendus simúlalas occultasve beneficiorum resignationes;* et cum in casu non agatur de occulto et simulato rescripto, in comperto esse subdit quod decursus trium annorum praescriptae a Bulla formalità ti supplevit.

Quoad tertium motivum impugnatae sententiae, nempe quod non fuerit satisfactum conditioni impositae a rescripto saecularizationis, quoad constitutionem patrimonii sacri ut ex-religiosus Fazio habilis esse valeret ad beneficia ecclesiastica consequenda, Orator, praemisso quod beneficium iuridice substituit patrimonium sacrum, imo hoc est in beneficii supplementum, advertit, quod Ordinarius Novariensis conferens sacerdoti- Fazio beneficium *eodem tempore et unico actu* rescripti conditionem adimplevit, ipsum providens de honesta substentatione.

Ita disiectis fundamentis appellatae sententiae patronus

quaestionem sub alio respectu expendit. Sane, ipse ratiocinatur, si iuxta canonicam iurisprudentiam, iuxta ss. Congregationum resolutiones parochi amovibiles *ad nutum* revocari non possunt absque gravi et legitima causa, id a fortiori militare debet in parochis qui sunt titulares, ut in casu est sacerdos Fazio. Iam vero, subdit patronus, in facto est quod nulla ex invocatis causis a sententia ad removendum praefatum sacerdotem substinetur. Praetensis enim querelis contra parochum opponuntur: I° attestationes favorabiles parochianorum; 2° bonum testimonium Episcopi praedecessoris Riccardi, nunc ad sedem Taurinensem promoti; 3° tandem attestatio hodierni ipsius Episcopi, qui anno 1894 occasione visitationis pastoralis paroeciae Insulae Superioris, inspectis regestis et aliis documentis paroeciae, omnia comprobavit, parochum *laudabili praeconio* condecorans. Hinc patronus concludit praefatam sententiam omnino esse revocandam.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Rmus Advocatus summista sequentia subiiciebat consideranda: I° Utut in reg. XIX Cancellariae Apostolicae « De Viginti » caveatur nullitas resignationis beneficii, si beneficiatus decesserit intra 20 dies a tempore praestiti consensus, et per consequens beneficium spectetur tamquam vacatum *per obitum,* tamen ad occultas simulatasque resignationes in beneficiis arcendas primum S. Pius V et deinde Gregorius XIII in sua celebri Constit. *Humano vix iudicio* sub an. 1584 nonnullas severiores regulas statuerunt. Signanter in praefata Constitutione decernitur ut resignationes beneficiorum cuiuscumque speciei factae extra Curiam publicentur intra tres menses a die novae collationis a resignante aut a resignatario, tum in Ecclesia Cathedrali, tum in ecclesia beneficii tempore concursus populi ad sacras functiones, idque sub poena nullitatis collationis resignati beneficii.

2° Hanc dispositionem, ceu notat Riganti in com. ad relatam reg. XIX, n. 210 non esse ubique receptam: et inter loca in quibus haec Constitutio non viget, ea contraria inolita consuetudine, esse accensendam dioecesim Novariensem,

uti constat ex Uteris informativis Episcopi Novariensis datis ad S. Congregationem.

3° Praeter allatam dispositionem in dicta Const. ad § 7. praescribi ut provisus de beneficio resignato *inter tres menses a die sibi factae provisionis possessionem beneficii capiat, alioquin illis elapsis nulla sit eius provisio et beneficium vacare censeatur eo ipso.* Unde scatet quod quamvis pro beneficiis in genere omissio formalis possessionis non secumferat amissionem tituli beneficii, sed tantum non perceptionem fructuum, ceu passim tradunt auctores, tamen alia res est quando agitur de beneficiis resignatis quae vi relatae Constitutionis censentur eo ipso vacare si intra tempus capta non sit possessio. Quin imo dum in aliis beneficiis possessio triennalis supplet et sanat quemcumque defectum in possessione, haec theoria invocari non valet pro beneficiis resignatis, cum applicatio regulae de annali et triennali possessione expresse reiiciatur a dicta Const. in § 5.

4° Indubiam rem esse quod haec postrema Constitutionis dispositio in suo pleno robore adhuc vigeat, cum in supplicationibus ad Datariam Apostolicam ad beneficia resignata obtinenda de ea expressa mentio fieri soleat.

His in iure praeiactis, Rmus Summista in facto observat, quod profecto dubitari non potest quod sacerdos Fazio intra utile tempus formalem et legalem possessionem paroecialis beneficii Insulae Superioris non ceperit: verum relinquit iudicio EE. Patrum decidendum utrum duo haec facta, nempe publicatio facta a sacerdote Fazio e pulpito suae nominationis ad paroeciam Insulae Superioris, affigendo etiam literas suae Institutionis *ad valvas Ecclesiae,* et approbatio facta ab Episcopo Novariensi occasione sacrae visitationis actorum et status paroeciae, spectari valeant ceu tacita aequipollens immissio legalis in possessionem, et proinde ad evitandas poenas sancitas a Bulla Gregoriana invocari possit doctrina communiter a Doctoribus recepta et quam *Ferraris in sua Bibliotheca can. V. Institutio n. 36* ita refert : *Institutus quoque ad titulum in beneficiis, quamvis non possit eius*

*possessionem capere propria et sola sua auctoritate, accedente tamen consensu seu licentia legitimi Superioris, volentis tradere possessionem corporalem, potest eam capere nullo alio eum introducente in ipsam, ut passim fatentur Doctores, eo quod iam interveniat auctoritas Superioris.*

Hisce praemissis proposito

## Dubio

*An et quomodo confirmanda vel revocanda sit sententia declaratoria Curiae Novariensis diei 15 Decembris 1894 in casu.*

RESOLUTIO. S. Cong. EE. et Regul. re discussa sub die 23 Augusti 1895 rescripsit : *Affirmative ad primam partem iuxta modum; Negative ad secundam. - Modus est - Episcopus non procedat ad enunciati Sacerdotis dimissionem nisi prius aliter eum congrue providerit.*

EX QUIBUS COLLIGES : I. Corporalem immissionem in beneficii possessionem fieri non posse propria auctoritate : at quando intervenit licentia vel consensus legitimi Superioris potest quis sui beneficii possessionem capere, nullo alio in ipsam eum introducente.

II. Regulam Cancellariae Apostolicae de triennali possessione sanare quemcumque defectum interventum in corporali immissione ad beneficium, quatenus ex hoc lapsu temporis ea praesumitur regularis fuisse.

III. Quamvis praemissa invocari queant quando agitur de beneficiis in genere, tamen exceptionem patiuntur in beneficiis resignatis: in his enim possessio capi debet modo praescripto a citata Bulla Gregoriana, idque sub poena nullitatis, neque alii admittuntur modi aequipollentes. Proinde cum in themate sacerdos Fazio praescriptioni Bullae Gregorianae non paruerit, merito S. Congregatio sententiam Curiae Novariensis confirmavit, et motiva appellationis reiecit.

# EX SECRETARIA BREVIUM

DECRETUM quo edicitur tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Dei famuli Theophili a Curte Beatificationem.

Inclyta Franciscalium familia salutare ac frugiferum consilium illud sequuta quod Redemptor Noster tradidit discipulis suis, ut caduca despicientes expeditiorem inirent ad coelum viam : « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis » ; nulla unquam aetate magnanimis caruit viris, qui licet nobilitate, divitiis, honoribus, rebusque iis omnibus abundarent, ad quas ferri solent coeteri homines avidissime, tamen non dubitarunt fluxa haec et labilia contemnere, ut nunquam deficienti thesauro potirentur. Horum in numerum iure et merito adscribendus est venerabilis Dei famulus Theophilus a Curte, Sacerdos professus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, qui summum christianae perfectionis gradum assequutus, mirandum in modum Seraphicum Ordinem illustravit. Curiae in Corsica Ioanne Antonio de Signori et Maria Magdalena Arrighi parentibus, qui antiqui generis claritatem integritate virtutumque ornamento cumulabant, natus est christiano anno MDCLXXVI, die Octobris mensis trigesima et sacris Baptismi aquis ablutus, Blasii nomine appellatus. Accepta a piis genitoribus virtutum documenta moribus suis optime expressit puer, ita ut tenera adhuc illa aetate pietatis studium, suave ingenium vitaeque innocentiam omnes in eo admirarentur. Siquidem silentio potius ac solitudini quam puerilibus nugis vacare, diu in templis flexis genibus orare, saepe aequales suos ad pias exercitationes arcessere atque hortari in deliciis habuit. Vix primum adolescentiae limen attigerat, quum in Franciscalium familiam coepit cogitare, consiliumque parentibus patefecit, quos diu reluctantes expertus est. Verum illi propitius occurrit in votis Deus addiditque animum, ut, naturalibus charitatibus devictis, san etique propositi tenax, optata perficeret. Itaque die xxi mensis Septembris anno MDCLXXXXIII in patrii oppidi coenobio sese Ordini Franciscalium Minorum ab Observantia mancipavit, asperasque indutus instituti vestes, Blasii nomen in illud Theophili commutavit, ut hoc etiam nomine sibi

auspicatissime indito qua in Deum ferebatur charitate profiteretur. Vix tyrocinium posuerat, iamque in ipso vitae claustralis exordio christianae perfectionis formam apprime referre visus est. Religiosae disciplinae observantissimus, ne in minimis quidem vitae actibus illi unquam defuit, semper in opere primus, in ordine verae humilitatis causa postremus : ex quo factum est ut non tyronibus tantum, sed provectioribus etiam sodalibus absoluti ssim um Seraphicae vitae exemplar habitus sit. Amore in Deum, dum preces funderet, adeo inflammabatur, ut coelestis ille ignis ex ore ipso oculisque emicaret. Deiparam vero suavibus prosequebatur pietatis officiis, nihilque ei iucundius quam Virginem Immaculatam dulcissimo Matris nomine compellare. In patria terra solemnia vota nuncupavit, deinde Romae per integrum annum studiis operam navavit et summa cum laude studiorum curriculum Neapoli absolvit, ubi sacerdotii primitias Deo libavit. Dum haec ageret nihil praetermisit, ut sicuti ad animi perfectionem, virtutem ac pietatem, ita ad culturam mentis, doctrinam acquireret et tantos brevi tum in litterariis tum in philosophicis divinisque disciplinis progressus fecit, ut dignus visus fuerit qui Lectoris titulo decoraretur. Sed cito latior patuit Theophilo campus in quo et excurrere virtus, et mirifice sese exercere, et erga Deum et erga proximos charitas potuit. Obscurum enim abditumque recessum prope Sublaqueum cum petiisset, spiritualibus exercitationibus vacaturus, sanctiorem ibidem austerioremque vitae rationem haberi a sodalibus miratus, humilitatis uti erat asperitatisque cupidissimus, inibi morari supplici prece superiores suos flagitavit. Voti compos sodalem piissimum nactus est Beatum Thomam a Cora, quem societate coniunctum, vitae innocentia simillimum, laborumque apostolicorum comitem, proposuit sibi sanctae aemulationis exemplar. Quamobrem demandatum sibi habuit salebrosum munus arctioris rigidiorisque disciplinae nonnullis in suis Ordinis coenobiis ac recessibus provehendae, et ipse summo flagrans zelo, ut simul et gloriam Dei amplificarci et spirituali confratrum emolumento consuleret, innumeris difficultatibus alacri etflecti nescio animo devictis, propositum finem adeptus est. Idcirco Crustumerinum primum recessum in pristinum florem revocavit, dein alium in patria insula instituit, tandem in oppido Etruriae intra fines sito Dioecesis S. Miniati, cui Phiceclo nomen, miranda exhibuit Apostolici Ieli testimonia. Sanctus enim vir merito a

Franciscalibus appellatus Sacrorum Recessuum Propagator, ut ad pietatis officia excolenda regularemque disciplinam adamussim servandam sodalium animos alliceret, recte iudicavit seipsum abundare oportere iis omnibus laudibus ad quas excitaret alios, et plus valere sermonem si confirmaret exemplo. Quare paupertatem, obedientiam, castitatem, charitatem, alias omne genus virtutes singulari prorsus studio peramavit. Paupertatem ita dilexit, ut in victu cultuque vilissima semper requireret, vestibus uteretur obsoletis, saepe ostiatim stipem pro religiosa sibi commissa familia rogaret. Ad obedientiam quod attinet, dicto iugiter audiens praepositurorum fuit, nullam unquam moram parendi interposuit, cum etiam superioris partes gereret, Franciscalis regulae mandata religiose servavit. Ingenuam simplicitatem morumque candorem abstinentia et asperrima corporis castigatione sepsi t diligenter. Quid de charitate referamus ? aegrotos invisere, animam agentibus usque ad extremum spiritum assidere, egenis opem nec requirentibus ferre, solari calamitosos consilio, opere, prout res postularet, proximos iuvare solitus fuit. Nam venerabilis Dei famulus Theophilus non confratribus tantum suis verbo et exemplo profuit, sed in christianam etiam plebem e sacris expeditionibus eidem commissis multae ac permagnae utilitates manarunt. Praesul enim Dioecesis S. Miniati, et alii plures in Etruria Antistites sanctitatis fama permoti, certatim illius ministerio in Missionibus spiritualibusque exercitationibus utebatur. Ipse autem Theophilus tanta alacritate et constantia sacri huiusce muneris partes explevit, ut neque imbecillitate virium, neque asperitate viarum, neque hospitiorum squallore, neque coeli inclementia retardaretur. Divini verbi praeconi frigoris atque aestus patientia par, dum municipia, oppida, pagos circumiret pedes. Tantis vero laboribus longe lectissimi ac saluberrimi fructus coniuncti fuerunt. Simultates non paucae eius industria sublatae, vitia saepius inveterata radicitus avulsa, non raro inter domesticos parietes restituta pax, ubicumque sacras conciones haberet, invecta morum integritas, aucta pietas, aeternae animarum salutis studium excitatum: ipse autem Dei servus iure tum Phicecli oppidi tum universae S. Miniati Dioecesis Apostolus habitus atque vocatus. Talis cum esset Theophilus, longe lateque de ipso fama percrebuit, cum patriam insulam altera vice relinquens, condito in ipsa Franciscali recessu, solvit in Italiam; magna populi mo-

rantis reditum turba comitante navem conscendit: saepenumero et in itinere et in concionibus catervatim ad eum confluebat cupida audiendi et videndi multido. Neque illi divinum defuit testimonium; scrutationis enim cordium et prophetiae dono enituit, multaque ab ipso dum vitam mortalem duceret prodigia patrata feruntur. Tandem dum annum ageret aetatis suae quartum et sexagesimum, in recessu Phicecli quem potissimum virtutibus suis illustrarat, decimoquarto kalendas Iunias anno millesimo septingentésimo quadragesimo dissolvi cupiens et cum Christo esse, ad beatitatis aeternae sedem placidissimo exitu advolavit. Dulcissimum penes sodales desiderium sui, insignem vero penes christianum populum sanctimoniae gloriam moriens reliquit, quae et viget adhuc in patria insula atque in Etruria et effectis praecipue ad sacros eius cineres miraculis crevit. Quare examine in haec omnia inito de Beatorum Coelitum honoribus olim ei decernendis, Causa apud Sacrorum Rituum Congregationem haud sero instituta est; habitisque intercessu temporis e re disquisitionibus, aliisque vel ad iuris apicem fauste absolute fel. re. Pius PP. VII Praedecessor Noster Venerabilis Theophili a Curte virtutes singulari laude prosequutus, heroicum culmen has attigisse edito sanxit decreto sexto Idus Septembres an. MDCCCXVII. Deinde Nos alio decreto solemniter evulgato x kalendas Iunias anni vertentis MDCCCXCV de binis miraculis intercessione ipsius venerabilis Fratris Theophili a Deo patratis suprema auctoritate constare declaravimus. Illud restabat discutiendum num Venerabilis Dei Servus tuto inter Beatos foret recensendus. Quod propositum fuit a dilecto filio Nostro Vincentio S. R. E. Presbytero Cardinale Vannutelli causae relatore in generalibus comitiis coram Nobis hoc anno decimoquarto kalendas Iulias in Vaticanis aedibus coactis; omnesque qui aderant tum Cardinales tum Sacrorum Rituum Congregationis Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam coeleste auxilium Nobis comparemus. Tandem pridie Idus Iulias, die qui sacris solemnibus immortale Franciscalium decus S. Bonaventuram commemorabat, Eucharistico litato sacrificio, adstantibus Caietano Aloisi Masella Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto ac supradicto Vincentio Vannutelli S. R. E. Cardinalibus nec non Augustino Caprara Sanctae Fidei promotore, tuto procedi posse decrevimus ad solemnem Venerabilis

Dei famuli Theopliili a Curte Beatificationem. Quae cum ita sint Nos precibus permoti tum universae Minorum Observantiae familiae, tum Corsicae Etruriaeque incolarum, Apostolica Nostra Auctoritate harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Dei famulus Theophilus a Curte, Sacerdos professus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque lypsana sive reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus, deferendae publicae fidelium venerationi proponantur et Imagines sacris radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa de Communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis ac Breviarii Romani. Huiusmodi vero officii recitationem missâeque celebrationem fieri concedimus intra fines dumtaxat Dioecesis S. Miniati, itemque omnibus in templis religosarum domorum ordinis S. Francisci Minorum de Observantia, ab omnibus fidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur convenientibus. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Dei Servi Theophili a Curte supradictis in templis celebrentur cum officio et missa duplicis maioris Ritus, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima auctoritate definiendis infra annum postquam eadem solemnia in Aula superioris porticus Basilicae Vaticanae fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus habeatur quae Nostrae voluntatis significationis hisce litteris ostensis haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxiv Septembris MDCCCXCV Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

L. © S.

C. CARD. DE RUGGIERO

DECRETUM quo edicitur procedi posse ad solemnem veli. Bernardini Realini Beatificationem.

Benigno quodam divinae providentiae consilio contigisse arbitramur, ut populus christianus brevi temporis intervallo duorum virorum memoriam recolat, qui ad coelestem patriam inter superos evocati magnam germanarum virtutum copiam in terris reliquerunt. Postquam enim saecularia solemnia ob memoriam Sancti Philippi Neri, tertio natalis coelesti exeunte saeculo sunt peracta, causa Nobis oblata est adsciscendi in numerum Beatorum Bernardinum Realinum e Societate Iesu, fere eius aequalem, qui singulares quasdam cum Philippo sanctae vitae similitudines habuit. Siquidem fuit in ambobus cum suavissimis moribus coniuncta humanitas et comitas tanta, ut mirifice sibi animos multitudinis conciliarent. Ambo vehementi charitate proximos sunt complexi, nominatim pueros, quibuscum sancti senes visi sunt quodammodo repuerascere, et quos ad evangelica praecepta erudire usque ad decrepitan! aetatem perrexerunt: ambo ferventi studio atque amore in Virginem Dei Matrem sunt infiammati, cuius provehere cultum numquam destiterunt: Philippus Apostolus Romae, Bernardinus Lyciarum dicti atque habiti sunt, etiamsi ille Florentiae, hic in Aemilia ortum duxissent; a quibus hospitibus urbibus quoad vixerunt neutrum sivit Deus pedem efferre. Quae quidem solemnia id habent salutaris ac fructuosi, quod ea qui celebrat, illum necesse est insignia eorum merita et egregia facta animo et cogitatione repetere, maximeque ad pietatem et virtutem excitari recordatione. Quare Nos non immerito confidimus plena fructu futura populo christiano, cui concedat Deus sanctorum virorum exempla non spectare solum, sed etiam, se adiuvante, imitari.

Bernardinus Realini Carpi, oppido Mutinae proximo, natus est a parentibus Francisco et Elisabetha Bellentani nobili loco Kalendis Decembribus anno MDXXX. Pater Principum virorum aulis addictus plerumque a domo aberat; mater domi manens puerum alendum atque instituendum suscepit. Quod quidem maternae caritatis officium tam sedulo atque amanter praestitit, ut Bernardinus cum postea de matre verba faceret, memor et gratus lacrimas tenere non posset. Ipsa in tenero alumni sui animo primos pietatis igniculus suscitavit, qui postea nec vo-

luptatum illecebris, nec perniciosis fluxarum rerum blandimentis sunt restinoti: ipsa amorem virtutis, vitiorum odium atque aeterni supplicii metum incussit: ipsa ad coelestia praemia animum excitavit.

Quum per aetatem licuit, celebrare scholas coepit, in quibus documenta dedit sane optima et animi et ingenii. Non minus enim comparandis virtutibus, quam addiscendis litteris sese appulit tanta diligentia et sollertia, ut aequalibus exemplo esset, et doctoribus admirationi. In patria elementa Latinae grammatices et Graecae didicit, nec non humanioribus litteris et rudimentis philosophicis sedulam navavit operam, et adhuc puer conspicua dedit et aeris ingenii et impigrae sedulitatis argumenta. Quare vix primum attigit adolescentiae limen a Patre qui multum sibi a Alio pollicebatur Mutinam missus est, ut inceptum tanta cum laude studiorum curriculum absolveret, doctore et auspice celeberrimo Castel vetro; ibique per biennii spatium in graecas latinasque disciplinas toto pectore incubuit. Doctam tandem Bononiam petiit, ubi ad philosophiam primum, dein ad civile et canonicum ius animum appulit, et summo cum plausu Iurisconsultus evasit. Doctus interea sermonem graecae linguae et latinae nonnulla opera scripsit collaudata ab omnibus quibus nota erant. Neque enim adduci potuit ut lucubrationes suas in lucem ederet, praeter unam, quam potius observantiae causa erga Cardinalem Madrucci, quam nominis protulit, et quae digna habita est commendatione eruditae posteritatis. Verum eorum operum et studiorum non parum sibi postea poenitendum putavit, tanquam si perperam ingenio usus esset. Recte enim iudicavit in nulla re hominibus desudandum atque elaborandum esse, nisi in eo quod ad aeternam salutem videtur esse opportunum. Carpum reversus cum de re familiari controversia esset, cuiusdam prudentis arbitrio, auditis prius testibus et patronis, lis diiudicanda credita est. Sed arbiter inauditis omnibus sententiam dixit, et cum ab eo Bernardinus sciscitaretur cur id egisset, arroganter atque iniuriose respondit. Bernardinus irasci celer, educto gladio quo erat instructus, adversarii fronti leve vulnus inflixit. Huius facinoris in magna animi perturbatione patrati sic hominem puduit et poenituit, ut contrito deiectoque animo a Deo et ab adversario veniam impetret, meritam poenam non deprecetur, iracundam naturam sic compescat et cohibeat, ut mansuetissimus et patiens cuiuslibet iniuriae fiat

iñ posterum. Solet enim vir probus et iustus si semel prolabitur, fortior resurgere, et ab ipso lapsu vires atque animum ducere. Extorris a patria Mediolanum petit: Papiaè cum Carolo Borromeo innocentissimo iuvene magna animi delectatione colloquitur: complura oppida qua praetoria, qua vicaria Principis potestate magna cum laude ac populorum plausu regit. Postremo Neapolim proficiscitur, ubi Deus Bernardinum praestolatur, quem ad potioris vitae studia incitet. Et revera cum quondam deambulatimi iret per urbem, ecce veniunt ei obviam duo iuvenes Societatis Iesu ita modesti et ad pietatem compositi, ut ille non humanos adolescentes, sed par Angelorum e coelo delapsum videre arbitretur. Postridie illius diei ad templum Soctetatis Iesu adit, ubi sacer orator e suggesto populum docet in mortali hac vita omnia falsa, incerta esse, caduca, mobilia, virtutem esse unam quae altissimis defixa radicibus firma et immobilis, et immortalis ad immortalitatem in coelum adducit. Haec verba sibi nominatim dicta interpretatus, ut olim Franciscus Assisiensis, continuo statuit se abdicare rebus humanis, virtutemque sociam et comitem deligere. Quamobrem, invitatione et ductu Virginis Deiparae, Parenti superstiti, fratri, propinquis et rebus omnibus nuntium remittit et nominibus suis solutis, propriis vero debitoribus omnia dimittens familiaris rei curis omnino expeditus Societati Iesu dat nomen. Qua in re illud valde fuit admiratione dignum quod cum Rector Collegii percontaretur eum malletne fieri sodalis Sacerdos an sodalis adiutor, ille in numerum familiarium vel sodalium adiutorum adscisci voluit eam praecipue ob causam quia Marialibus a Rosario vacare diutius poterat. At Rector non idem sensit et eum ad Theologiam sacrasque litteras applicuit. Sacerdotio initiatus in solemnibus Sacramenti Augusti sacris primitus operatus est. Tum vero apud se reputans non amplius se sui iuris esse, sed Dei proprium, se totum eius gloriae ac proximorum saluti dare planeque devovere constituit. Quare nullum prorsus est onus quod ille defugiendum autumet, nullum sacri muneris officium quo sacerdos novensilis non naviter integreque defungatur. Ac propterea divino cultui promovendo constanter studere, de catholicae fidei veritate crebras ad populum habere conciones, poenitentiae atque Eucharistiae sacramenta assidue administrare: aegrotis assidere, in carcerem detrusos visere et ad poenitentiam hortari, solari inopes, consilio, opera, prout res

postularet, primos quotidie' iuvare. Quae res cum referretur ad aures S. Francisci Borgia, moderatoris summi Societatis Iesu, hic praeter omnes consuetudines et regulas, tertio vix anno positi tirocinii in coetum Sodalium Sacerdotum Professorum Bernardinum inseruit. Novus adhuc Sacerdos magister pietatis tironibus datus est et huiusmodi officium summa diligentia atque utilitate exercuit. Praefectus etiam morum adolescentium studiosorum in Collegio est renuntiatus uberesque fructus ex suo munere percepit. Sed illi delati honores tamquam stimuli extiterunt ad arduum ac difficile perfectionis iter celerius conficiendum. Quare ob eximiam virtutem suam magnam bonorum existimationem sibi comparavit. Idque apparuit luculenter paullo post cum ille Praepositis suis morem gerens, in eo erat ut Lycias iter ingrederetur. Tota enim civitas accepto nuntio commota est omnesque cuiusvis ordinis cives eum salutatum convenerunt, felicem se existimavit, qui mnemosynon aliquod sancti viri ferre potuit, et universi prout Ephesii Paulum, lacrimantes lacrimantem prosecuti sunt. Lyciis excipitur tanta significatione laetitiae, quanto moerore et luctu Neapoli abscessit. Ibi sicut in adsignata a Deo statione collocatus vidit sensitque saluti animorum sempiternae sibi esse adlaborandum. Non ideo tamen animo cecidit, sed Virginis Dei Parentis ope implorata, demandatam custodiam et vigiliam libens suscepit.

Quum vero compertum habuerit populum in Sacerdotes tamquam in exemplar intueri eorumque mores plus quam praecepta valere ad disciplinam, ab se ipso exorsus talem se impertiit, qualem Paulus voluit se praebere Titum: «In omnibus temetipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. » Probe ipse noverat ob diuturnam absentiam operariorum vineam illam Domini incultam silvescere, neque ullum ex ea percipi ac demeti fructum posse nisi coleretur. Quapropter ad extraordinarium opus extraordinarios labores conferre necessum esse vidit, neque tamen ab incepto est deterritus. Et primo tanquam si sacram expeditionem suscepisset, singulares pietatis exercitationes indixit: in multitudine studia rerum divinarum revocavit: desuetos officiis et moribus christianis, ne imperium irritaret animos, quam lenissime dedit operam, ut suam quisque culpam agnosceret pravasque consuetudines detestaretur; paullatim inde amore sanctitatis iniecto, ad salutarem Dei metum verbis humanissimis cohortatus est.

Teneris autem puerorum puellarumque animis per doctrinam christianam evangelicae veritatis lumen aperuit: eos sibi iucunditate sermonis blanditiisque sanctae charitatis ita adlexit ut eum per vias per compita sequerentur. Quod vero singulari commendatione est posteris narratum et traditum, Dei famulus morem delevit infandae superstitionis invectum, immanitate barbarum, poena inhumanum. Siqua enim honesti generis femina genti suae turpitudinis notam inussisset, ea a coniunctiori vel consanguineo vel affini interflciebatur. Quapro pter non raro eveniebat, ut Alia vel soror patrem aut fratrem crudelem interfectorem et carnificem sentiret, et sic gens vel familia quae culpa tenebatur erroris humani, posthac ab impietate et nefario scelere adstringebatur. Contra morem tam efferatum strenue depugna vit Bernardinus et adiuvante Virgine coelesti e praelio victor discessit. Nam simul ac peccatum esse ab aliqua et impendere periculum animadvertit, advolat ipse celer et talem ac tantam adhibet in dicendo, hortando, precando facundiam et vim, ut ferrum pene e manibus extorqueat, et filiae patrem et sorori fratrem reconciliet. Quod quidem cum saepe accidisset, viri ultro antequam quidquam perpetrarent ad Dei Famulum veniebant eumque ultorem atque honoris sui vindicem eligebant Nec semel accidit ut in his controversiis Bernardino auxilium divinitus oblatum esset. Sic non longo post tempore factum est ut superstitione sublata mos obsolesceret. Cum Bernardinus non posset unus adesse omnibus, sodalitatem instituit ex primoribus civitatis, quibus adiutoribus suis in deliniendis calamitosorum hominum miseriis usus est. Cum illis versatur in valetudinariis, duplex solamen afferens animi et corporis: adit carceres, coniectosque in vincula ad patientiam hortatur : squalida pauperum tuguria splendore charitatis illustrat, inopesque spe sempiternae beatitudinis consolatur : inveterata odia et simultates, quae sunt domorum contagia, dirimit : innuptasque pauperculas ne in discrimen pudicitiae inducantur dotat: nihil denique praetermittit quod proximi utilitati et sodalium spirituali bono idoneum iudicat. Turcas etiam in captivitatem actos tamquam fratres in Iesu Christo amplexus est charitate mirabili, eosque desertos et miseros omni ope iuvit, ad religionis praecepta erudivit tanta vero suavitate et humanitate, ut illi barbaros mores et genuinam animi feritatem deponerent. Interea, dum haec agebat, templum condidit munificentia admirabili illudque Iesu nomini dica vii

Proinde ut Societas Iesu Lyciis domicilium et sedem stabilem haberet, Collegium a fundamentis felici molitione excitavit, et quidquid vitae usui opus est suppeditavit liberalitate fretus civium Lyciensium. Haec omnia quae sane a pluribus vix expectari debuissent, unius hominis opera et consilio perfecta sunt. Constat tamen tot tantisque laboribus viri sancti fructus sane copiosos respondisse. Quamobrem non mirum est si Deus singulari beneficio Lyciensi civitati famulum suum tamquam operarium et cultorem animorum impertire voluit, et si numquam permisit ut arbitrio et voluntate hominum amoveretur. Quoties enim Praepositi Societatis Iesu decreverunt ut ille aliquo abiret, toties divina providentia factum est ut impedimentum aliquod et difficultas oboriretur: nimirum aut repentinus morbus quo ille correptus est, aut impraevisa inclementia coeli, aut ipsorum Lyciensium vis qui Bernardinum proficisci properantem retardarunt. Illi enim qui sancto viro annos duo et quadraginta hospite carissimo usi erant et eum parentem patriae appellaverant, inducere animum non poterant ut ab eo disiungeretur. Itaque Rector municipii legem tulit ne quis equum vel currum Bernardino Realini accommodaret, et si quis de eius discessu fieret certior ad eumdem Rectorem referret. Merito enim existimabant, si sanctus vir recessisset, civitatem praecipui ornamenti et praesidii iacturam fecisse. Existimatio haec efficiebat ut illi multis dolis atque insidiis uterentur, ut particulam aliquam vestis vel rem quamlibet ad sanctum virum pertinentem potirentur. Non pauci ut haberent, filios suos edocebant ut Bernardinum deambulantem, sicuti soliti erant comitati, baculum arundineum quo se fulcire senex consueverat, illi subducerent et aliud subderent. Famulus Dei ratus id sibi accidere propter nimiam festivitatem puerorum, eos se praedari ridens assentiebatur. At instabat iam supremum discidium quod Bernardinum Lyciensibus suis abripere debebat. Ineunte anno MDCXVI vitae suae octogesimo sexto Bernardinus praesagivit illum postremum vitae suae futurum. Quod quum ad Cardinalem Beliarminum relatum esset, ille qui sanctum senem plurimi aestimabat per nuncium petiit ab eo ut ad coelestes avolans sibi sedem praepararet. Nuntio nuntiato subridens sanctus senex respondit se libenter Cardinali morem gesturum. Paullo post vehementi febri correptus cubuit et duobus senioribus civitatis qui eum convenerant novissima verba cum eis esse loquutum

nuntiavit. Quare rectores civitatis cito convocati statuerunt Bernardinum Realini de civitate optime meritum sibi patronum coelestem adsciscere cunctis suffragiis. Id cum Bernardinus rescivit, promisit se Lycienses quos mirifice dilexit in terris, validiori caritate amaturum a coelo. Vexatione interea peresus intestini morbi Sacramentis refectus est, postea quasi longa peregrinatione defessus placide obdormivit in Domino. Magna interea cum iam esset virtutum commendatio tum post eius obitum aucta magis est ac latius diffusa. Quapropter fe. re. Leone XII Decessore Nostro Pontifice Maximo longo interiecto temporis spatio et post multas rerum vices absolutis omnibus quae in huiusmodi iudicio erant necessaria in Congregatione Cardinalium sacris Ritibus Praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus quibus venerabilis Bernardinus Realini Societatis Iesu inclaruit easque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen declaravit idem Praedecessor Noster Leo XII pridie Kalendas sextiles anno MDCCCXXVIII. Postea quaestio agitata est de miraculis quae venerabili Bernardino Realini deprecante a Deo patrata ferebantur; rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis duo miracula vera atque explorata, habita sunt: ideoque Nos idibus Novembris anno MDCCCXCIV decretum edidimus de eorumdem miraculorum veritate atque ad ulteriora procedi concessimus, quin esset necesse ad alterius miraculi investigationem venire. Illud supererat ut dictae Congregationis Cardinales rogarentur num tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores Bernardino Realini decernendos: iique in generali conventu coram Nobis habito pridie nonas Decembris eiusdem anni tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quo facto tandem octavo Kalendas Apriles huius vertentis anni solemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad solemnem Venerabilis Bernardini Realini Beatificationem. Quae cum ita sint, precibus permoti universae Societatis Iesu, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus, ut idem Venerabilis Servus Dei Bernardinus Realini Societatis Iesu Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, et imagines radiis decorentur.

Praeterea eadem auctoritate Nostra Apostolica concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in civitatibus ac Dioecesibus Neapolitan. Lycien. et Carpen, tempusque omnibus ac oratoriis Societatis Iesu ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confidentibus. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Bernardini Realini in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium respective designando intra annum postquam eadem solemnia in aula superioris Porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii Congregationis praefatae subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significatam hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxvii Septembris MDCCCXCV Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

C. Card. DE RUGGIERO.

L. * S.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

URBIS ET ORBIS. De obligatione celebrandi Missam iuxta Kalendarium Ecclesiae, in qua celebratur.

Quod Benedictus XIV diserte docet *(Op. de Beat, et Can. lib. IV. part. II. c. II. n. 5),* Missas nempe in honorem Beatorum, vel etiam Sanctorum nonnullis Ordinibus Regularibus ex indulto concessas, ab aliis Presbyteris sive Saecularibus, sive

Regularibus, celebrari non posse; Sacrorum Rituum Congregatio iampridem declaraverat, ac postea quamplurimis particularibus seu generalibus Decretis retinuit confirmavitque.

Cum nihilominus, eodem Benedicto XIV fatente, incongruum videretur, ut exteri Sacerdotes ad Regularium Ecclesias, die pro festo statuta, confluentes, aliam celebrarent Missam ab illa, iisdem Regularibus concessa; hinc factum est, ut Summi Pontifices, in ipso Beatificationis Brevi, Indultum pro Regularibus datum, ad omnes et singulos Sacerdotes in praefatis Ecclesiis celebrantes extenderent.

Id autem progressu temporis consultius ac prope necessarium iudicatum est, cum novae pluresque Missae, iisdem Regularibus, seu etiam permultis particularibus Ecclesiis, quum Sanctorum, tum Beatorum indultae sint; ne videlicet, latae super celebratione Missarum leges, aut confusionem aut facilem transgressionem paterentur; nisi et forte earundem observantia fere impossibilis fieret.

Quae quidem omnia cum pluries, ac praesertim, in una *Romanaj Dubiorum,* in conventu habito die 23 Augusti 1890, perpensa fuissent; Sacra Rituum Congregatio, dilata resolutione, decrevit, ut ad omnem difficultatem penitus amputandam, certae normae hac in re universis Sacerdotibus in singulis casibus constituerentur. Idcirco in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit:

Omnes et singuli Sacerdotes, tam Saeculares quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes, vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani, vel S. R. C. Decreta prohibent. Die 9 Iulii 1895.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me subscriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congrega-

tionis ratam habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 9 mensis Decembris eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

QUEBECEN. Dubia diversa.

Rmus Dnus Ludovicus Kazarius Begin, Archiepiscopus Cyrenensis, Administrator Dioecesis Quebecensis, S. R. Congregationi sequentia Dubia diluenda humiliter proposuit, nimirum:

I. An Titulari Festum alicuius Ecclesiae a 31 Decembris ad quintam Ianuarii occurrens, habeat octavam?

IL Utrum dies 30 Dec. assignari possit S. Anastasiae Mart. in Ecclesia propria?

III. Utrum in Ecclesia propria Festum S. Titi celebrandum sit die 4 Ian. an 6 Februarii?

IV. Quomodo in Ecclesia S. Adriani Mart. cuius festum occurrit die octava Septembris, ordinari debeat officium Nativitatis B. M. V. et dies eius octava, cum dies 9 et 10 Sept. a festis duplicibus minoribus sint impeditae?

V. An valide possit Episcopus pro Titulari alicuius novae Ecclesiae designare festum, quod neque in Martyrologio, neque in Supplemento Dioecesis reperitur?

VI. Quonam tempore duodecim cerei ardere debeant in Anniversario Ecclesiae consecratae?

VII. Utrum die octava eiusdem Anniversarii Ecclesiae consecratae cerei pariter accendi debeant, aut possint?

VIII. Utrum Decretum in Alifaxien. editum die 16 Aprilis 1886 ad 3[uni] iuxta quod dies electionis Episcopi, quoad anniversarium in Dioecesi celebrandum, non ea est Bullae datae fuerunt, sed illa qua fuit in Consistorio proclamatus spectet etiam ad Episcopos per Sacram Congregationem de Propaganda Fide institutos, qui frequenter Bullas receperunt, Dioecesis possessionem acceperunt, imo consecrati fuerunt aliquo tempore ante Consistorium, in quo proclamantur?

IX. Utrum lectiones II Nocturni, die octava alicuius Sancti, quae non reperiuntur in Breviario, debeant, deficiente Octavario, sumi de communi primo loco, an vero de die festo, iuxta Decretum in una Provinciae ecclesiasticae Quebecen., die 15 Aprilis 1880 ad 4um?

X. An Solemnitas SSîîii Cordis Iesu possit iuxta regulas ceteris Solemnitatibus communes peragi?

XL Utrum Ordinario liceat, ubi ad fovendam devotionem expedit, quibusdam Titularium Ecclesiarum parochialium Solemnitatibus assignare certas per annum Dominicas, etiam ab ipso die festo distantes?

XII. An Solemnitati Annunciationis B. M. V. iam concessae, valeat assignari in perpetuum Dominica II post Pascha, nisi occurrat festum dup. primae classis?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative iuxta Rubricas.*

Ad II. *Affirmative, non omissa commemoratione S. Anastasiae in secunda Missa Nativitatis, ratione Stationis.*

Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta Martyrologium Romanum.*

Ad IV. *Quum die 8 Sept. faciendum sit de S. Adriano Mart. Ecclesiae Titulo, die 9 eiusdem mensis fiat de Nativitate B. M. V. absque integra octava, prout Romae fit in Diaconia S. Adriani Mart., translato festo duplici illa die occurrente in primam aliam liberam, iuxta Rubricas.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Per integrum et solum diem, incipiendo a primis Vesperis.*

Ad VII. *Negative ad primam partem, afffrm. ad secundam.*

Ad VIII. *Affirmative.*

Ad IX. *Negative ad primam partem, afflrm. ad secundam.*

Ad X. *Negative, nisi sit festum de praecepto.*

Ad XI et XII. *Negative.* '

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 13 Decembris 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

ROMANA. Dubium quoad psaim. De profundis post officium defunctorum.

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, attentis expositis a Priore, et Consilio secreto Archiconfraternitatis Sanctissimi Cordis Iesu erectae in Ecclesia S. Theodori de Urbe, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad dubium: Utrum in anniversariis aliisque diebus, praeter dies commemorationis omnium fidelium defunctorum, et depositionis defuncti, si totum officium defunctorum ritu duplici recitetur, omittendus sit post Laudes psalmus De profundis?

*Negative;* iuxta Rubricas Breviarii, Missalis et Ritualis Romani ac Decreta, praesertim in 2ª Einsidlen. 4044 ad 29 die 23 Iulii 1736, ubi legitur: servetur Rubrica Breviarii et Ritualis itidem Romani, et post Vesperas, et Laudes in Officio defunctorum omittantur psalmi, De profundis, et Lauda anima mea Dominum, tantum in die omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti; et in altera Ordin. Erem. Camald. Montis Coronae 4085 ad *i*um die 9 Maii 1739.

Atque ita servari mandavit die 10 Ianuarii 1896.

Recens Benedictio a S. R. C. permissa.

## RITUS

*Benedictionis et impositionis S. Numismatis L M. V., vulgo* Medaglia miracolosa *(S. R. C. 19 April 1895).*

Sacerdos benedicturus Sacrum Numisma Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis, superpelliceo et stola indutus absolute incipit:

*f.* Adiutorium nostrum in nomine Domini.

4. Qui fecit coelum et terram.

*f.* Dominus vobiscum.

:R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS. — Omnipotens et misericors Deus qui per multiplices Immaculatae Mariae Virginis apparitiones in terris mirabilia iugiter pro animarum salute operari dignatus es, super hoc numismatis signum, tuam benedictionem benignus infunde, ut pie hoc recolentes ac devote gestantes, et illius patrocinium

sentiant et tuam misericordiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Numisma aspergit aqua benedicta, et ipsum postea imponens dicit:

Accipe sanctum Numisma, gesta fideliter, et digna veneratione prosequere, ut piissima et Immaculata coelorum Domina te protegat atque defendat; et pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postulaveris tibi misericorditer impetret, ut vivens et moriens in materno eius amplexu feliciter requiescas. Amen.

## *Vel si sint plures*

Accipite sanctum Numisma, géstate fideliter, et digna veneratione prosequimini; ut piissima et Immaculata coelorum Domina vos protegat atque defendat: et pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postula ventis vobis misericorditer impetret, ut viventes ac morientes in materno eius amplexu feliciter requiescatis. Amen.

Inde prosequitur:

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster...

**jr.** Et ne nos inducas in tentationem;

B). Sed libera nos a malo.

*f*. Regina sine labe originali concepta,

**R).** Ora pro nobis.

*f*. Domine exaudi orationem meam,

B). Et clamor meus ad te veniat.

*f*. Dominus vobiscum,

B). Et cum spiritu tuo.

OREMUS. — Domine Jesu Christe, qui beatissimam Virginem Mariam matrem tuam ab origine Immaculatam innumeris miraculis clarescere voluisti: concede ut eiusdem patrocinium semper implorantes, gaudia consequamur aeterna. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

____"*$$$0%^-

# EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIA quoad absolutionem complicis in peccato turpi.

Eme Domine

Iam quaesitum fuit a s. Poenitentiaria « An incurrat censuras, in absolventes complicem, in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvat, sed complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit ».

Et s. Poenitentiaria die 16 maii 1877 respondendum censuit: *Privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem Confessarius complex fuit.*

Hanc vero responsionem quidam ita interpretantur, ut excommunicatio in absolventes complicem lata fere semper eludi possit. Siquidem ad hoc sufficeret poenitentem complicem a confessario praemoneri de peccato huiusmodi non declarando. Sic enim, iuxta eosdem, absolvens complicem, semper immunis a censura evaderet.

Ad praecavendos in re tanti momenti abusus, postulans duas sequentes quaestiones sacrae Poenitentiariae proponit:

I. An effugiat censuras, in absolventes complicem in re turpi latas, Confessarius, qui complicem, sed de peccato complicitatis in confessione tacentem, absolvit; quamvis certus sit, complicem non adiisse alium sacerdotem, nec ideo fuisse absolutum a peccato complicitatis. Ratio dubitandi videtur esse, quia in tali casu, quamvis peccatum complicitatis non subiiciatur clavibus a poenitente, confessarius tamen non potest absolvere complicem ab aliis peccatis, quin, eo ipso, indirecte saltem, eum absolvat a peccato complicitatis, quod scit non adhuc fuisse clavibus rite subiectum, neque ideo remissum.

II. An incurrat censuras in absolventes Complicem in peccato turpi latas, confessarius qui, ad vitandas praefatas censusuras, induxit *directe* vel *indirecte* poenitentem complicem ad non declarandum peccatum turpe, cum ipso commissum, et

deinde complicem absolvit, sed peccatum complicitatis non declarantem.

Ratio dubitandi est quia *nemini fraus sua patrocinan debet;* insuperque si, talia agendo, confessarius censuras praecaveret, iam prohibitio absolvendi complicem, sub poena excommunicationis, illusoria plerumque videretur.

*Directe* autem confessarius inducit poenitentem quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. g. illud iam novit et declaratio illius esset inutilis. Indirecte vero inducit quando confessarius suadere conatur poenitentem, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet.

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, et approbante SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII, declarat: *excommunicationem reservatam in Bulla, Sacramentum poenitentiae non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id Confessarius poenitentem induxit, sive directe, sive indirecte.*

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 19 Februarii 1896.

R. Card. MONACO P. M.

A. CAN. MARTINI S. P. *Secretarius.*

# APPENDIX IV.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

———.4<s=C-

S. Poenitent. Ap. II. Octob. 1820. — Dubia quoad ieiunium.

**An qui ad ieiunium tenetur uti possit in serotina refectione, ubi viget indultum,** *del lardo e dello strutto,* **etsi per diem iisdem usus non sit.**

**R. Qui ad ieiunium tenetur, licite uti posse in serotina etiam refectione condimentis per indultum permissis, quia illa, vi indulti, olei locum tenent ; nec quidquam referre quod ipse pro suo arbitrio iisdem in prandio usus non sit.**

S. Poenitent. Ap. 16 Ian. 1834.

**Quatenus paterfamilias fruatur indulto carnes comedendi in diebus prohibitis, et nequeat aut nolit duo facere prandia, valeant carnes edere etiam alii, ceu sunt filii et filiae, avus et ava, et personae eius addictae servitio.**

**R. Personis quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione iis, qui ieiunare tenentur, de unica comestione et de non permiscendis (i).**

(1) Eadem S. Poenitentiaria cum quaereretur utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiae a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes ex familia indiscriminatim extendere possint, respondit (10 Ian. 1834): «In- » firmitatem, et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici » consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, » eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus ». Et ad quaesitum: « An ratio propter quam filiifamilias uti possunt cibis vetitis a patrefamilias exhi- » bitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi praeceptum; seu potius » indultum quo gaudet paterfamilias »; respondit (29 Dec. 1862): « Ratio permissio- » nis de qua in quaesito proposito sermo, non est indultum patrisfamilias, sed im- » potentia in qua versantur filii familias observandi praeceptum ».

S. Poenitent. Ap. 8 Februarii 1828.

**Qui dispensantur a qualitate ciborum possunt ne in diebus ieiunii uti iusculo, ut suae consulant valetudini, et in reliquo cibis uti esurialibus, ut possibiliter prospiciatur observantiae legis quoad cibos.**

**R. Affirmative, attente consideratis expositis.**

S. Poenitent. Ap. 15 Febr. 1884.
Permittitur vesci carnes et pisces dispensatis a lege abstinentiae etc.

**Utrum fideles dispensati a lege abstinentiae diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio ieiunii, vesci possint piscibus simul et carnibus.**

**R. S. Poenitentiaria, proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione SSmo** Dno **Greg. XVI, de ipsius Sanctitatis Suae mandato, respondit: Permitti.**

S. Poenitent. Ap. Ex Aud. SSmi 15 April. 1836.

**Utrum in indulto lato pro civitate et Dioecesi F. sub nomine condimentorum ex adipe intelligi possit usus adipis cuiuslibet animalis.**

**R. SSmus respondit: Utendum tantum condimento suino.**

S. Poenitent. Ap. 30 Ianuarii 1866.

**Utrum uti liceat iusculo diebus Veneris et Sabbati quibus permittuntur condimenta ex adipe animali.**

**R. Sub terminis** *condimenti di grasso* **non comprehendi iusculum carnis coctae.**

Instr. S. C. de Prop. Fide IO Iunii 1868 — Ad Vicarios Ap. Sin.
Quoad dispensationem a ieiunio et abstinentia
in casu coincidentiae exordientis anni sinensis cum primis quadragesimae diebus,

**S. G. de Propaganda Fide apprime sollicita ut omnes Vicarii Apostolici Imperii Sinarum ac Regnorum adiacentium qui a S. Sede facultatem obtinuerunt dispensandi a ieiunio et abstinentia in casu coincidentiae exordientis anni sinensis sive cum primis Quadragesimae diebus, sive cum aliis diebus extra Quadragesimam abstinentiae consecratis, unam eamdemque methodum in usu praedictae facultatis observent, sequentes regulas praescripsit:**

1. Itaque sciendum est, in indulto de quo agitur, nedum fideles et sacerdotes sinenses, sed etiam missionarios europaeos comprehendi.

2. Quamvis hoc indultum a S. Sede concedi ut plurimum soleat Vicariis Apostolicis ad decennium, iidem tamen cavebunt ne dispensationem pro toto simul decennio largiantur, sed iuxta diversorum casuum necessitatem de anno in annum per litteras circulares mature transmittendas; quibus missionarii et fideles dispensatione pro anno proxime futuro illis concessa praemoneantur.

3. Pro causa dispensationis numquam alleganda erit coincidentia exordientis anni sinensis cum diebus iuxta Ecclesiae leges ieiunio vel abstinentiae consecratis, sed dumtaxat graves difficultates, in quibus ob temporum locorumque circumstantias generatim versantur fideles quoad plenam earumdem legum observantiam.

4. Quo anno contigerit exordium anni sinensis incidere in aliquem diem abstinentiae ante Quadragesimam, fas erit dispensationem concedere pro omnibus abstinentiae diebus illo anno occurrentibus a kalendis Ianuarii usque ad initium Quadragesimae, iniuncta tamen missionariis et fidelibus, ad tantam indulgentiam aliquantulum compensandam, obligatione servandi eodem anno ieiunium et abstinentiam in pervigilio Desponsationis, aut Purificationis B. M. V. vel etiam cuiuslibet alterius intra annum festi pro prudenti arbitrio singulorum Vicariorum Apostolicorum. Ii autem diligenter attendent ne pro eiusmodi ieiunio et abstinentia pervigilium designent, quod cum exordiis anni sinensis occursurum praevideant, atque insuper iubebunt ut in pervigilio quod dictis ieiunio et abstinentiae deputaverint, missionarii et fideles peculiares preces adiungant ad Deiparae opem pro rei christianae prosperitate implorandam.

5. In casu coincidentiae exordii anni sinensis cum primis Quadragesimae diebus lex abstinentiae et ieiunii ad tres Rogationum dies transferetur. Sciant tamen Vicarii Apostolici non plures ieiunii dies missionariis et fidelibus hoc tempore esse imponendus quam initio Quadragesimae (communi lege) observare tenentur, et quoties unius tantum diei ieiunium ob praedictam coincidentiam sit transferendum, satius esse illud remitti ad feriam IV Rogationum seu pervigilium Ascensionis.

Haec sunt quae circa usum memorati indulti S. C. in conventibus pro negotiis Missionum sinensium successive habitis die 5 Iulii 1841, die 3 Octobris 1845, die 3 Augusti 1850 declaranda, seu praescribenda duxit. Quae quidem omnia cum a Gregorio XVI san. record, et regnante summo Pontifice Pio IX plene fuerint approbata, haud dubium est quin Vicariis Apostolicis Imperii Sinarum Regnorumque adiacentium sedulo diligenterque serventur.

S. C. de Prop. Fide. C. G. IO Sept. 1634. — De dispensatione votorum.

**An missionarii possint dispensare in voto simplici castitatis, ex eo quia in eorum facultatibus excipiantur tantum vota ultramarina et Compostellae ac Liminum Apostolorum.**

**R. Gum in facultatibus concedendis regulariter excipiantur vota simplicia castitatis et religionis, non posse missionarios, cum facultatibus eis concessis, in simplici voto castitatis dispensare, nisi expresse illis hoc fuerit in eisdem concessum.**

S. C. S. Officii 23 Iunii (875. — Baionen.
Lex de non permiscenda piscibus cum carne in Quadragesima
obligat etiam indulto gaudentes.

**Utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus Quadragesimae attingat omnes qui vi indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos qui ieiunant.**

**R. Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam partem; et detur decretum 24 Martii 1841, nempe ad dubium: «An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis, eos etiam respiciat qui ad unicam comestionem non tenentur, uti iuvenes antequam tertium compleverint septennium, aliique rationabiliter ab eadem excusat! ob impotentiam vel laborem»: Emi decreverunt:** *Non licere.*

S. C. S. Officii 5 Febr. 1890. — Vic. Ap. laponiae Merid. — Dubia quoad ieiunium.

**1. An in hac Missione teneamur servare abstinentiam in vigiliis quoad ieiunium suppressis.**

**2. An Christifideles prohibeantur comedere carnes, quoties per diem edunt, omnibus diebus quoad ieiunium simul et abstinentiam abrogatis.**

**3. An obstringantur prohibitione ne permisceantur epulae in omnibus diebus, item quoad ieiunium et abstinentiam abrogatis.**

**4. An obligentur Christifideles, qui in Quadragesima utuntur licentia vescendi carnibus, ad visitandam ecclesiam semei in hebdomada, et ad recitandum ibi quinque** *Pater, Ave* **et** *Gloria* **in honorem SS. Sacramenti, quia id in indulto Missionis de Hong-Kong ad nos extenso, tamquam conditio a S. Sede inserta putabatur.**

**R. Ad 1. Negative, facto verbo cum SSmo.**

**Ad 2. Negative.**

**Ad 3. Affirmative, in eadem comestione: et ad mentem. Mens autem est quod ratione consuetudinis R. P. D. Vicarius Ap. id indulgere valeat quod magis in Domino expedire iudicaverit, et idem Vicarius Ap. opportune instruat fideles eosque pedetentim inducere studeat ad observandam prohibitionem promiscuitatis.**

**Ad** 4. **Id remitti prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Vicarii Apostolici.**

S. C. S. Officii 27 Ianuarii 1892 — Vic. Ap. Victoriae Nyanzae.
An dux vel herus habeat in suos potestatem iudiciariam et coercitivam.

**Ex usu huius regni, quicumque dux vel minimus, etiamsi super decem viros tantum praepositus, plenariam potestatem iudiciariam et coercitivam in suos subditos habet, ita ut etiam capitalem sententiam pro suo lubitu in eos ferre possit. Item herus super servos suos. Nec admitterentur ad suos subditos delinquentes ad aliud tribunal deferendum. Forma autem iudicii usitata valde summaria est. Quaeritur:**

1. **An dux vel herus christianus, tuta conscientia, servato iure naturali et divino, hanc potestatem in suos subditos vel servos exercere possit, et etiam capitalem poenam in eos decernere ob enorme crimen, v. gr. si quis subditus eum vel alium vult perdere, vel persequentibus ad necem tradere causa religionis vel alia?**

2. **Quatenus affirmative, ipso de suo iure interrogante, missionarius potest eum monere de suo iure sive in genere sive in casu particulari?**

**R. Ad primum et secundum tolerari posse donec accurata iudiciorum forma inducatur, salva iustitia, et dummodo in gravioribus causis, saltem capitalibus, procedatur quo mitius poterit, et de consilio proborum virorum.**

S. C. S. Officii 22 Decembr. 1880 — Ratisbonen.
De censura quoad clericos praesumentes contrahere matrimonium civile.

**Per Const.** *Apostolicae Sedis* **excommunicationi latae sententiae, Episcopis sive Ordinariis reservatae, subiacere declarantur « Clerici in sacris constituti vel Regulares aut Moniales, post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere praesumentes. » Quam censuram aliqui extendi etiam ad eos clericos defendunt qui** *civile,* **quod vocant, matrimonium contrahere attentant in locis ubi decretum** *Tametsi* **Concilii Trid.** *Sess. 24, cap. i, de Reform, matrim,* **promulgatum et in usu est.**

**Haec vero sententia ab aliis reiicitur. Quaeritur ergo utri sententiae sit adhaerendum.**

**R. Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales, post •emissum solemne castitatis votum, praesumentes contrahere matrimonium, sic dictum** *civile,* **in locis ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere in excommunicationem latae sententiae, Episcopis seu Ordinariis reservatam.**

S. C. S. Officii 20 (unii 1866 — Vic. Ap. ad Gallas.
Dubia quoad Gallas qui mortale odium fovent in occisores aut feritores parentum.

**Mos est apud Gallas independentes, ut si quis occidatur aut gravi vulnere laedatur, ab eo ipso temporis momento omnes et singuli eius propinqui et contribules teneantur mortale odium iurare adversus omnes et singulos interfectoris propinquos et contribules, eosque ad internecionem persequi, nemoque se possit hac obligatione eximere quin iura socialia in propria tribu amittat, ab eaque tamquam hostis expellalur. Hoc autem ulciscendi sanguinis ius et officium tamdiu durat, donec •certa pecuniae summa, arbitrorum iudicio definienda, luatur homicidium, et sic tribus, ad quam pertinebat interfectus, satisfactionem recipiat. Quae satisfactio frustra speraretur, sublata eiusmodi obligatione suscipiendi praedictam inimicitiam sive vindictam, quoniam apud Gallas independentes omnino desiderantur publici magistratus, qui criminibus puniendis iuribusque tutandis invigilent. Quocirca postulatur:**

1. **An inimicitiae praedicto modo exercitae haberi possint veluti iustum bellum unius tribus adversus alteram.**

2. **An possit admitti ad Sacramenta qui ex una parte protestatur se nullum prorsus odium vel simultate!» animo fovere adversus homines inimicae tribus, quin imo paratum se esse cupidumque exhibendi eis consueta amicitiae signa statim ac iuri suo fuerit satisfactum : ex altera vero parte promittit se nunquam quaesiturum occasionem fixandi •cum hostibus, sed eorum occursum declinaturum, ne in discrimen coniiciatur, aut acceptandae pugnae, aut, si recuset, incurrendi in suorum offensionem.**

**R. Ex tribus quae ad iustitiam belli requiruntur conditionibus, legitima nimirum auctoritate, iusta causa, et convenienti modo, manifestum est, tertiam omnino desiderari in facti specie quam dubium primum attingit. Modus enim conveniens id maxime postulat, ut bellum non ulciscendi crudelitate neque nocendi cupiditate geratur, sed recta intentione obtinendi debitam satisfactionem, utque innocentius, quan-**

tum fieri potest nequaquam noceatur. At Gallae simul ac aliquis ex eorum familia vel tribu fuerit interfectus, mortale iurant odium adversus omnes et singulos interfectoris agnatos, eosdemque sine delectu, si obvios habeant, aggrediuntur, feriunt, trucidant, id unum spectantes ut barbaro ritu sanguinem sanguine expient, donec consueta inter eos satisfactio praestetur. Neque vindictam sumunt publicae auctoritatis ductu, cuius tantum est denunciare ac dirigere bellum, sed privati in privatos ferarum more insurgunt; neque in antecessum examinant utrum casu vel licitae defensionis necessitate, nec culpabiliter admissum fuerit homicidium; neque priusquam ruant ad arma, vias omnes sive per se sive per communes amicos pertentant, quibus debitam sibi satisfactionem pacifice valeant obtinere, sed ut refert in alia epistola idem Vicarius Apostolicus, ab eo ipso temporis momento quo homicidium aliquod aut lethalis vulneratio accidit, cuncti interfectoris interfectique agnati ita statim se separant, ut non modo quodcumque locutionis vitaeque commercium secum invicem abrumpere, verum etiam si fiant obvii, ad internecionem usque confligere teneantur. Quae omnia quantum a convenienti belli gerendi modo, imo ab ipsa veri belli notione abhorreant nemo profecto non intelligit. Curet igitur Vicarius Apostolicus, curent missionarii omnes in regionibus illis commorantes, ut tam barbaram et perniciosam consuetudinem ex qua incredibiles hominum strages ac bonorum devastationes oriuntur, de medio radicitus tollant.

Sed interea admittere poterit ad Sacramentorum participationem qui ita animo sit comparatus, ut in dubio 2. exponitur? Responsio pendet a notissimas theologiae moralis principiis circa dilectionem inimicorum, restitutionem ex causa homicidii, et dispositiones ad suscipiendum Poenitentiae Sacramentum necessarias. Quibus principiis minime refragatur regula illa quam Vicarius Apostolicus tradidisse se narrat missionariis sibi subditis, ut nimirum Sacramenta ei non denegetur qui protestatur se nullum odium personale in animo habere, et nihil aliud velle per externam inimicitiam nisi quod de iure sibi competit iuxta patrias leges, simulque promittit se omni pacto effectarum ut a caede cuiusque ex inimicis abstineat. Hanc igitur regulam sequi poterunt missionarii quoad eos qui pertinent ad familiam vel tribum interfecti. At si agatur de iis qui sunt e familia vel tribu iniusti interfectoris, requiritur praeterea ut, quantum in ipsis est, prompti ac parati sint debitam satisfactionem praestare, atque subire potius suae ipsius tribus offensionem, quam aggredi et laedere quempiam ex adversa tribu, si forte obvium habeant, excepto iure propriae defensionis cum moderamine inculpatae tutelae.

S. C. S. Officii 20 Martii 1686. — Dubia quoad nigras aliosque silvestres.

*Propositiones:* 1. **Licitum est nigros, aliosque silvestres, nemini infensos, vi aut dolo captivare.**

2. **Licet nigros, aliosque silvestres, nemini infensos, vi aut dolo captivatos emere, vendere, et de illis alios contractus facere.**

3. **Cum nigri, aliique silvestres, iniuste captivati, sunt permixti aliis iuste vendibilibus, licet omnes emere, sive ut dicunt, bonos et malos.**

**4. Emptores nigrorum, aliorumve silvestrium non tenentur inquirere de titulo eorum servitutis, sitne iuste vel iniuste mancipia, licet sciant plurimos eorum esse iniuste captivatos.**

5. **Possessores nigrorum, aliorumve silvestrium, nemini infensorum, vi aut dolo captorum, ad eos manumitlendos non tenentur.**

6. **Captores nigrorum, et aliorum silvestrium, nemini infensorum, vi aut dolo captorum, emptores, possessores, non tenentur ad eorum damna compensanda.**

7. **Licet possessoribus nigrorum, aliorumque mancipiorum, ex privata auctoritate manifesto mortis periculo exponere, vulnerare, cremare, occidere.**

**8. Licet nigros, aliosque infideles, doctrina-e fidei capaces, absque instructione mysteriorum fidei ad salutem necessaria baptizare, item eosdem baptizatos absque ea relinquere.**

**9. Domini nigrorum, et aliorum mancipiorum non tenentur impedire ne vivant in concubinatu.**

10. **Licitum est captivos post baptismum in servitute retinere, sint vel non sint iuste mancipia.**

11. **Licitum est ab haereticis emere nigros mediate vel immediate, aut quemlibet alium contractum ipsorum, mancipia remanere, et similiter vendere illis.**

**R. Ad** 1. **Non licere.**

**Ad** 2. **Non licere.**

**Ad** 3. **Non licere.**

**Ad** 4. **Tenentur.**

**Ad** 5. **Tenentur.**

**Ad** 6. **Tenentur.**

**Ad** 7. **Non licere.**

**Ad 8. Non licere, praeterquam in articulo mortis.**

**Ad 9. Teneri.**

**Ad** 10. **Negative, si iniuste.**

**Ad** 11. **Negative, existente mala fide.**

## APPENDIX IV.

S. C. S. Officii 12 Sept. 1776 — N. Miss, in Cocincina.
De mancipiis apud cambodienses christianos.

**Ab aevo cambodienses christiani in sui famulatum emunt laossenses aliosque ex populis confinibus, idque agunt etiamsi dubium fundatum sit, immo etiamsi aliquando certo sciant, quod illa mancipia fuerint in patria sua furto sublata.**

INSTRUCTIO **S. P. Pii** VI. — **Postulationi tuae sic duximus respondendum: In primis distinguendum est, num captivi laossenses qui a plagiariis veneunt, sublati fuerint** *legitimo eorum domino,* **vel potius liberi ac proprii iuris in plagiariorum iniustam servitutem devenerint. In primo casu non licet eos emere; etsi enim iniuste a plagiariis detineantur, nefas tamen est alienas res, furto ablatas emere invito domino. In secundo casu iterum pariter distinguendum est, num laossenses se christianis venum ire detrectent vel consentiant: si detrectant, emi nequaquam possunt, ipsi enim captivi domini sunt propriae libertatis, quamvis iniuste iis per furtum a plagiariis ereptae. Si vero postquam plene edocti fuerint iure sibi libertatem competere, a qua nonnisi aliorum iniuria exciderunt, ultro et sponte sua, et ex libera et propria voluntate, tamquam rerum suarum domini se exhibeant christianis** *ut ab eis recipiantur et detineantur in servitutem* **eo prudenti consilio ut a graviori et dura plagiariorum soluti, a qua ipsi datum non fuerit alio modo se emancipare, mitiorem apud emptores christianos servitutem sortiantur, penes quos etiam facile sibi persuadere poterunt, venire posse in cognitionem veri Dei cultus, eumque inaestimabili animarum suarum compendio profiteri, in his sane circumstantiis permitti poterit christianis, habito etiam respectu ad favorem fidei, ut possint eiusmodi captivos iusto pretio sibi comparare, et** *in propriam servitutem redigere et retinere,* **dummodo eo animo sint, ut eos tractent secundum praecepta caritatis christianae, et curent etiam rudimentis fidei illos imbuere, adeo ut, si fieri poterit, in libertatem filiorum Dei, quae in sola Catholica Ecclesia est, nulla tamen coactione facta, sed tantummodo opportunis suasionibus et hortationibus, libere et feliciter traducantur per eorum conversionem ad veram fidem.**

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## TREVIREN.

### DISPENSATIONIS xMATRIMONTI

*Die 20 Iulii 1895.*

**Sess. 24 cap. 5 de ref. matr.**

COMPENDIUM FACTI. Treveris die *19 Martii 1886* matrimoniali foedere iuxta S. C. Tridentini praescriptiones iungebantur Franciscus, in 31 aetatis anno constitutus et Susanna 24 annos nata.

Huiusmodi coniugium paucis hebdomadibus, lacrymabilem sortitus est exitum. Siquidem, uti asseritur, sponsus a spe perpinguis dotis frustratus, ipsa nuptiarum die irae aestu gravia convicia in uxorem eiusque parentes protulit. Hinc factum est, ut mulier, stupore et horrore simul vehementer affecta, prima nocte ac deinceps maritale cubiculum, quo magis poterat, aufugeret. At horror et indignatio Susannae , ita aucta est ob impudica verba, minas ac graves saevitias Francisci, ut, transactis fere duobus mensibus a coniugio, se recepit in domum paternam, abscisse protestata, se numquam ad maritum redituram fore.

Tunc Susannae pater a regio tribunali propter ignominias ac viri contumelias civilis matrimonii solutionem petiit, quam facile obtinuit die 20 Novembris 1889.

Praeterlapso non brevi temporis spatio, preces missae sunt Ordinario Trevirensi, ut a Summo Pontifice dispensationem obtineret super matrimonio rato et non consummato.

Statim Episcopus, marte proprio, instauravit processum per suum Ofidcialem, quo absoluto, idem Officialis solemnem tulit sententiam iudicialem, matrimonium in casu mansisse solummodo ratum, adesse legitimas dispensandi causas, ideoque esse Ordinario consulendum, ut a R. Pontifice petat dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

Quod cito Episcopus fecit, transmittere omnia processus acta ad Supremum Pontificem, atque valde coniugum preces pro dispensatione commendans. Idque ob duplicem causam; ut scilicet Franciscus, qui tantummodo matrimonium, ut aiunt, civile, interea temporis cum quadam Theresia contraxerat, in facie Ecclesiae matrimonium verum ac ratum inire valeret; infelici vero mulieri Susannae desiderata libertas restitueretur. Quibus addidit ex hac gratiosa dispensatione nullum umquam scandalum vel offensionem oriri posse.

## Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Antequam Theologus de merito causae iudicium proferat, praeviam inquisitionem de forma processus esse praemittendam putat.

Et praeprimis observat mirum non esse, quod praeses iudicii non fuerit Episcopus vel Vicarius generalis, sed Officialis, qui more illarum regionum septentrionalium a Vicario generali est plane distinctus. Quae consuetudo, ait, quamvis iuri communi videatur esse minus conformis, tamen ex sese est rationabilis longoque usu probata atque a Benedicto XIV, De synod, dioec. 1. III, cap. 3, n. 2, minime reprehensa.

At gravior, inquit, oritur difficultas contra competentiam illius Officialis Trevirensis in hac causa disceptanda et definienda. Cum enim agatur de instruendo processu canonico *in ordine* ad *petendam dispensationem super matrimonio rato et non consummato*, ut iudex sit competens, toties requiritur specialis delegatio Sedis Apostolicae, quemadmodum eruitur iam ex Benedicti XIV Const. « Dei miseratione » § 15, atque multo magis ex responsione S. C. C. ultimo anno Archiepiscopo "Warsaviensi data.

Iam vero in actis iudicialibus huiusmodi specialis delegationis nullum habetur vestigium. Quare totus iste processus, utpote a iudice non competente factus, omni valore est destitutus atque solummodo habet vim informationum extraiudicialium virorum in arte peritorum aut locum sup-

plet illius relationis, quam Benedictus XIV, 1. c. § 15 postulat, antequam examen iudiciale causae aut ipsi S. C. C. aut alteri tribunali committatur.

Verum, addit, admisso etiam quod ex actis de Pontificia delegatione constaret; nihilominus sententia ab Oificiali Trevirensi edita omni valore iuridico est destituta ob defectum potestatis in iudice. Quandoquidem huiusmodi delegatio dari solet *ad instruendum processum,* at nunquam *ad ferendam sententiam de facto non consummationis* atque *existentia et sufficientia causarum.*

Si exordium, subdit, et finis huius processus, vitio non carent, etiam aliae partes vitiosae existunt. Qua in re sane summi momenti est, ut inspectio corporalis mulieris in huiusmodi causis praescripta fiat secundum formam *Instructionis S. C. C. 22 Aug. 1840.* At ex actis accurata illius instructionis observantia erui nequit. Universa enim inspectio facta est a tribus medicis, e quibus unus (Dr. Thanisch) iam ante processum uxori, de qua quaeritur, curas suas impenderat. De usu balnei atque matrona adstante nihil in actis exprimitur.

Praeter haec animadvertit, quod testimonium septimae manus, cit. instr. S. O. C. ab *utroque* coniuge exigendum, tantum ab *uno* coniuge producitur, imo ex actis ne id quidem clare eruitur, quaenam pars septem illos testes nominant atque produxerit. Insuper nequit dubitari, quin iuxta cit. instr. S. O. C. examen testium septimae manus fieri debeat etiam *praesente defensore vinculi matrimonii;* ex actis autem iudicialibus examen illud factum est coram iudice ad hoc specialiter delegato atque actuario, sed de *defensore* vinculi *praesenti* nihil reperitur. Nequaquam enim praesentia defensoris vinculi matrimonii suppleri potest per subscriptionem ipsius postea appositam, ut fit in actis. Benedictus XIV cit. const. § 7, acta iudicialia in causis nullitatis matrimonii declarat nulla et irrita, si iisdem defensor matrimonii non legitime interveniat.

Hisce omnibus, urget, si addatur ad instruendam causam

omnino requiri, ut non desit *votum defensoris* vinculi actis iudicialibus appositum (cfr. cit. caus. Warsav. et Analect. eccles, vol. II, pag. 257) ultimus defectus in actis huius processus videtur esse notatus ; huiusmodi enim votum defensoris matrimonii proprium et formale in actis non reperitur, nisi quis breve illud incisum in sententia Officialis, tanquam votum defensoris admittere velit, quo per transennam dicitur consentiente defensore matrimonii illam sententiam latam fuisse.

Quibus quoad processus formam praehabitis : Theologus duplicem quaestionem solvendam sibi proponit; nempe 1) An certis et indubitatis argumentis positive constet, matrimonium in casu non esse consummatum; 2) an sufficientes adsint causae, quae matrimonii istius, forte non consummati, solutionem suadeant. Quoad primam quaestionem affirmat deesse in casu validissimum et principale argumentum matrimonii rati et non consummati, videlicet inspectionem corporalem mulieris, qua signa physica inviolatae virginitatis certo existere comprobatur. Etenim primus medicus (Dr. Staub) testatur, quod in Susanna *hymen* non amplius existat, imo ne vestigia quidem illius reperiantur, indeque deducit, *certum* quoddam signum virginitatis, eo quod hymen desit, non iam adesse. Cui assertioni addit, inde tamen certo concludi non posse, Susannam copulam carnalem habuisse, quoniam hymen per masturbationem aut per inquisitionem medicorum, quae de facto intercesserit, *potuerit* esse destructus.

A quo testimonio Dr. Tanisch in suis depositionibus omnino non differt. Pariter enim fatetur, signa virginitatis in Susanna non amplius existere, item subiungit, quod *hymen non amplius* adsit.

Tertius denique medicus (Dr. Mittweg), postquam testatus est, quod hymen in parte dextera cicatrices habeat, in parte sinistra recenter laceratus sit (id quod putat ex inquisitione medicorum eo die facta esse derivandum), tandem concludit, in casu secundum scientiam coitum neque affirmari neque negari posse.

Quae testimonia medicorum cum indubitanter illud probent, ex inspectione corporali absolute nullum argumentum vel leviter probabile repeti posse in favorem non consummationis matrimonii Susannae, consequitur, quod nullo modo procedi possit ad matrimonii dissolutionem, quia evidentissimum esset periculum violandi ius divinum atque solutionis plane irritae et nullius momenti.

Medicorum testimonia non modo nullum argumentum praebent inconsummationis matrimonii, sed potius gravem constituunt praesumptionem in favorem consummationis. Etenim matrimonium celebratum, quod sequitur cohabitatio coniugum, non supponitur mansisse ratum, nisi contrarium probetur. Iam in casu nostro genitalia in ea conditione reperta fuerunt, quae potius consummationem insinuant. Sane destructio hymenis explicari *potest* cum primo doctore per masturbationem a Susanna ante matrimonium patratam. At mera possibilitas non est argumentum probabile, multoque minus certum. Insuper eo in casu si Susanna huiusmodi peccatum confiteretur, nulla fides ipsi esset habenda, allegaret enim in proprium commodum suam propriam turpitudinem. Praeterea idem medicus tanquam causam *possibilem* assignat inquisitionem medicorum, quae ante illud examen in iudicio locum habuit ; sed huius coniecturae nullam affert rationem probabilem. Quare multo naturaliter destructio hymenis in Susanna videtur explicari, quod post matrimonii celebrationem illius consummationem tentant. Certe argumenta valde gravia requiruntur, quibus haec praesumptio elidatur. Porro haec argumenta in themate reducuntur ad iuratam assertionem utriusque coniugis de matrimonio non consummato et ad testimonium septem testium, qui iuramentum credulità tis emiserunt.

Iamvero, prosequitur, tota difficultas in eo versatur, utrum hisce duobus argumentis plane *certa* an solummodo *probabilis* habeatur probatio. Assertio autem utriusque coniugis certam illam probationem non videntur suppeditare ; nequaquam enim testimonia inter se conveniunt. Uxor enim

ad quaestionem: « Num maritus tuus tecum copulam *tentavit* et quoties? » respondet: « Numquam. Id enim mihi non fuit possibile propter tractationem ». Cum denuo ab uxore quaereretur, num membrum virile mariti semel vel iterum saltem ex parte in ipsius vaginam cum aliqua seminis virilis effusione penetravit, in actis iudicialibus ad quaesitum praecisum et distinctum non legitur accuratum responsum uxoris ad verbum datum, sed tantum brevis et obscura responsio : ex quo erui posse videtur quod vel ipsum *tentamen* copulae locum non habuit, etiam *partialis executio* coitus non exstitit. Instante iudice : « Num marito tuo *sponte* vel *invita* copulam permisisti? Num in actu (coniugali) situm convenientem adoptasti, sin minus, num hoc consulto an per imperitiam accedit, » denuo in actis idem legitur responsum : « Numquam ». Quae responsio ipsa verba uxoris non videtur referre, sed potius abbreviationem quandam extensoris actorum iudicialium, sed ut constat ex cit. instr. S. C. C. ipsae responsiones partium examinatorum ad verbum sunt scribendae, non abbreviationes quaedam et summariae.

Quid iam pro sua parte respondet maritus? Ad-questionem : « Num statim post matrimonii celebrationem (cum uxore) mensam et thorum communem habuisti, » maritus respondet inter alia: « Dormivimus simul in eodem lecto, postquam ipsa per horam id facere recusavit. *Tentavi* actum coniugalem, sed rem efficere non potui : 1) quia apertura vaginae fuit nimis arcta ; 2) quia ipsa hernia laborabat ». Quaestioni, hisce verbis conceptae : « Num unquam efficere potuisti, ut membrum tuum virile in vaginam uxoris penetraret? » idem maritus respondet: « Nunquam. *Tentavi* tamen *decies* vel *vicies* ». Denique ad quaesitum: « Num uxor tua sponte vel coacta copulam permisit » in actis legitur responsum mariti: « Tantum coacte ».

Quae responsa mariti imprimis assertionibus uxoris manifeste sunt contraria. Susanna aperte *negat* vel ipsum *tentamen copulae,* at maritus, *tentamen* factum esse sine ambagibus *fatetur,* imo, *decies* vel *vicies* tentamen fuisse repe-

titum concedit, denique, id ab uxore tantum *coacte* esse admissum, sed qui coacte facit, tamen facit. Ergo coniugum assertiones non sunt concordes neque ulla est ratio claras et determinatas confessiones mariti, quae ipsi minime favent, plane reiiciendi atque generales et obscuras negationes uxoris admittendi. Quare uxor per negationem tentaminis a vero aberravit atque rem falsam asseruit. At maritus quoque rationem reddit frustrati tentaminis, quae cum testimoniis medicorum non concordat. Ipse enim illam frustrationem repetit ex apertura nimis arcta vaginae uxoris suae. At Dr. Stanb disertis verbis testatur, vas mulieris esse in conditione *normali;* item Dr. Tanisch addit vaginam Susannae esse sufficienter largam, « ut *vir etiam robustus* in ea versari potuerit » atque ambitum vaginae commercio carnali cum Susanna attentato non obstare. Denique Dr. Mittweg invenit in ipsa inspectione corporali Susannae « apparatum sexualem ad exercendum coitum perfecte aptum » , imo subiungit, *unum digitum* atque *adeo duos digitos* citra ullam difficultatem in vaginam Susannae inseri posse. Quae medicorum testimonia allegatam a marito difficultatem de nimis arcta apertura vaginae in uxore manifestae falsitatis arguunt. Cui rei accedit, quod maritus pro suo turpissimo loquendi modo de penetratione vasis muliebris in coitu miras videtur habere notiones. Quare si ipse negat, se non potuisse membro suo virili penetrare in vaginam mulieris, id nondum probat, ipsum saltem non partialiter penetrationem potuisse perficere. Hinc si uxori proposita fuit illa quaestio de partiali penetratione, multo magis marito, fuisset proponenda, sed de hac re acta tacent. Si deinde maritus interrogatum num effusio seminis locum habuerit, quaestio ipsa nimis generaliter parumque accurate est concepta; interrogandum enim fuisset, uti factum est in examine mulieris, num nulla effusio seminis intra vel extra vas mulieris facta sit. Responsio igitur, a marito data : « Nequaquam. Si de re quadam irascor, id (i. e. seminis effusio) non fit », pariter non est accurata et potius evasiva, ratio autem subiuncta de ira-

cundiae effectu non est facile credenda. Nam ut medici testantur, si vir in copula perficienda invenit obstaculum in vase mulieris, potius magis ad passionem et libidinem excitatur.

Quibus animadversionibus factis concludit, ex assertioiiibus coniugum *certum* argumentum pro non consummatione huius matrimonii peti non posse, quoniam ipsorum testimonia non concordant, difficultatibus et dubiis sunt obnoxia atque *factum certum* et indubitatum destructae virginitatis physicae in Susanna *nulla probabili ratione* explicant.

Quare cum testimonium coniugum ex sese plenam et certam fidem non faciat, parum corroboratur testimonio septimae manus. Nam huiusmodi testimonium tantum allegatur ab *una* parte, sci. uxoris; porro non est datum *praesente* defensore vinculi matrimonii, neque singuli testes *seorsim,* ut cit. instr. S. O. O. praescribitur, fuerunt *examinati,* sed omnes simul in tribunali comparent, neque de *causis,* unde habeant hanc scientiam fit examinatio, neque de testium fide et honestate acta iudicialia quidquam continent, sed omnes stabili brevique formula testantur, se assertiones duorum coniugum in casu de non consummatione matrimonii habere credibiles. Huiusmodi attestationibus certitudo facti per veras tabulas iudiciales comprobata non habetur.

Unice igitur restat examen lanii Thiel et parentum Susannae. Verumtamen examen lanii Thiel est exigui momenti. Etenim is fatetur, Susannam nunquam coram ipso de vita coniugali conquestam esse, imo sese illam vix cognoscere. Quoad Franciscum maritum Susannae, testatur, illum *post* matrimonium *civile* cum secunda sua uxore contractum sibi dixisse, quod cum prima uxore coitum perficere non potuerit. Ex priore parte huius testimonii de Susanna evidenter nihil eruitur, altera autem pars solummodo illud insinuât, quod uxor exacerbata suo marito paulatim denegant debitum coniugale, at quod nunquam locum habuerit aliqua copula coniugalis, quae sufficiat ad consummandum matrimonium certo deduci non potest. Insuper huiusmodi testi-

monium Francisci post celebratum matrimonium civile est summopere suspectum; nam post admissum istud delictum et scandalum matrimonii civilis in regione catholica a viro catholico celebrati, huius rei aliquem praetextum allegare debuit.

Ex depositionibus parentum Susannae imprimis illud eruitur, quod Franciscus neque patri neque matri Susannae unquam conquestus sit, sese cum uxore sua copulam coniugalem perficere non posse. At pater testatur, Susannam *sibi* dixisse, cum actio divortii in foro civili iam esset intentata, copulam coniugalem cum Francisco nunquam habuisse locum; mater vero deponit idem a Susanna dictum esse antequam divortium in fóro civili peteretur, sed *cui* Susanna haec dixerit, mater disertis verbis non dicit. Reliqua per parentes Susannae illud clare demonstrant, Susannam ultimis temporibus vitae coniugalis constanter denegasse debitum coniugale; nimia enim iam facta erat aversio animorum inter coniuges. Exinde autem deduci non potest, primis temporibus, cum lites illae graves nondum ortae essent, matrimonium nunquam fuisse consummatum, maxime cum suis parentibus et praesertim matri nihil unquam hac de re dixerit, nisi tandem aliquando post inchoatum processum divortii in foro civili.

Profecto S. C. C. in compluribus causis sententiam tulit, certo constare de matrimonio rato et non consummato, licet hymen uxoris repertus fuerit, saltem in aliqua parte dilaceratus, ut constat ex variis causis relatis in Act. S. Sed. vol. XII, p. 629, XIV, 361, XVII, 367; secus enim viduae vel mulieres corruptae omni spe carerent obtinendi dispensationem super matimonio rato, etiamsi aliunde certis argumentis factum non consummationis matrimonii esset probatum. At in casu non agitur de vidua vel muliere corrupta, sed de uxore, quae sese virginem honestam fuisse gloriatur atque vel ipso turpiloquio sui mariti dicitur summopere perturbata. Nihilominus ipsius hymen certo et plene reperitur des tractus, atque huius certi facti in actis processus

referuntur explicationes, quae ad summum sunt coniecturae quaedam medicorum, sed probabili vel certo fundamento non innituntur. Testimonia autem aliunde petita non sunt concordia, neque in legitima forma iudiciali data, neque a dubiis fundatis aliena. Res cum ita se habeant Theologus putat, sententiam, de matrimonio non consummato in casu edi non posse ; argumenta enim ad summum probabilia non sufficiunt ad certam ferendam sententiam.

Quodsi de facto non consummationis, in casu constaret, de altero requisito ad dispensationem concedendam i. e. de iusta causa satis superque constare asserit. Nequit enim dubitari, quin matrimonium illud cum sufficiente maturitate et consilio non fuerit praeparatum atque nimis cito celebratum, antequam sponsi sese sufficienter cognoscerent. Hinc etiamsi libere matrimonium sit contractum, tamen aliquae consanguineae mulieris , quae pro moribus feminarum conciliatrices istius matrimonii exstiterunt, nuptiarum celebrationem nimio fervore promoverunt. Franciscus igitur et Susanna aliqua ratione excusantur, cum non ex propria praecipitatione adeo imprudenter ad nuptias convolarunt atque, idcirco tanto magis compassione et gratia digni sunt.

Cui rationi accedit, quod coniuges sint evidenter disparis indolis, ut felix matrimonii exitus sperari non possit. Maritus enim est vir atrox atque moderationis nescius, uxor autem est mulier timidae et mitis indolis. Quare mirum non est, quod mox dissidia inter coniuges orta sint atque tanta est animarum dissensio, ut reconciliatio non iam sperari possit.

Ipse autem maritus est in tristissimo periculo animae suae. Celebrato enim matrimonio civili cum alia muliere, ex qua iam prolem suscepit, vivit in concubinatu, ex quo difficulter liberabitur, nisi prius matrimonium legitime dissolvatur. Susanna vero cum nulla sit spes conciliationis atque vinculo matrimonii contracti impediatur a novo matrimonio celebrando ad coactum quendam statum virginitatis est redacta et incontinentiae periculo exposita ; gratia autem

apostolica dignior est quam maritus, quoniam perversa libertate legibus civilibus concessa huc usque non est usa.

Quae rationes profecto abunde sufficerent ad dispensationem petitam concedendam tum ex natura rei, tum ex praxi recepta S. C. C, quae in similibus casibus votum consultati vum emisit de concedenda solutione matrimonii rati.

Cum ex hactenus deductis in casu nondum certo constet de matrimonio non consummato ; Theologus concludit in forma legitima probationes coadiuvandas et supplendas esse.

VOTUM CANONISTAE. Vicissim Canonista etsi admittat neque ex medicorum declarationibus, neque ex coniugum depositionibus matrimonii inconsummationem demonstrari posse, sive quia medici post corporis mulieris inspectionem declaraverint inconsummationem nec probari nec negari posse ; sive quia coniuges in depositionibus suis veraces haud esse videntur ; uterque enim sibi et medicis contradicit in dictis : nihilominus sustinet ex eorum verbis aliquid certi et quidem pro matrimonii inconsummatione concludi posse. Ex depositionibus enim apparere ait, ex ipsis istis contradictionibus, primo: nullam esse collusionem inter partes; nam in essentialibus plane discrepant. Uxor negat tentamina copulae contra depositionem viri, saltem 1892 anno; unum tantummodo semper affirmant copulam non esse sequutam, et quidem 1887 anno, quum maritus contrarius erat separatione Apparet secundo, coniuges copulam nunquam perfecisse, id enim quod conqueritur maritus de *hernia* et de angustia vasis mulieris ostendit, eum uxorem suam non cognovisse, quum neque herniam habeat nec angustam vaginam. Copulam locum non habuisse confirmatur ex iis etiam verbis impudicis mariti prolatis ad servos, ut : « hac nocte eam penetrare *non valut* etc. » et ad ipsam uxorem : « Hac nocte canis meus nobiscum in cubiculo erit; *nisi mihi obediens,* ipsum in te incitabo. » Cur vero nunquam potuit maritus copulam perficere? Medicus qui eam inspexit anno 1886 haec habet: « Quum maritus Susannae conquestus sit, se cum ea copulam perficere non posse, examinavi eius

muliebria et reperi ea omnino bene formata ; probabiliter tamen agrestes impetus mariti nimiam irritabilitatem causaverunt. » At mala tractatio mariti orta videtur esse ex impossibilitate copulae habendae et hanc consequebatur non vero causabat. Id testatur parochus an. 1887 et an. 1892 ipsa fassa est mulier maritum valde iratum fuisse ob copulam non sequutam et hac de re cum ea rixatum esse et coram aliis conquestum. Quod vero sponsus sperasset largam dotem a parentibus et quum spes haec eum frustrata esset, male tractasset uxorem, hac de re neque parochus, neque parentes, neque ullus ex testibus mentionem faciunt. Satis intelligitur cur mulier hanc causam praecipue attulerit, ut impotentiam nimirum suam celaret.

Canonista quaerit quaenam possit dari impotentia quum medici mulierem omnino bene conformatami invenerint? Et respondet hic agi de impotentia ad copulam quae ex malefìcio exsurgit.

Sunt, inquit, qui dubitent utrum possit dari impotentia ex malefìcio, quum omnis impotentia subsit naturae legibus. At, etiam tentationes ex corrupta natura nostra originem habent et leges naturae sequuntur : « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua » *(lac. I, 4);* et tamen « Adversarius vester diabolus, dicit Princeps Apostolorum (7 *Petr. V, 8, 9)* tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret », et S. Paulus *(Ephes. IV, 12):* « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus ». Daemon utitur viribus naturae ad tentationes excitandas; ita similiter potest uti legibus physiologieis ad impotentiam causandam. Impotentia enim potest consurgere multis ex causis. « Cum ergo haec, dicit Sánchez *(lib.* VII, *dis.* xciv) daemonem non lateant, poterit illis uti. Praeterea quia duo reddunt virum ad venerem aptum, nempe calor et spiritus. At daemon potest calorem minuere, ac spiritus impedire, viam illis praecedens. Adde tristitiam, timorem, nec non et alios animi

affectus sanguinem transmutantes et spiritum cordis afficientes, omnem rei venereae facultatem impedire. At daemon illas affectiones excitare potest. Cum animos turbare et homines dementes reddere valeat . . . femina communiter maleficiatur per solam opinionem, seu phantasiae laesionem : potest enim vir accedere, nec vigor membri relaxatur: at cum conatur accedere, illa subitohorret . . . Solet tamen quandoque daemon vas foemineum arctare ». Quod igitur impotentia coeundi aliqua ex naturali causa explicari nequeat, nec ullum obstaculum naturale in coniugibus, notum in Medicina, inveniri possit, non ideo impotentia neganda sit, quum factum impossibilitatis coeundi prostet. Mulier fassa est se nupsisse maritum ex quodam affectu, paratamque fuisse a principio debitum coniugale, reddere marito, et tamen copulam nunquam perfici potuit. Maritus interrogatus, an tentamina copulae consequeretur seminis effusio? id negavit dicens, nimiam tristitiam huiusmodi effusionem impedire. Et tamen medici in vasis generationis mulieris nullum defectum invenerunt; et maritus illegitimam prolem ex alia iam habet. Impotentia igitur est relativa in utrisque, et quum « ex radice naturali consurgere nequeat » ut dicit Sánchez, adnumeranda est impotentiae quam ex maleficio antiqui dicebant.

Quo vero ad causas quae matrimonii non consummati solutionem suadent, eas plures et quidem graves adesse, facile dari posse censet; adest enim et moralis impossibilitas reconciliandi coniuges ; et maxime exasperatio eorum animorum quum neque tempore cohabitationis, vel semel concordes fuere; et quod maximum est, maritus novum foedus cum ancilla sua coram magistratu civili inivit, prolemque genuit.

Quibus tam super matrimonii inconsummatione, quam super existentia causarum dispensationis relatis, concludit consulendum esse SSmo pro huiusmodi dispensatione obtinenda.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Sacri Vinculi defensor causae meritum aggrediens, propugnat monumenta, quibus Susanna demonstrare nititur matrimonium cum Francisco initum, post duos vitae coniugalis ferme menses, opere imperfectum mansisse, fragilia omnino esse : sive quia tabulae iudiciales, ut sapienter advertit atque docte demonstrat eximus consultor theologus, nullitatis vitio a calce ad carceres tabescit, sive quia in se spectata nullius prorsus ponderis sunt.

Tria profecto in medium affert Susanna. Confessio, scilicet, coniugum, testimonium *septimae manus,* non ex utriusque, sed ex unius tantum coniugis latere depromptum, et specimen a tribus medentibus in corpore Susannae peractum.

Adesdum : coniugum confessio, cum Franciscus, non. minus quam Susanna matrimoniale vinculum dissolvi cupiat, nil probat, ceu docet Sánchez *lib. 2, disput. 45, n. 33.* Nec ullo in iudicio confessio attenditur in favorem confitentium. Huc accedit quod Franciscus atque Susanna passim pugnantia loquantur.

Testimonium vero *septimae manus* praeterquam quod imperfectum est, quia desideratur ex integro *septima manus* alterius coniugis, nullo prorsus in pretio haberi potest, quia testes perfunctorie atque omnino abnormiter, ceu advertit lectissimus consultor theologus excussi sunt.

Medicorum denique cognitorum iudicium adversae actioni minime suffragatur, sed potius refragatur. Non enim hymenem neque aliud physicae virginitatis argumentum deprehenderunt medici cognitores: sed in deliciis habent affirmare Susannam in alvo non gestasse

Hisce raptim expositis S. Vinculi defensor concludens, miratur quomodo haec causa, omnium desperatissima, honorem assequi potuerit, ut coram amplissimo EE. PP. Consensu disceptetur.

Quibus praehabitis, propositum fuit diluendum sequens suetum

## Dubium

*An sit consulendum SS ilio pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casui*

RESOLUTIO. S. C. Concilii re maturo examini subiecta, sub die 20 Iulii 1895'respondendum censuit: *Non constare de non consummatione matrimonii.*

———• • #.———

## ALBINGAN.ENSIS

### MATRIMONII

*Die 17 Augusti 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Die 4 Septembris 1872, praeviis denunciationibus seu proclamationibus publicis, servatisque omnibus ceteroquin de iure servandis, coram proprio parocho, et testibus, matrimonium ini vere Franciscus et Anna ambo Dioecesis Albinganensis, qui eo ipso die coram civili Magistratu ratum habere voluerunt. Infenso tamen sydere! dum enim laeti pergunt debita iura tori subire, matrimonium ita solemniter ratum consummare haud potuere. Rei uxoriae inexperta neo-sponsi putabant initio rem propriam conficere; sed parum morae, et vir persentivit se non posse, suis conatibus minime obstantibus, in vas femineum penetrare. Noluit uxori, quam adamabat, cognitum obstaculum aperire ne illi coniugii gaudia praefocaret : verum ut novit mulierem ipsam suam ad debita iugalia solvenda difficultatem sensisse, tum ingratum animi sui sensum aperuit, et de initi matrimonii iniucunditate lamentatus est. Spe bona tamen erant ex medici promisso, qui inventum obstaculum chirurgica posse operatione amoveri mulieri venditavit. Agebatur enim de membrana quadam vulvam obstruente facillime, ut putabatur, intercidenda. Quid vero? Licet de viri consensu membranae praedictae incisionem medicus ille tentaverit, resistentem tamen ita illam invenit, ut cessare ab incoepto

debuerit, verens periculosum nimium sanguinis profluvium, quia peracta incisione uteri adytus non patuit.

Patrato vulnere obducto, copulae iterum sumpsere tentamina, qui sperabant obstaculum fuisse praedicta operatione sublatum. Sed pristinum adhuc existere impedimentum coniuges facile sentiunt. Tum eis persuasio inerat de impedimento agi perpetuae impotentiae, quod postea Doctores physici nedum ad brevitatem meatus vaginalis, ut initio Aloisius Fontana arbitratus est, ob membranam escoriaceam et resistentem, qua vagina obliterabatur, cuius incisio haud sine vitae periculo paragenda, sed et ad uteri carentiam, seu inevolutionem aut etiam athrophiam determinarunt.

Ea propter Franciscus tum ob naturalem generandae prolis inclinationem, cum etiam, ut vulgato in populum irriti matrimonii scandalo obviaret, dicebatur enim duos inter mares matrimonium fuisse celebratum, in ius Annam vocavit apud civile tribunal die 15 Iunii 1877, quarto a celebrato coniugio anno recurrente.

Ex processualibus tabulis ab hoc primi gradus Tribunali confectis, haec probatissima consistere, quae Actoris patronus, proposuit: 1. Quod ante Instantis cum Anna matrimonium huius parentes organicum Filiae vitium resciverint, quo ad matrimonii debita reddenda aeque ac iura assequenda inhabilis efficiebatur. 2. Quod ipsa Anna mensibus recurrentibus aegrotabat ob fluxuum defectum, nec, nisi sanguinem hirudinibus vel alias subtrahendo invalescebat. 3. Quod, matrimonio durante Dr. Aloisius Fontana ab Anna rogatus, ut, si fieri posset, ab se impedimentum matrimonii bonis fruendis removeret, eiusdem genitalis organi vitium chirurgica operatione minime destruere" potuisset.

Tribunalis iudex die undecima Decembris 1877 sententiam super nullitate matrimonii inter Franciscum et Annam die quarta Septembris 1872 initi solemniter protulit.

Nulla ab hac sententia appellatione sequuta, sua utens libertate Franciscus, civiles, quas dicunt, nuptias cum quadam Marina contraxit, ex qua, suo tempore, prolem su-

scepit. Sciens tamen eas non matrimonii dignitate, sed sceleris societate coniunctas, eum facti sui poenitet, et verum cum Marina matrimonium, ad Ecclesiae instituta, concelebrare desiderat. Unde causam apud Curiam albinganensem contra Annam die sexta Septembris 1878 instituit, ut matrimonii cum illa initi, sex abhinc annis, nullitas impotentiae antecedentis et perpetuae defectu declaretur.

Auditis conclusionibus tum vinculi defensoris, cum Procuratoris instantis, Iudex specialiter etiam ab Eminentissimo Viro Caietano Cardinali Alimonda Administratore delegatus et iure et facto matrimonium a Francisco cum Anna die 4 septembris 1872, iuxta S. Romanae Ecclesiae formam et ritum initum, ob congenitum perpetuumque impotentiae impedimentum sua sententia, initio nullum declaravit, ideoque virum ad alia vota transeundi liberum reliquit.

Contra eiusmodi sententiam Vinculi defensor ad archiepiscopalem Ianuae Curiam appellationem fecit.

Curia illa metropolitana, nullum praeterea actum, ut sui muneris erat, confecit ad qualemcumque causae solutionem dandam usque ad annum 1894, idest, tribus ab ultimo recursu praeteritis annis, cum scilicet ad S. C. C. causa remissa fuit.

## Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Praemonu.it Consultor adesse, ad matrimonii resolutionem, duplicem viam, scilicet *iustitiae* et *gratiae*. Prima quidem demonstrando matrimonii de quo in themate nullitatem ob absolutae perpetuaeque impotentiae obstaculum, ipsum matrimonii contractum antecedens. Altera demonstrando, matrimonium, licet ratum, non fuisse consummatum, et legitimas existere causas in themate ad eiusdem dissolutionem obtinendam.

Primam adiri posse ex expositis arbitror : nam matrimonium ex capite impotentiae nullum est cum ipsa, sive absoluta, sive relativa censeatur, perpetua est et matrimonium antecedit. Atqui Annae impotentia perpetua et abso-

luta est et suum cum Francisco matrimonium antecedit. Ex hoc ergo capite nullum fuit.

Maior certissima est apud Doctores omnes ex cap. *Quod sedem 2, cíe frig. et male f. in fine,* ubi dicitur: *qui impotentes sunt, minime apti ad contrahendum, matrimonium reputantur.* Et hoc eo vel maxime si impotentia sit antecedens et perpetua, ut habetur in cap. *Ex litteris III,* eiusdem tit. ubi legitur : *Quod si tibi constiterit quod illud vitium a natura contraxerit, nec ope medicorum poterit iuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Et ratio est, quia *in matrimonio,* ut inquit sanctus Thomas, *est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum: unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere, ita non est conveniens matrimonii contractus si fat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit;* Supplem. p. 3, q. L VIII, art. 1 ad R. Neque opponendum quod carnalis copula de matrimonii essentia ex sensu Ecclesiae non sit, nam, ut idem Angelicus Magister pergit, *quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est de eius essentia, quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulae,* ibid. ad 1. Quae quidem auctoritates in eo fundantur quod dicitur Genes. II, v. 24 : *Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una :* quae verba Christus referens ita concludit : *ergo non sunt duo sed una caro* (Matth. XIX, v. 6). Atqui una caro coniuges revera non fiunt nisi per carnalem commixtionem, ad quam necessarium est *posse* in contrahentibus idipsum spondentibus, nam *impossibilem nulla est obligatio* 1. *Impossibilia* 185, ff. de R. I. et Reg. VI in VI Decret. Igitur quoties eiusmodi commixtionis potentia deest, una caro fieri nequeunt contrahentes : atque ideo nullus eorum contractus existimandus. Unde theologorum aeque ac iuristarum communissima sententia est, impotentiam perpetuam sive absolutam sive re-

lativam matrimonium subsequens invalidare: haud proinde ad maioris argumenti nostri demonstrationem immorandum diutius putamus et ad minoris veritatem evincendam gradum facimus.

Ac primo quidem Annae impotentia perpetua est et antecedens matrimonium, quae congenita demonstratur : atqui talis est Annae nostrae impotentia. Constat enim *a)* ex medicorum, qui Annae corpus inspexerunt, depositionibus iurisiurandi religione firmatis: *b)* ex viri depositione, eadem iurisiurandi fide, facta coram Iudice ecclesiastico : *c)* ex ipsa Annae agendi ratione apud utrumque civile nimirum et ecclesiasticum Tribunal : *d)* ex iurata testium septimae manus depositione quoad vulgatam inter parentes, amicos et vicinos de ipsius Annae impotentia opinionem.

Duorum hahetur concordia Peritorum Annae ad coeundum impotentiam declarant]'um, qui ex iure sufficiunt ad demonstrationem et probationem impotentiae, quidquid dicat Fulvius Pacian *Be probat. I. 2, c. 2, n. 26:* nam cap. *Proposuisti de prob, in fin.* ubi dicitur septem fuisse adhibitas matronas, et textus iuris civilis *I. temporibus 1 § si omnes 8 ff. de inspic. ventr.* ubi contra mulierem dicentem se esse praegnantem quinque requiruntur obstetrices, facillime interpretantur. Ad primum quod adtinet haec Sánchez scribit: *d. cap.* Proposuisti *non facit mentionem septem obstetricum, quasi tot necessariae sint, sed quia adhibitae sunt ad maiorem cautelam, et narrat factum* ac proinde est potius facti narratio quam iuris praescriptio, ut in verbis habet Schmalzgrueber *P. III, tit. XV de Frigid, et Male f.* et consentit Gdossad. *(in can. nec aliqua V. Obstetricum 27, q. 1).* Barbosa *in cap. Proposuisti, cit. n. 7.* Reiifenstuel *n. 36* aliique satis communiter. Quoad autem 1. *1'emporibus* dicendum cum Schmalzgrueber et Sánchez *ibid.* quod ibi sit praescriptio particularis in casu quo femina se ingessit dicens, esse praegnantem ; tum enim redditur suspecta in praeiudicium haeredum ; quando enim ipsa non se ingessit, imo negabat ex Glossa sufficiunt tres. Atqui in casu nostro nulla talis

decisio reperitur, quia numquam Anna se ingessit : nec septem igitur, nec quinque requiri testimonia peritorum, sed duorum tantum sufficere vel trium, *iuxta illud in ore duorum vel trium testium stat omne verbum,* dicendum est.

Praeterea in themate est ipsa mulier, quae suam fatetur impotentiam, ex depositione doctoris Fontana, qui nonnisi ab ipsa rogatus primo corpus eius inspexit; atqui doctoris Fontana, qui in prima inspectione facta, putavit obstaculum removeri posse artis suae remediis, et operatione peracta affirmat contrarium, nec novam sine vitae periculo incisionem fieri posse autumat. Id porro demonstrat plenissime, eo vel maxime si conferatur cum depositione doctoris Moraglia, obstaculum ad coeundum Annam *a natura contraxisse, si ope medicorum non potest iuvari* uti concludendum ex capp. *Ex Litteris 3,* et *Fraternitatis 6 de Frig.* et *Malef.*

Sed rem ultro conficit Franciscus, coniux Annae in sua depositione coram Iudice Ecclesiastico sub fide iurisiurandi facta, qua firmavit matrimonium consummatum non fuisse.

Nec sane falsitatis incusanda est haec viri depositio. Septimae namque manus propinquorum testes omnes conveniunt quoad honestatem Francisci quem periurii incapacem, in re adeo momentosa pernoscunt : neque simultatis in uxorem suspicandus, quum iidem testes una voce confirment nimio semper amore Annam prosequutum fuisse, neque ab illa seiungi umquam postulasset, nisi de eiusdem impotentia certior fuisse effectus ; quod certe conficit longum cohabitationis tempus etiam post cognitam ex Medici fide perpetuam putatae uxoris impotentiam. Immo nisi res ita pervulgata fuisset in universum Terrae Liguris populum nec forsan adhuc nullitatis matrimonii causam intentasset.

Equidem, ait Consultor, non agitur hic de vasis altitudine, sed de eiusdem obliteratione, quae nec chirurgica potuit operatione auferri. Quod *si peritorum iudicio,* inquit Schmalzgrueber, *habeantur indicia et signa* impotentiae, omnino certa et evidentia physice v. g. quod mas virilibus vel utroque teste careat, aut femina propter nimiam arcti-

tudinem ad omnem coitum indubitato inepta appareat, matrimonium hinc absque ulla mora *aliave probatione aut solemnitate dissolvendum est; neque opus erit eo casu coniugibus deferri iuramentum, sed sufficiet, quod id delatum sit, et praestitum a medicis, et aliis, qui eiusmodi signa adesse testantur;* Glossa in *c. 6 h. t. V. Matrona* Abbas *ib: n. 12.* Sánchez *lib. 7 de matrim. D. 107, n. S.* Gustrer *c. 120 de matrim, n. 3.* Pant. *lib. 7 cap. 66, n. 1.* Palatr. *28, D. 4, p. 14 § 9, num. 3.* Vivian, in *c. 1 v. Sed si h. t.* Barbosa *ib. n. 2* et in *c. 5, n. 8.* Vallens. hic *n.* 5. EngL *n. 6.* Zoe *n. 4.* Pirhing *n. 16, n. 1 fin.* "Wiestner *n. 51.* König *n. 12.* Reiffenstuel *n. 42.* P. Schmier^. *3 de matrim, cap. 2, n. 149. Ratio est quia tali casu certa est matrimonii nullitas, qua comperta iuri naturali adversatur carnale commercium. Tus Can. Univers. P. III, t. XV de Frigid, et M ale f. n. 78;* eo fortius id dicendum de matrimonio Annae cum Francisco, si illa femineis caret ex peritorum fide.

Praeterea Annae agendi ratio in caussis, tum civili cum ecclesiastica, veram et certissimam suam probat impotentiam, quam imo in se sensivisse et novisse quam clare deducitur ex eo quod, nullo inito cum viro consilio, Finarium ad mare solum cum matertera se contulit, ut Doctorem Aloisium Fontana de sua in coeundo difficultate interrogaret. Ab eo autem didicit, suam impotentiam non posse medicorum ope curari. Et ideo in ius vocata, numquam revera comparuit, nec se praepeditam excusavit : quae omnia suam puto valere confessionem si adhuc illa opus esset.

Sed timendane in hac Annae contumacia cum Actore collusio, ut matrimonii Defensor contra editam ab Ecclesiastico Iudice sententiam insinuât?... Quid ita? Numquam hercle in propriam et certam quis pernicitatem nisi insanus colludit ! Quomodo enim femina quae innato pondere ad virum tendit, cum viro colludit ut suum perdat et ab omni spe alium consequendi ultro deiiciatur ? Ecquis enim hominum impotentem ad matrimonium feminam et uti talem a civili et ecclesiastico Tribunali declaratam in suam vellet recipere uxorem?

Nemo sanus. Sed quomodo potest in Anna eollusio suspicari quae I° Seipsam exhibet Doctori physico observandam ob expertam in coeundo difficultatem? 2° manucurationi se submittens? 3° Promittens in causa civili vadimonium in quo novas subit corporis sui inspectiones, in quibus iterum suam impotentiam congenitam et perpetuam ad matrimoniales actus ob vaginae obliterationem, uterique carentiam seu atrophiam asserunt? Nec satis: sed 4° Ipsa Anna septimae manus haud tamen requisitos testes sua ex parte exhibet, licet alias ire noluerint, ut ipsa scribit; quia diurno tempore se Curiae Petram ligurem translatae sistere debuerant. Haec omnia nedum omnem excludunt collusionem, sed nec suspicari permittunt. Insuper 5° in causa civili Annae Patronus Franciscum alius feminae amore captum, nulla licet ratione suffultus inclamat, eumque ad alimenta mulieri praestanda sua conclusione compellit. Ex quo patet tum Annam contra virum egisse, quod collusionis suspicionem prorsus excludit. Et si eollusio admitti nequit in causa civili, nec iure in causa apud ecclesiasticum Tribunal acta, erit suspicanda. Alia proinde ratione perducta huic noluit adesse iudicio: sciebat enim trium iam peritorum concordem de congenitae impotentiae suae perpetuitate sententiam, nec ei spes aderat ulla (ipsa enim se sentiebat!) illam posse mendacii nova sui corporis admissa inspectione redargui, atque ideo Iudicis litteris rite in causam vocata sui praesentiam facere contemnit; nec forsan male; nedum enim ullum sibi persuasum erat victoriae lucrum ea ex causa obventurum, sed novum immo detrimentum certo certius adfuturum. Nec insuper Patroni fiducia inesse poterat Clientae, quae optime noverat nullam contra factum valere rationem, ac proinde quod congenitae impotentiae suae ad coniugii munia complenda insanabilitas factum erat haud oppido Causidici verbis removendum, quod chirurgicis efficacioribus instrumentis amoliri non valuit. Quamvis igitur *explicita* desit inconsummati matrimonii Mulieris *confessio,* quae tamen necessaria non est, datis peritorum testimoniis, iureiurando firmatis, de perpetua eaque con-

genita et absoluta coeundi impotentia, adest nihilominus *implicita,* ex eiusdem in causis tum civili, tum etiam ecclesiastica agendi ratione deducta.

Propositum nostrum denique magis abunde conficiunt septimae manus propinquorum seu viciniorum testes, qui omnes notam in vulgus Annae impotentiam ad coeundum referunt.

Age nunc si adeo certa sunt signa, quae impotentiam Annae ad matrimoniales actus demonstrant, ut eam nedum putatitius eiusdem vir, qui illius claustrum penetrara numquam potuit, sed et medici, qui eius corpus inspexerunt et praesertim Aloisius Fontana, qui illius impedimentum, eam manucurando, removere perperam tentavit; immo ipsa obstetrix, quae vulnus sexualibus illius partibus ad obstaculi remotionem chirurgica manu patratum medicatibus curavit, iureiurando afiirmarint ; iam non est, ut videtur iure ambigendum de nullitate matrimonii, a Francisco cum Anna initi die 4 Septembris 1872, ob perpetuum et antecedens impotentiae impedimentum quo mulier laborat. Id namque capite *Fraternitatis* VI de *Frigidis et maleficiatis* clarissimum est et DD. iudicio confirmatum ut supra. Non enim agitur de qualibet impotentia, sed de *impotentia absoluta et certo antecedens matrimonium;* quippe quae congenita est eidem Annae et a natura contracta, nec potest ope iuvari medicorum, nedum sine vitae periculo, sed absque ulla spe sanandi defectus, agitur enim de uteri carentia, vel atrophia, cum obliteratione meatus virginalis : et si haec chiriatri instrumentis tolli non valuit, quomodo medicorum ope uteri praesentia vel eius evolutio sive poni sive dari poterit ?... Igitur declaranda est matrimonii nullitas : et quia, ex capite impotentiae absolutae, inhibendum est Annae ita impotenti ad alia vota transeundi.

VOTUM CANONISTAE. In primis accurate determinandum videtur, ait Consultor, quale sit vitium, quo Anna in genitalibus laborat. Cum illa in ecclesiastico iudicio contumax extiterit, et vir, cui testes adstipulantur, nonnisi generice

de impotentia locutus fuerit, nulla alia superest via quam medicorum attestationes ad trutinam revocare.

Et primo doctor Fontana ex inspectione corporis Annae collegisse asseruit, vitium congenitum, matrimonio praecedens, secumferens absolutam impotentiam, nedum ad generationem, sed etiam ad coitum ex parte ipsius Annae. Hanc sententiam sequitur peritus Moraglia, et obstetrix.

His quoad factum praemissis, commemorandae videntur iuris canonici dispositiones. Apprime notum est, iuxta SS.Canones, impotentiam antecedentem et perpetuam quae matrimonium dirimit non esse impotentiam generandi, sed impotentiam tantum coeundi, qua scilicet vir et mulier carnaliter commisceri nequeunt. Inhabilitas enim habendi prolem in casu quo copula perfici possit, nil aliud est quam sterilitas, ex qua minime sequitur matrimonii nullitas, cum et illa extante obtineatur secundarius coniugii finis, idest sedatio concupiscentiae et mutuum adiutorium. S. Thomas *4. dist. 34, q. un. art. 2. ad 3.* Schmalzgrueber *lib. IV tit. XV n. 30.* Sánchez *lib. VII disp. 92 n. 36.* S. Alphonsus *lib. VI n. i095* etc. Porro in muliere uteri absentiam vel atrophiam, dato etiam quod in praxi certo dignosci possit, quod plerique medici negant, reducendam esse ad meram sterilitatem, probabilior sententia, quam praesertim recentiores tuentur, docet Eschbach *Disp. Phisiol. Theol. I, S,* D'Annibale *Theol. Mor. P. 3 n. 431 (9).* Gasparri *De matr. n. 514* etc., eo quia etiam deficiente utero immissio seminis virilis et receptio in vaginam, in quo potentia coeundi consistit, optime verificari potest. Quin imo si femina ita ostium uteri clausum seu obstrusum habeat, ut nec fluxus menstruus exire, nec sperma vivificum- ingredi queat, haud exinde dicenda esset impotens ad coeundum, sed tantummodo ad generandum. Rem more suo egregie demonstravit coram S. C. C. in suo voto in *Salernitana matrimonii 9 Augusti 1862* cl. Card. Tarquini, cuius verba hic exscribere opportunum duco:

« Facultas coeundi, qualis in iure canonico concipitur et ad matrimonium consummandum sufficiens habetur, eo actu

perficitur quo semina in vase naturali commiscentur, *Can. Extraordinaria c. 35 q. 2,* adiuncta Glossa, S. Bonaventura in *4. Sent. dis. 41, q. 1* in Conci. S. Thomas in *eod. loc. a. 1, quaestione 4 ad 2,* Sánchez *De matr. lib. 2 disp. 21 n. 5.* Inde enim coniuges fiunt una caro et secundarium as-r sequuntur matrimonii finem, qui est concupiscentiae sedatio. Iamvero haec omnia idest sedatio concupiscentiae, seminum commixtio atque inde in unam carnem coniunctio in ipsa vagina perficiuntur, ita ut nulla sit necessitas uterum penetrandi. Ergo, clauso licet utero, dummodo vagina libera sit, coeundi facultas, quatenus per se et a facultate generandi separata concipitur, integra manet, adeoque, si in actum exeat, matrimonium consummet ac firmet necesse est. Hinc porro est quod Pontius *De matr. lib. 'VII cap. 60 n. 3,* accuratam impotentiae coeundi definitionem tradere instituens -ait: *Impotentiam igitur coeundi voco impotentiam vere seminandi inter femineum vas, sive sit semen sua natura sterile, sive foecundum.* Non ait esse impotentiam transmittendi semen in uterum, sed impotentiam deponendi semen in vase femineo, idest in vagina; ita ut semine in vagina deposito, etiamsi uterus ob clausum ostium recipere illud non possit, coeundi tamen facultas vim suam expleverit actumque perfectum ediderit ».

Confirmat hanc doctrinam concors Doctorum opinio in casu simillimo, idest in eo quo mulier recipit quidem semen virile, sed susceptum non retinet. Simillimus, inquam, huic nostro huiusmodi casus est. Quae enim est ratio, cur, utero clauso, qui noster est casus, dubium instituatur de impotentiae impedimento? Nimirum quia 1um semen virile transmitti in uterum nequit. Atqui idipsum proponit in altero casu, in quo mulier semen vix receptum eiicit, nec proinde in uterum transmittit.... Et re quidem vera id vel in ipsis sacris uteris insinuatur , in quibus scilicet *habere clausum uterum* idem est ac esse sterilem vera ac proprie dicta sterilitate , quae nimirum una cum vero matrimonio omnino consistit, */. Reg. 1, 5, 6;* contra autem *aperire uterum,* de

Deo apud quem non est impossibile omne verbum, in iisdem id affirmatur, perinde est ac foecundam e sterili efficere, *Gen. XXX, 22 etc.* »

« Idem etiam confirmatur praxi adeoque doctrina Ecclesiae. Ipsa enim in iudiciis de impotentia ea tantum indicia inquirere consuevit, quae pertinent ad externum vaginae foramen, cuiusmodi sunt eius latitudo, amissio hymenis, carunculae myrtiformes. Numquam autem auditum est eamdem iussisse, ut ostium quoque, uteri sive digito, sive specillo aliquo tentaretur; quod tamen fieri debuisset, si uteri obstructio matrimonium irritaret. Adiiciam aliquid amplius: saltem usque ad Vallisnerii aetatem, qui sub initio elapsi saeculi floruit, inauditum fuisse aliquem eiusmodi causa iudicium de matrimonio dirimendo movisse : quandoquidem ille inter eas causas sterilitatis hanc recenset, quae ad sua usque tempora aut incognita aut neglecta fuerat. *Istoria della Generazione dell'uomo p. 3 c. 4 n. 33.* Adeo nimirum communis populi sensus cum iudiciis ac doctrina ecclesiae, cum sacrarum literarum testimoniis, cum opinionibus Doctorum, cumque intrinseca rei ratione apprime consonat ».

His praeterea addi posset quod si ad essentiam actus coeundi requireretur transmissio seminis virilis in uterum, impossibilis evaderet vera copula carnalis et idcirco matrimonii consummatio cum ea muliere quae ventrem gerit. Siquidem apud antiquos et recentiores medicos pariter vulgatum est os uteri in praegnantibus, saltem prioribus mensibus post foetus conceptionem, impermeabili ter claudi, adeo ut relate ad congressum cum viro nulla differentia videatur adesse inter huiusmodi occlusionem et illam quae ex naturali vitio profluit. Iamvero haud facile admitti poterit mulieres grávidas inhabiles esse ad carnalem copulam, quippe quod exinde sequi videretur illas per nefas marito commisceri, aliaque fluerent, quibus theologorum doctrina hac in re vel penitus subvertentur. Unde concludendum apparet cum cl. Eschbach *op. cit. disp. 1, cap. S, art. 1,* copulam coniugalem , qua coniuges una caro fiunt eam esse per quam

semen virile in vaginam muliebrem ingreditur, et idcirco tamquam minus accuratas aut saltem dubias habendas esse impotentiae definitiones, quibus plures utuntur, eam dicentes esse inhabilitatem *ad copulam per se aptam ad generationem, vel ad copulam perfectam* etc.

Post ea quae hucusque exposui iam in propatulo est quid sentiam quoad matrimonium Francisci cum Anna. Dato etiam quod, eo quia medici Fontana et Moraglia uteri existentiam in corpore Annae non perceperunt, illius absentia in probatis dicenda esset, non tamen hinc sequeretur probatio impotentiae coeundi, sed tantum impotentiae generandi, quae cum sterilitate confunditur et matrimonium dirimere nullatenus valet. Idipsum tenendum videtur iuxta superius disputata, de altero vitio, nempe de ostii uteri occlusione. Hac enim haud obstante, si immissio seminis virilis intra vas debitum seu vaginam mulieris locum habuit, coniugalis copula perfecta fuit et commixtio carnis evenit. Nec me nimium movet duorum medicorum sententia, qui uno ore ob praefatum vitium Annam ad generandum simul et ad coeundum impotem renunciarunt. Praeter quam quod enim in casu non agitur de peritis, qui stricte in sensu iuris potius ad iudicandum quam ad testificandum assumpti dici possint, perpendendum est, eos opinionem suam pandidisse iuxta sensum legis civilis et praxim laicorum tribunalium, proindeque eorum verba quoad relationem factorum non vero quoad iudicium esse attendenda. Perspectum est enim civilem potestatem, cum de re ad solam Ecclesiam spectante impio ausu legem ferre praesumpsit, absque ulla distinctione et nimis generice decrevisse : « I/ impotenza manifesta e perpetua, quando sia anteriore al matrimonio , può essere proposta come causa di nullità dall'altro coniuge ». *Cod. civ. it. art. 107.* Quando autem in singulis casibus haec manifesta impotentia verificetur iudicandum est a tribunalibus, quorum sententias hac in re minime uniformes fuisse nemo est qui ignoret. Certe vero saepe saepius a iuris canonici praescriptionibus absonae sunt. Sufficiat referre casum mulieris cui

utrumque ovari um penitus exectum fuit, cuius matrimonium valet ex decisione S. Officii *3 Februarii 1887,* cum exinde proveniat impotentia generandi tantum non coeundi, qui tamen casus ad ea quae scribunt Koeberlè et Ziino *med. leg. lib. 3, art. 2, § 174,* absque dubio apud laicos iudices habetur tamquam « valido argomento ad annullare il coniugio avvenuto, sotto la rubrica legale d'impotenza fìsica, manifesta, irrimediabile». Verumtamen in themate valde-dubito num, etiam inspecto sensu legis civilis, opinio duorum medicorum doctrinae sapientiorum et maiorum tribunalium plene cohaereat. Siquidem docet idem Ziino *loc. cit*% *§ 175:* « Data una donna con vagina pervia benché angusta e con organi genitali esterni esistenti benché deformati, l'impotenza nel senso della legge non potrà essere allegata né dimostrata, poiché s' entrerebbe nel campo mero della sterilità, ove ci è molto di arbitrario e d'ipotetico ».

Exclusa impotentia Annae ad coeundum ob absentiam uteri vel obstructionem, consideranda restat imperfecta vaginae conformatio, ac videndum an tale praeseferat vitium, quo impossibilis inter coniuges fìat maritalis copula. Praemitto hic, data natura causae, quaestionem de impotentia ita connexam esse cum quaestione de inconsummatione matrimonii pro obtinenda SSmi dispensatione, et unica tractatione utraque resolvatur. Cum enim extra omnem dubitationem positum sit, Franciscum et Annam, ceu ille deposuit, quadriennio cohabitationis decies et centies matrimoniali genio induisisse, si vitium in mulieris genitalibus existens non prohibuit carnis commixtionem, iam et impotentia et inconsummati in leves auras abibunt. In themate igitur si femina vagina careret, utpote quia deficeret vas naturale in quo semen effundi debet, profecto matrimonium consummari non potuisset, et cum ageretur de vitio congenito nullum esset ob mulieris impotentiam, ceu omnes Doctores tenent et S. C. C. firmavit in citata Salernitana *Matrimonii 9 Augusti 1862.* Verum hic, ut ait medicus Moraglia, « l'orifìzio della vagina esiste », licet eo canali, qui ordinario in

mulieribus reperitur, aliquanto brevior sit. Quid ergo? Vaginae longitudo talis ne est ut coitum seu copulationem in sensu iuris canonici perfici sinat? Fateor me imparem esse salebrosae huic quaestioni enodandae. Eo vel magis quod nonnulla desunt quae scitu necessaria viderentur. Sic, exempli gratia, haud constat adamussim quantum se interius protendat vagina Annae, scilicet ad *4*$^{cm}$, ut retulit doctor Fontana vel ad *6*$^{cm}$ ut ait doctor Moraglia, nec in comperto est num, attenta dilatatione, cui sub influxu veneris subiiciuntur partes illae genitales contractionibus obnoxiae, proportio adsit inter eam et mentulam viri, cuius corpus exploratum non fuit, ita ut locum habere possit membrorum insertio, quae ad matrimonii consummationem sufficiat. His positis, quoad haec exquirendum putarem votum periti super relationibus medicorum Fontana et Moraglia aliisque si obtineri poterunt, ceu S. C. C. decrevit in praedicta Salernitana, in Verulana *24 Ianuarii 1871* ac in aliis pluribus.

Quod ad me attinet haec animadvertere satis sit. Ex una parte recolendum est, mulierem saltem post aliquod tempus, in carnali actu explendo aliquid fuisse expertam, ex quo deduxit, rem uxoriam haud rite perfici, hancque causam fuisse ob quam illa prima vice ad medicum Fontana se contulit. Pariter pensanda venit sententia tribunalis civilis et opinio medicorum, qaae licet decretoria pro nobis haud sint, nihilominus dubium circa possibilitatem actus coniugalis ingenerant, et res eo adduxerunt, ut miserrima evaserit coniugum conditio. Ex altera vero parte diffiteri nequit plura etiam esse quae iuxta superius expositam doctrinam, in casu matrimonii consummationem suadeant. Siquidem certum est ex medicorum relatione exteriores genitalium mulieris partes nullam exhibere deformitatem, hymenem non amplius existere, vaginam autem quantumvis brevem, esse perviam ita ut semen viri recipere possit. Accedit quod Franciscus per annum fere antequam mulier ad medicum primum accederet, maritale opus saepe saepius explevit putavitque, ut ipse ait, « che le cose andassero », ac postea per aliud triennium a

coniugalibus amplexibus non destitit, donec uxorem dimisit^ non quia copulam carnalem cum ea perficere non valuerat, sed quia « saputesi le cose sopra esposte in paese, molti mi tacciavano di soverchiamente dabbene, per quello che mi venne riferito dall' uno e dall' altro, perchè continuavo a coabitare con lei, e dice vasi pubblicamente che io me ne potrei prendere un' altra, sicché venni nella determinazione ecc. ». Haec porro indigitant, virum priusquam medicum audiret non dubitasse de consummatione matrimonii, ac deinceps etiam maritalium congressuum satietatem persensisse, quae profecto excludere posse videntur tale in vagina Annae reperiri vitium ex quo coitus impediatur. Hisce observatis, non est cur ad trutinam revocemus dicta testium septimae manus relate ad impotentiam mulieris, sive quia ostendunt opinionem ab aliquibus relatam « che si era fatto un matrimonio fra due uomini. . . . che Anna era mezz' uomo e mezza donna » nimium a veritate distare , sive quia inde eruitur rumores invaluisse, postquam medicus Fontana Petram Ligurem petiit et quae ipse fecerat et dixerat plus minusve innotuerunt, adeoque aliud argumentum medicorum iudicio minime superaddere.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Iugale vinculum, quod die 4 septembris 1872 in aetate annorum 29 constitutus Franciscus contraxit cum Anna 17 annos nata, dissolvere pertentat, uxorem traducens in feminam ad coniugale officium ineptam.

Albinganensis iudex die 29 maii 1879 sententiam edidit Francisci votis consonam. Cui sententiae lectissimus consultor theologus subscribit : iure autem optimo merito adversatur eximius consultor canonista.

Enimvero Anna ex adversariorum sententia coniugali genio inepta ideo est, quia caret utero. Iam vero huiusmodi ratio in facto, et plus quam in facto, nutat in iure.

Quod ad factum attinet, ex complurium archiatrorum sententia, ceu sapienter advertit optimus consultor canonista, in praxi nunquam datur certo dignosci absentia uteri

vel atrophia. Praesenti vero in causa duo medici, qui Annae corpus recognoverunt, uteri absentiam vel atrophiam coniectam potius quam certam habeant.

In iure autem salutaris artis proceres tenent, uterum necessarium quidem esse ad generandum, minime vero ad coeundum. Coitus enim in vagina perficitur; quae praesenti in causa, etsi sit solito breviuscula haud tamen desideratur.

Nec dispensationi super matrimonio rato locum esse potest. Quatenus, enim uterus ad copulam perfectam necessarius non est matrimonium in controversiam adductum et ratum et consummatum certissime est. Si vero coitum absque utero concipi non posse et de uteri absentia vel atrophia constare in praesenti causa censeas, quod a veritate alienum existimo, matrimonium, nedum inconsummatum verum etiam irritum esset.

Quae cum ita sint, responsum ad utrumque dubium « *Negative* » submisse postulo.

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

## Dubia

1. *An sententia Curiae Albinganen. sit confirmanda.*
   Et quatenus negative.

2. *An consulendum sit S Sirio pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 17 Augusti 1895, censuit respondere: *Exquiratur votum medici peritioris, qui examinatis relationibus medicorum Fonta,na et Moraglia, referat an constet de impotentia antecedente matrimonium, perpetua et immedicabili Annae....*

# ARIANEN.

## ONERUM

*Die 20 Iulii et 17 Augusti 1895.*

**Concil. Trid. Sess. 24 c. 12, De ref.**

COMPENDIUM FACTI. In Cathedrali Ecclesia Dioecesis *Arianen,* cum singuli canonici propria et distincta praebenda non fruantur, *ex massa comuni^* ope distributionum, reditus beneñciales percipiunt. Non secus ac alia Capitula, Arianense Cathedrale Collegium direptiones passum est legum eversivarum Regni Italici ; quare inter ceteras usurpationes et ferre debuit in bonis *massae communis* taxam *trigesimi pro centenis* (30%). Verum ipsum Capitulum huiusmodi retentionis obtinere potuit restitutionem, docendo, praebendas non attingere reditus Libellarum *1600,* quamobrem immunes esse debebant vi ipsarum legum, a praedicta taxa. — Re quidem vera Fiscus singulis undecim Canonicis restituere coactus est reditus libellarum 240.

Postea vero ipse Fiscus certior factus, quod praebendae Canonici Thesaurarii alia unita esset sub titulo - *S. Petri de Reclusis,* - reddens Libellas 1249, adeo ut, cumulatis reditibus, iidem excederent Libellas 1600, portioni Canonicali Thesaurarii taxam *trigesimi pro centenis* statim applicavit, exigens praeterea ut in praeteritum *indebite* percepti fructus restituerentur *pro rata,* tum ab hodierno Thesaurario tum a defuncti Thesaurarii haeredibus. — Praebenda vero S. Petri in Reclusis taxae huius diminutionem iam subierat.

At Thesaurarius hodiernus nec non dicti heredes etiam *iudicialiter* condemnata ad hanc solutionem, contra capitulum regressum habuerunt, postulantes quod *pro rata* deficientium redituum, diminuerentur portionis canonicalis onera. Quod tamen praestare negavit Capitulum, asserens, se damnum pati non debere a Fisci usurpatione patrata *exclusive et expresse* intuitu canonici Thesaurarii. Inde exorta praesens controversia. Episcopus de more pro infor-

mattone et voto percontatus haec retulit: Capitulum Arianen, non habere praebendas particulares, sed communem massam, ex qua Canonici partes percipiunt aequales : Canonicum vero Thesaurarium habere, ultra partes praedictas, etiam praebendam propriam cum officio, et oneribus particularibus : quotam canonicalem Thesaurarii imminutam fuisse, ope *Demanii* ex libellis 240 quolibet anno ; ita ut Thesaurarius canonicus pro anno transacto, praesente et futuris ex communi massa percipiat libellas 240 minus quam ceteri canonici: pro annis transactis a 1873 ad 1893 Thesaurarium praesentem et haeredes praeteriti damnatos fuisse ad restitutionem libellarum 4500 favore Demanii et reiiciendas expensas iudicii in libellas 2200 ; controversiam inter Thesaurarium, et Capitulum nunc esse ut Thesaurarius dum acquiescit deminutioni lib. 240 exigat ut exoneretur taxis, quae respondeant praedictae deminutioni factae in sua praebenda canonicali.

## Disceptatio Synoptica

IURA CAPITULI. Capitulum invitatum ad sua deducenda iura, suas protulit allegationes, quae tamen omnes summari possunt in iam adumbrata ratione; nempe aequum non esse alios canonicos persentire damnum, quod Thesaurarius, quamvis iniuste, tamen ipse tantum passus est.

IURA THESAURARII. Sed e contra EE. PP. considerari debet quod iste casus, quamvis sub specie paulisper diversa, iam non una vice S. C. C. oblatus est, semperque uno principio resolutus fuit. Nimirum animadverterunt EE. PP., huiusmodi Fisci usurpationes in mensis communibus factas nullimode admittendas esse ad varianda praebendarum singularum iura et institutiones, sed habendas esse tamquam furta, ferenda a singulis pro rata, nulla habita ratione intentionis Fisci, potius unam, quam aliam praebendam diripiendi, unam aliamve augendi aut ditandi. Unde constans est S. C. C. iurisprudentia. Ita in *Theanen. - Adiadicationis redituum - die 8 Iunii 1889* - et in Parmen. *Distributionum - die 26 Iunii 1886,* nec non in *Cuneen. Adiudicationis redituum*

*die 30 Maii 1891,* et in *Aquipendien. — Adiudicationis redituum, die 24 Ianuarii 1894.* (1)

In Theanen, casus adamussim nunc proposito similis agitabatur. Nam redactis 26 canonicatibus, quibus coalescebat illud Capitulum, ad 12, et insuper subiectis superstitibus bonis taxae 30 °/₀ ; quum postea proventuum huius taxae partialis facta fuerit restitutio, ea tamen ratione, ut pauperiores praebendae augerentur, exorta est quaestio inter octo canonicos pauperiores approbantes et ratam habentes redituum distributionem a Fisco factam et alios quatuor eamdem divisionem improbantes, quippe subvertentem praebendarum legitimam institutionem. Quaestio fuit proposita S.C.C, sub hisce dubiis : I. *An restitutio illius sortis, quam gubernium iampridem detraxerat ob tributum* 30 °/₀ *cedere debeat in favorem omnium capitularium, an potius octo tantummodo, in casu;* II. *An fructus eiusdem sortis, ab anno 1813 ad annum 1886 cumulati, quos gubernium nuper restituit, dividendi sint inter omnes, an potius inter octo tantummodo canonicos, in casu ;* et respondere censuit - ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Ad II. *Affirmative ad primam partem pro rata unicuique debita, negative ad secundam.* - In *Parmen.* in consimili casu, S. C. C. canonicis concessit servare novam redituum distributionem a Fisco inductam tantummodo « *Pro gratia, iuxta preces, facto verbo cum SSmo.» In Cuneen.,* proposito hoc dubio « *An et quo?no3o summa a fisco assignata pro partiali redintegratione canonicatuum Chisolfi e Delia Chiesa sit dividenda inter praebendam eorumdem canonicatuum et communem distributionum massam in casu, »* S. C. C. reposuit « *Affirmative, pro rata damnorum tum praebendae tum massae et amplius"».*- Item - *in Aquipendien.*- quam non refero, quippe simillima est citatis et relatis.

Quibus animadversis quaesitum fuit quomodo resolvenda essent sequentia

(1) Recole Vol. XXII, 237, Vol. XIX, 252, Vol. XXIV, 150, Vol. XXVI, 601.

## Dubia

I. *An retentio taxae 30 °/₀ a fisco facta ex massa communi, intuitu praebendae Thesaurarii ferri debeat integre a Canonico Thesaurar io, vel potius pro rata, ab aliis quoque canonicis Massae participibus, in casu.*

Et quatenus negative

II. *An et quomodo onerum reductio concedi debeat Canonico Thesaurario in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 17 Augusti 1895 censuit respondere : *Ad I. Retentionem taxae 30 °/₀ sustinendam esse a Thesaurario pro rata quae respicit suam praebendam, ab omnibus pro rata quae respicit Massam communem. Ad II. Negative et amplius.*

## PARENTINA

### IURIS PRAESENTANDI AD BENEFICIA PAROCHIALIA

*Die 17 Augusti 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Parentinae dioecesis Episcopus S. C. Concilii sub die 31 Maii 1895 retulit: existere in sua Dioecesi plures paroecias patronatus privatorum, alias patronatus municipalis : harum ultimarum ius praesentandi, exerceri ut plurimum, a patribus familias in comitiis, quibus praeest aliquis, auctoritatem politicam repraesentans, aliquis ab Ordinario delegatus. Iuxta consuetudinem huius Dioecesis, accedente Apostolicae Sedis consensu, quando agitur de provisione beneficii paroecialis, indici concursum, cui accedere valent sacerdotes habiles reperti, quoad scientiam, in examinibus habitis semel aut bis in anno ; quorum efficacia protrahitur ad sexennium. Concursus indicti expleto termino, exquiritur votum prosynodalium examinatorum quoad alia concurrentium requisita.

Exquiritur etiam politicae auctoritatis sententia quoad civiles effectus. Hisce expletis, exhibetur patrono notula concurrentium, gradatim cum respectivis requisitis, et invitatur ad praesentationem faciendam.

Tandem ab Ordinario, in beneficio instituitur praesentatus, qui votorum pluralitate fruitur.

Accidit recenter, ut unicus concurrens ad paroeciam communalis patronatus, approbatus ab Examinatoribus prosynodales, exceptus a politica auctoritate, reiiceretur a pluralitate patrumfamilias, forsan ex tricis turbolentium ; qui etiam efficere possent, ut patronus privatus, aut communitas reiiciat concurrentem quemlibet, quamvis approbatione examinatorum donatum. Ex quo fieret, nisi consulatur, ut Episcopus iure providendi paroecias privaretur; et ideo idem Ordinarius quaerit an iure devolutionis instituere valeat in beneficio patronatus digniorem, quatenus patronus respuerit unicum, aut plures concurrentes, idoneos ab examinatoribus renunciatos.

Pro rite declaranda quaestione scriptum fuit Episcopo ut *« doceat quo iure adigantur patroni laici ad seligendum pro praesentatione inter eos quos Ordinarius, ex praevio concursu, idoneos renunciaverit; cum id iuxta art. 24 concordati anni 1855 dispositum dumtaxat videatur quoad paroecias patronatus ecclesiastici ».*

Episcopus respondit Litteris Sacrae Congregationis citans D'Aichner *Compendium Iuris ecclesiastici* - (§ 89, Edit IV. Brixinae 1874) pag. 320, come segue : « - In Imperio Austriaco quantum ad praesentationem observanda sunt quaedam peculiaria. Quotiescumque beneficium sive parochiale, sive aliud, vacare contingit, publico edicto convocantur qui beneficium obtinere cupiunt. Petitores ex more litteras supplices in quolibet casu ad Ordinariatum dirigunt. Si beneficium sit patronatus privati, patrono laico ab Ordinariatu tabella omnium competitorum, reiectis nonnisi minus dignis, exhibenda est, ex quibus ille unum designare possit. » -

Articulo XXIV, prosequitur Episcopus, Concordati anni

1855 praescribitur concursus cunctarum paroeciarum, tum iurispatronatus ecclesiastici, tum laicalis, absque distinctione. In casu vero iurispatronatus ecclesiastici, datur patrono, ex eodem articulo, libertas eligendi inter tres ab Episcopo praesentatos.

## Disceptatio Synoptica.

Quaestio igitur solemni iudicio EE. PP. proposita huc reducitur, an nempe patronis integrum sit nullum admittere ad praesentationem ex idoneis, a competente auctoritate declaratis, sive unus tantum idoneus declaratus fuerit sive plures, adeo ut iidem patroni ex hoc repudio a iure praesentandi non decidant, sed iterum eligendi inter alios approbatos ius habeant.

Cui inquisitioni, ut fiat satis, in primis distinguendus videtur casus, quo unus tantum idoneus renunciatur, a casu plurium approbatorum, quos inter praesentandum eligant patroni. Nam exploratissimi iuris est, *ius praesentandi* aequiparari *facultati eligendi;* siquidem in hoc consistit privilegium praesentationis, ut patronus eum valeat designare inter plures idoneos, quem digniorem et sibi magis benevisum reputet. Quamobrem penitus extenuatur, et tollitur privilegium praesentationis, ubi aufertur facultas electionis inter plures, aeque capaces canonicae praesentationis. Proindeque non videretur improbanda patronorum agendi ratio quando neminem praesentant, si unus tantum offeratur ab Episcopo approbatus. Improbandi vero essent patroni et deciderent a iure iterum praesentandi, si inter plures approbatos neminem praesentatum eligerent.

Sed ex adverso penitiore consideratione res indiget. Siquidem in iure praesentandi duo potissime continentur, nimirum *onus* gravissimum in patronis praesentandi idoneum imo digniorem inter idoneos; secundo ipsum *ius* praesentationis. SS. Canones, ut fideles allicerent ad sua bona impendenda in profectum Ecclesiarum, pios oblatores augere non dubitarunt *iure praesentandi* clericos in ecclesiasticis

beneficiis instituendos ; sed abusibus semper praecavere intenderunt. S. Conc. Trid. maxime in hoc adlaboravit, quare in *Sess. 24 cap. 1. De ref.* haec habet « *Omnes vero et singulos qui' ad promotionem praeficiendorum quodcumque ius, quacumque ratione a Sede Apostolica habent. . . . hortatur et monet . . . . alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint'. . . .* ».

His inhaerens vestigiis, etiam ius particulare incubuit, ut a patronis praesentandi non eligerentur nisi inter idoneos. In Imperio Austriaco vigent leges concordatae; et in propositum haec habet D'Aichner *«.opere cit. ab Episcopo, pag. 299 edit. 7. Brix.* » « Caeterum articulo XXIV nostri Concordati dictus concursus pro omnibus parochiis, etiam pro illis qui laicalis sunt patronatus praescribitur. Imo concilium pronvinc. Viennense (q. 175) etiam pro regularium parochiis administrandis formam tentaminis bis quotannis quoad scientiam- habendi praescripsit. » Episcopus vero in suis Uteris refert de modo *examinis* generalis *quoad scientiam* et de particulari *scrutinio* quoad alias qualitates concurrentium ad certum beneficium vacans, cui scrutinio et ipsi imperiales magistratus, quamvis indirectam, partem habent. Qui concursus patronorum praesentationi praevius, utique libertatem electionis limitat, sed aliunde patronos in suo officio continet ne legitimos praetergrediatur limites, *quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Unde prono alveo fluit, non cessare privilegium praesentationis, neve suo exercitio impediri, si unus tantum offeratur idoneus qui praesentetur. Namque in hypothesi, ex praemisso specimine constat, ob iuris praesumptionem, nullum alium adesse idoneum, vel aeque idoneum instituendum in vacanti beneficio. Neque in iure communi est insuetus casus, quo patronus unum tantum habeat idoneum, quem praesentet clericum. Hunc ita refert *D' Aichner op. cit. pag. 295.* « Si vero ecclesia iurispatronatus ecclesiastici est, ac institutio ad Episcopum pertinet, is instituen-

dus est, quem patronus digniorem inter idoneos probatos ab examinatoribus indicaverit et reapse praesentaverit. Cum vero institutio ab alio est facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligere iubetur digniorem, ut hic a patrono praesentetur ei, ad quem institutio pertinet. » Hinc casus expresse cavetur in *Concil Trid. Sess. 24 cap. IS De ref.*

Quo in casu et alio simili omnino ius patroni non f rustra tur et evanescit, quum semper patrono integrum sit legitime impugnare clerici institutionem, si aliquod iuri aut aequitati contrarium contineat, uti notat Reinffenstuel *De Iure patronatus, n. 68* et pluribus argumentis probat Barbosa *Lib. 3. Iuris Eccl. Univ. c. 12 n. 181.*

Verum nemo non videt quod hoc pacto restringi et pene extenuari non debet ius patroni, nisi necessitate cogente, adeo ut cuicumque fraudi praecludatur aditus.

Praeterea quaeritur, an in themate iam ad Episcopum sit ius devolutum liberae collationis in poenam non factae, suo tempore, praesentationis. In quod propositum advertatur, patronos non neglexisse praesentare, sed praesentare repudiasse; idque iure merito se peragere, bona fide arbitratus esse nos existimare debemus ; nemo enim praesumitur malus: *ignoranti vero et impedito tempus utile non currit.* Ita argumentantur etiam quoad *patronos,* taliter ignorantes aut impeditos, Reinffestuel 1. c. n. 55 quoad *patronos 55.* Garcías *De Benef. part. 10 c. 2. n. 34;* passim commentatores cum communi.

Quibus animadversis quaesitum fuit quomodo esset dubio respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 17 Augusti 1895, censuit respondere : *In casu Episcopus iterum invitet patronos ad praesentandum Sacerdotem, iam idoneum renunciatum in concursu, eosque moneat, quod si absque causa illum recusent, eidem dabit canonicam institutionem.*

# LIBURNBN.

## IURIUM CONFRATERNITATIS

*Die 7 Septembris 1895.*

**Concil. Trid. Sess. 22 c. 9. de ref.**

COMDENDIUM FACTI. In civitate Liburnen. inter alias Sodalitates, anteactis retro temporibus, constitutas a saecularibus hominibus, eo consilio ut « *saeculo vacare coacti, aliquos dies haberent, in quibus spiritu congregati, Deo vacarent eique debitum exiberent obsequium* », *Syn. Dioec. Liburnen.* principem tenuit locum Congregatio a ss. Cosma et Damiano nuncupata, sub anno 1575 erecta, quae a suo scopo et origine naturam induisse Confraternitatis laicalis videtur.

Quum Leopoldus I Hetruriae Rex anno JL785, spiritu Ecclesiae infenso imbutus, nequiora praecurrens tempora, decretum ediderit suppressionis Ordinum Religiosorum et Confraternitatum, etiam Confraternitas, a ss. Cosma et Damiano dicta, ab albo entium moralium iuridicorum coram lege civili expuncta fuit. At populus christianus aegerrime ferens huiusmodi usurpationes, turbis in civitate Liburnen. hac de re excitatis , obtinuit anno 1790, ut haec Sodalitas in pristinum restitueretur et, accedente decreto ecclesiasticae potestatis, unita alteri Confraternitati, a S. Barbara appellata, addicta fuit servitio Ecclesiae S. Catharinae. Deinceps Sodalitas suo titulo nomen addidit S. Barbarae.

Anno 1809; Ordine etiam PP. Praedicatorum restituto in Ecclesia S. Catharinae , quam vi suppressionis dereliquerant, a Regina Hetruriae edictum fuit, ut PP. Praedicatores paterentur, Confraternitatem vigere uti nunc est; scilicet cum iure inibi exercendi sacras functiones.

Non obstantibus nuperis Decretis, quibus Leges civiles huiusmodi Sodalitatibus quamcumque denegant iuridicam personalitatem easdemque proscribunt, viguit dicta Confraternitas usque ad hos dies in Ecclesia parochiali S. Catharinae, inibi PP. Praedicatoribus curam animarum agentibus :

an vero adhuc iure vigeat, vel potius iure meritoque a competente auctoritate dissoluta fuerit, est praesentis controversiae obiectum.

Re quidem vera hisce postremis temporibus videntur sodales a proprio instituto defecisse adeo, ut Parochus dictae Ecclesiae ad Episcopum retulerit : ex eiusmodi Sodalitio nihil aliud sibi parari quam cruces et tribulationes. Etenim idem sese censet independens a Parocho, ceu eruitur a Statutis, anno 1889 concinnatis, sine approbatione Ordinarii. Eius cappellanus est presbyter saecularis, qui functiones in Ecclesia paroeciali peragit absque dependentia a Parocho. Reprobanda omnino est, ait, negligentia fratrum quoad servitium sibi impositum; etenim paucissimi ex eis Ecclesiam petunt, ut functionibus adsint, et saepe vocandi sint pueri rudes, qui vices fratrum peragant, in eorum absentia cum scandalo fidelium. Saepe enim ab eisdem asci titus fratribus turbae fiunt et non raro blasphemiae audiuntur, a non piis sodalibus, Petiit ideo Parochus, quid esset sibi faciendum, in casu.

Episcopus permotus his relationibus, iussit Parochum dissolvere Sodalitium, petere rationum redditionem, constituere tres qui statuta redigerent pro nova Sodalitate, ab Episcopo approbanda.

Parochus iussa Ordinarii faciens, per decretum declaravit Sodalitatem esse dissolutam.

Confratres decretum ratum habere recusaran t, causantes incompetentiam auctoritatis, idem emanantis. - Quare Parochus statim hoc nuncia vit Episcopo, qui non solum probavit et decretum confirmavit sua addita subscriptione suique Cancellarii, sed exceptioni Sodalium revocavit tritum adagium « *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur* ».

Nihilo secius neque taliter ab Episcopo confirmatum Sodales decretum recipere voluerunt, asserentes, semper idem perseverare Parochi decretum, iam legitime repudiatum. - Quocirca Sodalitas antea recursum habuit ad Metropolitanum, qui Decretum extraiudicialiter confirmavit, postea ad S. C. C.

Notatu dignum est, quod interim Curia Liburnen. nunquam voluerit in dubitationem adducere vim editi decreti, proinde pro legitime dissoluta habuerit Confraternitatem, quam sub hoc nomine unquam amplius appellare voluit novamque Confraternitatem in locum dissolutae sufficere intendit. Imo post editum decretum, Archivio Confraternitatis, apposita fuerunt sigilla, quae ne a sodalibus resignarentur, auctoritas Ecclesiastica recursum habuit ad publicos politiae officiales, ut impedirent, prouti factum est, ne Archivio Sodalibus ullus pateret aditus.

Contra haec omnia Sodalitas recursum habuit ad sedem Apostolicam, exponens pro nihilo habendum esse decretum Ordinarii, quoad Sodalitii dissolutionem, quia caret causa motiva, et quia innititur opinione, idem Sodalitium esse exclusive *paroeciale;* dum e contra illud sit Confraternitas omnino *laicalis,* quae nullum subiit discrimen per leges Hetruriae anni 1785.

## Disceptatio synoptica

Ex officio animadversum fuit circa iuris quaestiones, quod Confraternitas autumat se non *ecclesiasticam sed laicalem* esse; quapropter subiectam haud esse Ordinarii iurisdictioni. Quin vero fìat longa disquisitio quoad naturam huius confraternitatis, cuius origo in antiquitatis tenebris delitescit, quod ad hodiernum statum, consuetudine magis quam centenaria confirmatum, videtur *ecclesiastica* potius dicenda haec sodalitas. Nam sub fine saeculi praeterlapsi in pristinum restituta, addicta fuit servitio cultuique divino in Ecclesia S. Catharinae, ea sub expressa conditione, *ut parocho subesset et loci Ordinario.* Quae conditio etsi non expressa fuisset, subaudiretur ; nam ex fine potissimum res suam naturam desumunt: et perabsurdum esset, qualecumque Collegium cuidam Ecclesiae parochiali inservire et cultui divino incumbere, tamen immune ab ecclesiastica potestate. - *Monacelli Formularium Leg. Append. decis. S. Bot. tom: IL D. 35.*

Quum sodalitas in themate subsit correctioni Episcopi, subintrat praescriptio Bullae Clementis VIII « *Quaecumque* » ad confraternitates moderandas editae in § *5* - statuentis: « Statuta pro regimine Ordinum Regularium et Institutorum eligentium et instituentium . . . . . . edita Confraternitatibus et Congregationibus erigendis et instituendis et aggregandis . . . . . impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem Episcopi decretis et moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant. » Ex quo inferunt Monacellus in *Form. For. Ecc. p. 2 t.13, for. 1, n. 49* - Ferrarius *V. Confraternitas, art. 6 novae additiones ex aliena manu n, 1,* posse Episcopum auctoritate ordinaria mutare et variare statuta confraternitatum, eisque novas leges quando opus fuerit servandas proponere - *S. C. C. in Ferrarien. 14 Septembris 1782 § Ad VI.*

Idem Monacellus *Op. cit. p. 1, tit. V, form. n. 53* haec habet : « Cum etenim huiusmodi laicorum sodalidates fuerint introductae in Ecclesia, ut aliquod pietatis institutum amplectantur, ut in fraternae charitatis vinculo copulatae officia religionis obirent, et piis operibus incumbentes aemulentur charismata meliora, quando haec non adimpleant, nec adimplere volunt cessat finis permissionis, et non erit amplius collegium pro fovenda religione, sed lucri et quaestus causa congregatum, quod non erit amplius tollerandum. . . . tamquam requisita d. bullae Clementis VII non habens.

Verum sodales excipiunt contra decretum dissolutionis, quippe a parocho editum non habente in foro externo iurisdictionem. Quae exceptio exploratissimo iure innititur si parochus, *qua talis*, admittatur Decreti auctor; an vero potius, qua delegatus, gesserit, auctoritate ab Episcopo demandata, sufficienter in ipso decreto expressa, saltem post Episcopi additam confirmationem.

Quomodo autem vis et vigor auctoritatis ordinariae, huiusmodi in casibus, canonica aequitate et prudentia tem-

peranda sint docet S. C. O. in Balneoregien. « *Admissionis alumni » diei 26 Augusti 1769*, qua inter alia proponebatur dubium sub n. II. « *An sint redintegrandi Confratres, ultimo loco deleti ab Episcopo, et respective delendi novi confratres ab Episcopo electi in casu.* » Episcopus enim ab albo cuiusdam confraternitatis nonnullos sodales, occasione S. Visitationis, expunxit aliosque suffecit. In causae propositione apud S. C. C. Promotor Curiae Fiscalis haec advertebat § *Expeditus*, iuxta relationem factam *in folio* - ibi - « Expeditus a primo dubio Promotor Fiscalis transit ad II, de quo sustinet, non tantum Episcopo, sed cuilibet etiam iudici vel magistratui, ad tuendam propriam dignitatem, permissum esse contra refractarios et inobedientes via oeconomica procedere, eorumque audaciam illico cohibere : *Bened. XIV Notif. 17 § 5, Sac. Congreg, in Asculana 24 Martii 1725 :* Addit, nonnullos ex his quos ab albo Sodalium Episcopus deleverat, die immediate sequenti, admissis eorum excusationibus in pristinum statum restituisse, idemque facturum fuisse quoad alios si eodem modo restitui postulassent. » - In eadem causa prius proposita *die 14 Ianuarii 1769,* Rmus Secretarius *in folio* haec animadvertebat in hoc propositum : « Quoad remotionem Sodalium ab albo confratrum tradunt doctores quod si defectuosi reperti fuerint praemittendae sunt monitiones, nec statim a catalogo delendi ; addentes quod pendente controversia super alicuius remotione manuteri is debeat in sua possessione interessendi cum ceteris, suffragium ferendi, aliaque omnia peragendi quae confratribus competunt. » Ita Posthius *Resol, civil. 42 per tot.* Card. de Luc. *De Praeeminent, disc. 38, n. 7 et seq.* Bassus *De Sodalit. in Misceli, n. IO.* Quibus omnibus perpensis EE. PP. rescripserunt proposito dubio : « Ad II *Affirmative in omnibus* ». Nihilominus sane EE. PP. noluerunt Episcopis denegare potestatem nonullos expungendi a numero confratrum, sed solummodo modum suggerere canonicae aequitatis quoad modum executionis : nam in cit. *Asculana 24 Martii 1725* proposito IV dubio: « *An liceat*

*Reverendissimo Episcopo removere Officiales et Ministros u confratribus electos, quatenus non sint idonei, et graves exceptiones patiantur »,* rescribere censuerunt *«Affirmative ».*

Quocirca liceat concludere, Episcoporum sollicitudini in sodalitatibus moderandis quamplurimis eosque efficaces praesto esse modos; sive statuta corrigantur, aut omnino mutentur, sive nonnulli sodales expungantur, sive ipsa sodalitas ex integro deleatur, congruis et legitimis praemissis monitionibus, prout casus ferat.

Hisce praemissis, propositum fuit enodandum

**Dubium**

*An et quomodo decretum dissolutionis Confraternitatis sustineatur in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congregatio re disceptata sub die 7 Septembris 1895, censuit respondere: *Affirmativein omnibus.*

# EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

CANARIEN. Dubium quoad dependentiam Religiosarum ab Ordinario Dioecesis, in qua morantur.

*Beatissime Pater*

Fr. Iosephus, Episcopus Canadensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus, exponit:

Non clare video relationes, quae haberi debent inter Ordinarium et Sorores, quarum Institutionis non sunt viri qui eas gubernent, etsi Institutio ab Ecclesia approbata fuerit; praecipue vero quoad eas quae nec a viris propriae Institutionis, eo quod hi minime existant, reguntur, nec ab Ecclesia adhuc approbatum sit eorum Institutum. Esto sint exemptae huiusmodi Sorores quoad potestatem dominativam, ex obedientiae voto ortam, certum esse videtur eas tali exemptione non gaudere respectu habito

ad Ordinarium, in cuius dioecesi morantur, quoad potestatem iurisdictionis regimenque externum. Nunc vero in praxi habent Sorores, de quibus agitur, quod illarum Superiorissae Generales eas ex una in aliam domum alterius dioecesis transferant, subalternasque Superiorissas instituant, ab officio absolvant, quin in nullo Ordinariis subiiciant tales absolutiones, istitutiones, translationes; imo nec eos consulant, nec conscios faciant.

Ita accidit in hac mea dioecesi quoad Sorores, quibus *de los ancianos desamparados* nomen est, atque eas quae *hjias* de Christo nuncupantur. Dubium augetur penes has ultimas, ideo quod, cum ab Ecclesia nondum approbata sit ipsarum institutio, nullum canonicum fulcimentum rationemque earum regularis existentiae habeant, in hac exordii periodo, praeter illa quae ab Ordinarii auctoritate derivantur.

His expositis, Sanctitatem Vestram humiliter rogo, quatenus mihi solvere dignetur sequens dubium :

Utrum Superiorissae Generales, de quibus est sermo in praecedenti expositione, saltem illae quarum Institutum approbationem Sanctae Sedis adhuc desiderat, quoties aliquam Sororem ex una in aliam domum alterius dioecesis transferre, vel Superiorissam subalternam instituere, sive ab officio absolvere velint, rem cum Ordinariis in quorum dioecesibus domus istae inveniantur conferre debent, illorum confirmationem obtinere, saltem assensum, vel illos de re conscios facere?

Et Deus. . . . etc.

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimi o -rum, S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, proposito Dubio censuit rescribendum, prout rescripsit :

*Superiorissas Generales, in casibus de quibus agitur, uti jure suo; et sufficere ut eaedem Superiorissae, ratione dumtaxat convenientiae, Episcopum loci de dictis dispositionibus certiorem reddant.*

Romae, 9 Aprilis 1895

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

# EX 8. CONGREG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo adnectuntur Indulgentiae Orationi ad Mariam Virg. pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad fidei unitatem.

c

*Brno Padre*

Il Presidente del Circolo Cattolico sotto il titolo dell'Immacolata esistente in Roma, a nome della Sezione che si occupa della *Preghiera Continua,* umilmente prostrato al bacio del S. Piede, implora dalla S. V. la grazia di una qualche Indulgenza per la recita della qui sotto unita preghiera, dettata da Sua Eminenza Rma il Vicario di Roma, allo scopo di ottenere da Dio, per l'intercessione della SSma Vergine, il ritorno delle Chiese dissidenti all'unità della fede, cotanto bramata e promossa dalla S. V.

ORAZIONE A MARIA SANTISSIMA
per il ritorno delle Chiese dissidenti all'unità della fede.

Vergine Immacolata, Voi che per singoiar privilegio di grazia foste preservata dalla colpa originale, guardate pietosa ai nostri dissidenti fratelli, che son pur vostri Agli, e li richiamate al centro dell'unità. Anche lontani, hanno serbato a Voi, Madre, la più tenera devozione; Voi generosa qual siete, ne li compensate, impetrando ad essi la conversione.

Vittoriosa dell'infernale serpente, fin dal principio della vostra esistenza, rinnovate ora che più stringe la necessità, gli antichi trionfi. Se i nostri infelici fratelli giacciono tuttor divisi dal comun Padre, è opera del nemico. Voi dunque smascherate le insidie, sgomentate le schiere di lui, sicché vedano essi finalmente come non sia possibile il conseguimento della salvezza fuor dell'unione col Successore di S. Pietro.

Voi che nella pienezza de'doni glorificaste fin dall'origine la potenza di Lui, che operò in Voi maraviglie sì grandi, glorificate il Figlio vostro, all' unico ovile di Lui sotto la guida del Pastore universale che in terra ne sostiene le veci, riconducendo le pecorelle smarrite, e sia vostra gloria, o Vergine, come d'aver sterminato dal mondo tutti quanti gli errori, così d'avere estinti gli scismi e riportata all'universo la pace.

*Eos Audientia SSmi die 1 Febr. 1896.*

Sanctissimus Dominus Noster Leo Pp. XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote superius exhibitam orationem recitaverint, Indulgentiam *tereentum* dierum semel in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgemus Sacrisque Reliquiis praepositae die 21 Februarii 1896.

ANDREAS CARD. STEINHUBER *Praefectus.*

L. £8 S.

*ffr* ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius*

De novo consensu eorum ad quos pertinet in casu quo Stationes Viae Crucis renoventur.

*Die 11 Ianuarii 1896.*

*Ord. Min. S. Francisci*

Fr. Raphael ab Aureliano Proc. Gen. Ord. Min. huic S. Indulgentiarum Congregationi sequentia humiliter exponit:

Pro legitima Stationum Viae Crucis erectione, S. Sedes plura sapienter constituit observanda sub poena nullitatis. Nam statuit « quod in erigendis eiusmodi Stationibus, tam Sacerdotis « erigentis deputatio ac Superioris localis consensus, quam re- « spectivi Ordinarii vel Antistitis et Parochi, necnon Superio- **re** rum Ecclesiae, Monasterii, Hospitalis et loci pii, ubi eiusmodi « erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia in scri- « ptis, et non aliter, expediri, et quandocumque opus fuerit « exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis, « ipso facto incurrendae ». Modo Orator petit a S. C. solutionem dubii sequentis:

Utrum in casu quo, ob Crudum vetustatem, vel ob aliam iustam causam renovari debeant Stationes Viae Crucis, in eadem Ecclesia sive Oratorio, in quo rite cum omnibus documentis, ut.supra a S. Sede praescriptis, erectae reperiebantur, praefata

omnia et singula documenta denuo sive oretenus sive in scriptis postulanda sint; vel sufficiat tantummodo ut novarum stationum benedictio fìat a Sacerdote ad id legitime deputato?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, relato dubio respondit die 11 Ianuarii 1896 :

Dummodo praesumi possit perseverare consensum eorum ad quos pertinet, *Negative* quoad 1[am] part., quoad 2[am] sufficere tantummodo novarum Crucium benedictionem.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die et anno uti supra.

ANDREAS CARD. STEINHUBER *Praefectus.*

L. © S.

✠ ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ALMERIEN. Dubium quoad delationem Imaginis B. V. Mariae in processionibus cum SSmo Sacramento.

In Oppido vulgo Gergal Dioeceseos Almeriensis in Hispania, mos est ut Dominica secunda Mensis Septembris in honorem Beatae Mariae Virginis, vespertinis horis fiat processio religiosa, in qua Imagines sive Reliquiae ipsius Beatae Virginis, Sancti Iosephi ac aliorum Sanctorum circumferatur, una cum Augustissimo Eucharistiae Sacramento. Hinc parochus eiusdem Oppidi dubitans, an huiusmodi praxis sit plane conformis Rubricis ac Decretis, a S. R. Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime flagitavit, nimirum :

Utrum extra festum Corporis Christi eiusque octavam, liceat in honorem Beatae Mariae Virginis aut Sanctorum in Vespertinis processionibus deferre Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et etiam Imagines sive Reliquias ipsius Beatae Virginis ac Sanctorum ?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature expensis, rescribendum censuit:

Ad Dubium: *Affirmative de consensu Ordinarii quoad primam partem: Negative quoad secundam.*

Atque ita servari mandavit.

Die 31 Ianuarii 1896.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI S. *R. C. Secretarius.*

ANNECIEN. Dubium quoad usum SS. Oleorum, anni praecedentis, in benedictione Fontis.

Instante Remo Dno Episcopo Anneciensi; ut in universis Paroeciis suae Dioeceseos, de Apostolica venia permittatur usus sacrorum Oleorum, anno praecedente benedictorum, usque ad Sabbatum ante Pentecosten exclusive, ne eo tempore absint a propriis Paroeciis Rectores vel Vicarii, quorum ministerio Christifideles egent: S. R. Congregatio referente subscripto Secretario, iuxta votum Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: *Parochus curet, ut Presbyter, vel Clericus, si possibile sit in Sacris constitutus, nova Olea Sacra recipiat. Quod si aliquod adhuc extet impedimentum, idem Parochus vel per se, vel per alium Sacerdotem benedicat fontem, sine sacrorum Oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore flet: nisi aliquem baptizare debeat, tunc enim in ipsa benedictione solemni vetera Olea infundat.* Atque ita servari mandavit.

Die 31 Ianuarii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

B1SARCHIEN. Dubium quoad cantum precum vel hymnorum lingua vernacula tempore Missae.

Rector Parochialis Ecclesiae loci vulgo Ozieri, intra fines Dioeceseos Bisarchien. in Sardinia, de consensu sui Remi Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime postulavit, nimirum:

An in eadem Parochiali Ecclesia a fidelibus intra Missam cani possint iuxta antiquum morem, a nonnullis annis interruptum, preces vel hymni lingua vernacula compositi in honorem Sancti vel Mysterii, cuius festum agitur.

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

*Affirmative de consensu Ordinarii quoad Missam privatam Negative quoad Missam solemnem sive cantatam, iuxta Ordinationis pro Musica Sacra Articulum septimum et octavum, non obstante Decreto 21 Iunii 1879 dato et aliis quibuscumque.*

Atque ita servari mandavit.

Die 31 Ianuarii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secret.*

DECRETUM GENERALE Anniversarii Dedicationis Ecclesiae

Ad omnes in posterum controversias circa Anniversarium Dedicationis Ecclesiae penitus evellendas, S. R. Cong. Comitiis pro nova Collectione authentica Decretorum evulganda, subsignata die ad Vaticanum habitis, statuit ac declaravit: L Dedicationem Ecclesiae, eiusque proinde Anniversarium esse festum Domini. II. Hinc Ecclesiae propriae Anniversarium, iuxta Rubricas solemnius et primarium, aliis quibuscumque locorum festis, etiam Patroni et Titularis, esse per se praeferendum, tam in occursu quam in concursu: permitti nihilominus, ut Patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis praedicto Anniversario praeferatur. III. Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiae non proprie, uti secundarium habendum esse, etsi cum aliis quibuscumque festis occurrat vel concurrat, servandas esse Rubricas et Decretum Gener, super primariis et secundariis festis. IV. Eiusdem autem Dedicationis Ecclesiae sive propriae sive non propriae, Anniversario occurrente, vel concurrente, cum festis solemnioribus universalis Ecclesiae, haec semper illi praevalere, personali etiam dignitate posthabita, iuxta Rubricas. V. Quamvis fixa esse debeat illa dies

anniversaria Dedicationis Ecclesiae, quae infra annum a consecratione recurrit; nihilominus Episcopo Ecclesiam consecranti ius inhaerere, iuxta Decreta alias edita, aliam diem fixam, vel etiam Dominicam, dummodo in consecrationis actu, seligendi pro illius Anniversario quotannis solemnius celebrando: exceptis duplicibus primae et secundae classis universalis Ecclesiae, nec non quibuscumque Dominicis privilegiatis, et duplicibus primae classis Ecclesiarum particularium.

Atque ita servari mandavit.

Die 4 Februarii 1896.

CAL CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. R. C. *Secretarius.*

DUBIA quoad dies infra octavam festi primarii vel secundarii.

Quidam Sacrarum Coeremoniarum magistri, quibus kalendaria particularia disponere commissum est, Sacram Rituum Congregationem pro insequentium Dubiorum resolutione humiliter rogarunt; nimirum:

L An dies infra octavam Festi primarii vel secundarii cedant semiduplici occurrenti?

IL Utrum dies sequatur rationem sui Festi primarii vel secundarii?

Et Sacra Congregatio, referente subscripto Secretario, et audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. *Dies infra octavam quamcumque tamquam secundarios habendos esse, et cedere cuicumque semiduplici occurrenti.*

Ad II. *Affirmative, nempe: Diem Octavam esse primariam vel secundariam, prout Festum, ad quod illa pertinet, primarium vel secundarium est.*

Atque ita rescripsit.

Die 21 Februarii 1896.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. * S.

A. TRIPEPI *Secretarius.*

VIGLEVANEN. Dubia varia.

R. Dnus Iosephus Precerutti, Dioeceseos Viglevanensis, cui munus incumbit redigendi quotannis kalendarium dioecesanum, de consensu Rmi Ordinarii a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem enixe flagitavit, nimirum:

I. In Kalendario Dioeceseos Viglevanensis non raro occurrunt eodem die duo festa primaria, vel. duo secundaria, eiusdem ritus et classis, sed diversae dignitatis, quorum unum est mobile, alterum afflxum diei mensis; quaeritur cuinam festo in hisce casibus competat praecedentia ?

II. Quid agendum de festo Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli Apost., perpetuo impedito in Kalendario Dioecesano, cum ei locus non suppetat?

III. Ex Litteris Apostolicis in forma Brevis Pii Papae VI, in Dioecesi Viglevanen, et aliis Dioecesibus Pedemontanis, die decimaquinta Ianuarii celebratur festum Translationis Reliquiarum Sancti Mauritii Martyris, Patroni Principalis Pedemontii: sub ritu duplici primae classis cum Octava; quum vero die 22 Septembris agatur festum Sancti Mauritii et Soc. Mm., sub ritu duplici maiori, quaeritur an hoc alterum festum habendum sit tanquam primarium in casu ?

IV. In Ecclesiis Parochialibus nullam hahentibus Chori obligationem, et in quibus tamen decantantur Vesperae diebus festivis absque Completorio, ipsae Vesperae in festo Purificationis B. Mariae Virginis concludendae sunt cum Antiphona : *Alma Redemptoris Mater,* vel cum altera: *Ave, Regina Coelorum ?*

V. An servari possit immemorabilis consuetudo, qua in Officiis Defunctorum, quae peraguntur infra annum cum aliqua solemnitate, praesertim diebus obitus et Anniversariis, semper decantetur primum Nocturum cum Laudibus recitatis, non omisso cantu Invitatorii: *Venite exultemus?*

Sacra autem Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Ex duobus festis primarius aut secundarais eiusdem ritus et classis, praecedentia competit digniori: in paritate vero dignitatis competit festo, diei mensis affixo.*

Ad II. *Festum de quo agitur, ex communi lege ad instar simplicis perpetuo redigendum foret ; verum de speciali gratia,*

*reponatur prima die, a duplici minore libera, et festum semi-duplex fiat simplex.*

Ad III. *Affimative.*

Ad. IV. *Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.*

Ad V. *Serventur Rubricae Ritualis et Breviarii Romani.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 21 Febr. 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

NEAPOLITANA Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Sororis Mariae Iulianae a SSmo Sacramento tertii Ordinis B. M. Virginis a Septem doloribus, moderatricis monasterii Mante I latarum S. Augustini.

Scripta quae ad praedictam Servam Dei Mariam Iulianam a SSmo Sacramento tribuuntur vel referuntur, quaeque ex perquisitionibus rite peractis Sacrae Rituum Congregationi exhibita fuerunt, ut super his revisio et examen ad tramitem Decretorum institueretur, in sequenti elencho describuntur. . . . . .

*(Sequitur Sriptorum elenchus):*

Quum itaque Emus ac Revmus D. Cardinalis Camillus Mazzella, Causae Ponens, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, retulerit in praefatis scriptis se nihil invenisse quod huiusce Causae Cursum intercipere posset, Emi ac Revmi Patres, Sacristuendis Ritibus praepositi, audito R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedi possit, reservata tamen facultate Promotori Fidei opponendi, si et quatenus de iure.* Die 4 Iunii 1895.

Quibus per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 10 eiusdem mensis et anni.

C. CARD. ALOISI-MASELLA -*S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R.* C *Secretarius.*

M0N0P0LITANA Praecedentiae: in oppido Fosano ius praecedendi .competit Tertiariis S. Francisci.

Ad instantiam Prioris Tertii Ordinis S. Dominici in oppido Fosano, dioecesis Monopolitanae, canonice erecti, Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis Rotalibus, subsignata die ad Vaticanum habitis coram infrascripto Cardinali, eidem S. Congregationi Praefecto, ad dubium: *An ius praecedendi competat Tertiariis S. Dominici, vel Tertiariis S. Francisci in casu, et in praedicto oppido?* respondendum censuit: *Attentis constitutionibus Gregorii XIII et Urbani VIII, nec non Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 4 Septembris 1733: Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 6 Februarii 1896.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, *S. C. R. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

# EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE Eminentissimi Praefecti quoad onus praestandi iuramentum a Missionariis.

*Die 21 Iunii 1895.*

Illme ac Revme Domine

Cum in nonnullis missionibus super interpretatione et vi Bullarum *Eas quo et omnium sollicitudinum,* quas Benedictus XIV felicis recordationis circa iuramentum a Missionariis ad Sinenses et Indicas gentes emittendum edebat, sequens exorta fuerit quaestio: Utrum videlicet, praeter sacerdotes Europaeos praesbyteri quoque Indigenae dictum iuramentum praestare teneantur, Sacra Propagandae Fidei Congregatio, cui huiusmodi dubium propositum fuerat, rem totam ad S. Officium deferendam esse censuit. Iam vero, necessariis et opportunis exquisitis in themate informationibus, in Comitiis generalibus feria IV diei 29 maii nuper elapsi, habitis, praelaudatae Congregationis Eminem

tissimi ac Reverendissimi Patres super relato dubio sequens dedere responsum, a Sanctissimo Domino Nostro Leone PP. XIII deinde confirmatum, videlicet: Iuxta noviter habitas informationes teneri. Quam quidem sententiam, cui in posterum singuli cuiuslibet missionis presbyteri, sive Europaei sive Indigenae, fideliter adhaerere debebunt, dum Amplitudini Tuae communico, hac praeterea occasione utor, qua Tibi significem iuramentum de quo supra, cum semel penes quemlibet alicuius missionis Praesulem fuerit praestitum, semper in posterum fore in suo robore permansurum ; adeo ut necessarium non sit ut renovetur, si Missionarius ad aliam transeat missionem, alteriusque Superioris fiat subditus : cui tamen testimonium de eodem iuramento praestito exhibere debebit.

Interea Deum precor, ut te diutissime sospitet.

Datum Romae ex aedibus Propagandae Fidei die 21 iunii 1895.

Amplitudinis Tuae addictissimus Servus

M. CARD. M. LEDOCHOWSKI *Praefectus.*

L & S.

A. ARCHIEP. LARISSEN. *Secretarius.*

Quoad huiusmodi iuramentum animadvertere placet:

I. Ex decreto supra relato ad praestanda iuramenta teneri omnes Missionarios, tum Europaeos, tum Indígenas.

II. Ex responsione S. Congregationis Romanae et Universalis Inquisitionis ad Vicarium Apostolicum Tunquini Orientalis, Rmum P. Fr. Iosephum Terres Ord. Praed. sub die 19 iulii 1889 directa, Sacerdotes Europaeos, cappellanos militares Gallici exercitus, ad iuramentum non teneri, cum munus exercent cappellani militaris; teneri vero, cum aliquod munus Missionarii obeunt.

III. Ex decreto ut supra relato, Missionarios, qui semel iuramentum praestiterunt, non teneri iuramentum reiterare, quando transeunt de una Missione ad aliam; teneri vero ad exhibitionem testimonii de iuramento iam praestito. Quae quidem doctrina, a Benedicto XIV data pro illis Missionariis, qui iuramentum in Europa ex permissione S. Sedis praestiterant, decreto S. C. de Propaganda 11 februarii 1747 ab ipsa Congregatione extensa fuit ad Missionarios de una Missione ad aliam transeuntes

decretis S. C. de Propaganda 21 septembris 1821 et 8 martii 1823: et hodie praesenti decreto iterum innovata et confirmata, revocatis omnibus sententiis a S. C. de Propaganda emanatis, quae in contrarium agere videbantur.

IV. Censuras in praedictis Constitutionibus Benedicti XIV in contravenientes latas iam hodie non amplius vigere, ut constat ex sequenti responsione.

In S. Congregatione S. Officii feria IV, die V elapsi mensis propositum fuit dubium a Dominatione Tua emissum : An scilicet post Bullam *Apostolicae Sedis...* vigeant adhuc censurae praescriptae in duabus Constitutionibus sanctae memoriae Benedicti XIV circa ritus Sinenses et Malabaricos.

Porro Eminentissimi Patres, omnibus diligenter consideratis, responderunt: Constitutiones Benedicti XIV sanctae memoriae super memoratis ritibus Sinensibus et Malabaricis annorum 1742 et 1744 editas omnino vigere, exceptis tantum censuris latae sententiae de quibus nulla fit mentio in Constitutione Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. IX, quarto idus Octobris edita, quae incipit *Apostolicae Sedis moderationi;* ideoque ad calcem formulae iuramenti, quod a Benedicto XIV in eadem Constitutione praescribitur et confirmatur, inter verba, poenis per praedictas Constitutiones impositis, me subiectum agnosco et declaro, inseratur post vocem impositis, hoc additum; et adhuc vigentibus.

Id Dominationi Tuae Eminentissimi Patres significandam esse iusserunt.

Litter. S. C. de Propaganda Fide ad Superiorem Seminar. Paris. Miss, ad ext. sub die 3 Martii 1873.

# EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

Modificationes ad Litteras Apostolicas pro concessione dispensationum matrimonialium.

In Litteris Apostolicis, quibus a Dataria Apostolica conceduntur dispensationes matrimoniales:

I. Omittantur abhinc sequentes clausulae: *a)* Si veniam a te petierit humiliter; *b)* Recepto prius ab eo iuramento, quod, non sub spe facilius habendi dispensationem huiusmodi, incestum vel adulterium huiusmodi commiserint, quodque talia numquam deinceps committant, neque committentibus praestabunt auxilium vel favorem; *e)* Peractis ab iis duabus sacramentalibus confessionibus.

II. In iisdem litteris tollantur sequentia verba : Volumus quod si tu aliquid muneris vel praemii exigere aut oblatum recipere praesumpseris, absolutio aut dispensatio nullius sit roboris aut momenti ; et dicatur vetito omnino ne aliquid muneris aut praemii exigere, aut oblatum recipere praesumpseris.

III. Tollatur clausula: Dummodo in praefata separatione permanserit, et dicatur eius vice : Remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem, tempore tibi beneviso, si fieri potest.

IV. Clausulae : Si preces veritate niti repereris, substituatur haec alia: Si vera sint exposita.

V. Ubi dicitur: Absolvas sive per te sive per alium in forma Ecclesiae consueta, dicatur : Hac vice tantum per te sive per alium absolvas.

*Die 28 Augusti 1895.*

R. Card. MONACO

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## BURDIGALEN, SEU PETROCORICEN.

### NULLITATIS MATRIMONII

*Die 24 Iulii 1894, 23 Februarii et 14 Decembris 1895.*

**Sess. 24, cap. 5, De ref. matr.'**

COMPENDIUM PACTI. Coram Parocho oppidi Lamothe-Montravel, dioecesis Petrocoricensis, legitime matrimonium contraxit, die 19 Martii 1877, Catharina Aloysia, Ioanna, quae aetatis suae vix attigerat 18 annum, cum Ioanne Anr tonio annos 25 nato. Nuptiarum celebrationem particulares circumstantiae comitatae non sunt, nisi quod sponsa animo ' valde, commota visa est, ut refert sponsus. Sponsa, in hac controversia agens pro nullitate matrimonii ex capite metus, contendit, se patre orbatam aetatis suae anno duodecimo, in tutelam venisse matris suae, voluntatis proposi tique tenacissimae, quae cum tutelae administrationem non bene gessisset, filiae reluctanti comparare voluit maritum indolis et ingenii rémissions, ut approbaret rationem agendi matris tutricis, nec obnitentis puellae coniugium abhorreret. Fertur etiam, Catharinam Antonium fastidire non solum ob huius non decoram faciem, sed maxime quia illa alii nubere proposuerat. Coniugale consortium quatuor annos pacificum perdurasse videtur, quo filium susceperunt; posthac vero simultates , dissensiones, suspiciones ex parte viri de uxoris fidelitate exortae sunt; unde divortium, ita dictum, civile pronunciatum fuit anno 1888 die 20 Iulii.

Sponsa per supplicem libellum diei 15 Aprilis 1891 ad Curiam Burdigalensem oblatum, petiit, introduci iudicium nullitatis matrimonii, et sub die 14 Iunii 1893 ab hoc tribunali Dioecesano sententia prodiit *negans constare de nullitate matrimonii.* Actrix illico ad S. C. C. appellationem interposuit.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Sponsae patronus, qui totus est in evincendas metus gravis circumstantiis, in primis huius metus rationes exponit in necessitate, qua versabatur mater, tegendi suam malam tutelae administrationem.

Filia tamen resistebat adhuc, et petivit enixe, pergit Orator, et obtinuit, ut matrimonii celebratio deferretur, donec Antonius socialem conditionem fuisset adeptus. Sperabat enim interim occasionem apprehendere, qua invitas nuptias evitare posset. Ast mater timens, ne dilatio suo proposito praeiudicium afferret, coactionem et imperium exaspera vit; et continuis et importunis precibus et hortationibus , nec non minis, filiolam coegit ad nuptias. Et revera die 19 Martii 1887 matrimonium celebratum fuit. Coactionem vero fassa est ipsa mater.

Hisce rerum enucleatis adiunctis , patronus ducit Doctorum agmen, pro viribus contendens eorum sententiam mirifice concinere ad stabiliendam nullitatem matrimonii in casu. Ad rem ait Cosci *De separatione thori lib. 1, cap. 8, n. 3.* - ibi - Ad irritandum matrimonium satis est minor metus, quam in ceteris contractibus propter maximam libertatem voluntatis, quae in illo desideratur; et Sánchez *De matrimonio lib. 4, disp. 8, num. 7 et conclusio :* « inter has sententias, secundam reputo probabilem. Cum enim ex una parte importunitas cuiuscumque sit, valde urgeat, ne dicam vexet, et opprimat, ut probant omnes textus adducti pro 1 Sententia n. 4, et ex altera parte reverentia personae petentis debita, pusillanimem ac "timidum, nec audentem contradicere rogatum reddat, merito et iure optimo utraque metuendi causa coniuncta (nempe preces et reverentia) prudentem ac constantem coget ipsiusque consensum extorquebit » et Pirhing *lib. 4, tit. 1, sect. 4, n. 119.* « Preces importunae ac saepius repetitae, etsi non solae, coniunctae tamen cum metu reverentiali personae rogantis, et moleste instantis , inferunt metum cadentem in virum constantem

ideoque sufficiunt ad infirmandum matrimonium, ratio est quia difficillimum est, diuturnas et continuas preces superioris reiicere semper, quod citra periculum gravissimae offensionis vix fieri potest, et Sacra Rota coram Emerix *dec. 870, n. 7* - ibi - « suasiones et preces habentur loco compulsionis et coactionis, et ingerunt metum cadentem in constantem virum maxime cum adhibitae fuerint a patre et aliis superioribus ».

Hisce auctoritatibus fretus Orator, facti circumstantias penitus examinans, advertit, leviter Curiam Burdigalensem pronunciasse, *coactionem sponsae non constare,* cum ipsa mater coactionem confiteatur.

Quae coactio cum fuerit exercita usque ad ultimum instantem in puellam, sub imperio matris permanentem; « fino all'ultimo momento, ait mater, io domandava a me stessa se mia figlia darebbe il suo consenso »; Orator notat cum Barbosa vot. decis. *lib. 1, vol. 1, n. 204:* « Cum probetur metum intervenisse paulo ante Matrimonium et semper Ludovicum extitisse in potestate metum inferentis, usque ad ipsam celebrationem matrimonii inclusive, praesumitur eam factam, etiam durante eodem metu, etiam si in ipso actu matrimonii ostenderit hilaritatem vultus, quia in hoc non purgatur metus antecedens ».

Patronus ad praeveniendam exceptionem suspicionis contra consanguineos testes, citat S. Rotae *decis. 225, § 1,* cor. Emerix. « Minus facit, quod fratres et sorores deponendo metum a semetipsis fuisse incussum, allègent propriam turpitudinem, quia ultra quod eorum depositio coadiuvatur a tertio teste, ac aliis coniecturis, non propterea minus probant pro Petro, qui meliores testes inducere non potuit ad probandum metum, quam illosmet, qui istum incusserunt, et de facto proprio deponunt, ut in similibus terminis, qui metum filio incusserat ad profitendum est *textus in cap. 2 quaes. 3 et notantur* Barbosa ».

In casu autem, prosequitur orator, adsunt plures testes, qui de violentia et metu reverentiali et de hortationibus et

suasionibus importunis et continuis uno ore deponunt. Quare dicta parentum, qui coactionem fatentur, plenissime confirmant quod coactio, dici non potest simplex consilium et ius legitimum matris, uti contendit burdigalensis vinculi defensor , sed vera violentia, quae nullum reddit matrimonium .

Sponsus ipse, pergit Orator, ante omnia confirmat graves discussiones ante matrimonium locum habuisse inter matrem et filiam.

Notandum , innuit Patronus , hic non agi de viro qui violentiam patitur, sed de puella timida, quae e domo numquam discesserat, et sub imperio matris imperiosae, ac propositi tenacis semper commorata est. Sano quidem consilio ecclesiasticum Burdigalense Tribunal testes interrogavit quoad indolem matris et filiae. Quid ergo deponunt ? Omnes de imperio matris, omnes de timida Ioannae Catharinae indole testantur.

Data ergo indole, metum incutientis, et metum passae, et cum agatur de puella in minore aetate constituta, dubitari non potest adfuisse verum metum, qui dicitur cadere in constantem virum, notat orator.

Hisce omnibus tandem adiicit, in themate parentes qui metum incusserunt maximum habuisse interesse in matrimonio celebrando, quo in casu metus reverentialis sufficit ad rescindendum contractum. Barbosa *Not. decis. lib. 6 Not. 16 n. 30.* « Quod indubitanter procedit, ubi metum incutiens habeat interesse, in matrimonio celebrando. Quo interesse attento solus metus reverentialis dicitur sufficiens ad rescindendum contractum ».

Sed vero si haec non sufficerent; prosequitur advocatus, metus et coactio evidentissime demonstratur ex iis quae matrimonium subsequuta sunt.

Quum pateat ex testium depositionibus , Ioannam Catharinam, quae ex vi matrimonio consenserat, suum affectum alibi collocavisse et cordis motibus aliquando induisse. Sed hae Catharinae aberrationes post matrimonium,

suam aversionem a viro magis atque magis evidenter demonstrant.

Descendens postea Orator ad solvendas obiectiones, quia consultorum Curiae Burdigalensis vota suae causae sunt inimica, Theologi Belleveau *apparentem* vocat oppositionem.

Alter theologus, notat patronus, argumentis utitur quae et ipsa sanae criticae non resistunt. Negat ante omnia, metum reverentialem sufficere ad nullitatem matrimonii, sed contendit metum reverentialem qualificatum esse omnino necessarium.

Adnotatione dignam , dicit patronus , argumentandi methodum, qua egregius theologus utitur. Admittit sine discussione indolem imperiosam matris , nec non ipsius interesse, ad matrimonium.

Ergo mater imperiosa coegit filiam interesse ducta. Sed contradicens omnibus testibus, gratuito sermone adiicit : censemus filiam, etsi iunior, specimina dedisse firmae voluntatis. Contra subiungit orator « Distingue tempora et concordabas iura ». Catharina, puella 17 annorum sub imperio matris constituta, matris inquam, quae ipsi futuro socero respondebat « questo mtrimonio si farebbe perchè essa lo voleva » ; tanto imperio resistere non potuit. Vitae inexperta, et uti omnes testes deponunt, dulcis et timida, matri omnimode erat adeo subiecta, ut renuente ipsa , coacta fuit a matre et fratre, in cubiculo nuptiali sponsum recipere, in prima nocte matrimonii. Sed post tantam violentiam et coactionem, Catharina mulier effecta, arbitrio recuperato , iugum quod iniuste ipsi impositum fuerat, excutere curavit totis viribus, et voluntatem suam exercuit.

Demum patronus examinans sententiam Curiae Burdigalensis, cuius infirmationem petit, animadvertit, hanc falsis inniti hypothesibus.

Sed procedit appellata sententia et ait « fin dai primi giorni, il matrimonio fu consumato, e per due anni, fino alla nascita del figlio, gli sposi hanno vissuto in pace ». Cui assertioni respondet principium generale quod refert Pa-

normitana *Nullitatis matrimonii* 30 Sept. 1718 nempe « matrimonium metu contractum, etiam purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus, non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita iterum eiusdem Concilii forma » et advertens quacumque in hypotesi Catharinam consensu matrimonium revalidare non potuisse quod, uti nullum, non cognoscebat.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Sed ex adverso matrimonii Vindex exorditur ex sponsi attestationibus dicentis : primo tempore in pace viximus ; sed cum filius nasceretur incepi aliquid obiurgare eidem, quippe quae nimis indulgerei iuvenum conversationi. Post quatuor annos, debui monere uxorem de nimia consuetudine cum quodam iuvene. Interdum filius nascebatur, quem censui filium adulterii.

Ad vitandam tamen famae iacturam, uxoris adulterium accusare praetermisit vir , et allegavit potius iniuriosam epistolam sibi ex condicto missam ab eadem uxore ad obtinendam reparationem expetitam.

Post quatuor annos a divortii sententia , et quindecim a matrimonii celebratione consilium iniit Ioanna detrectandi validitatem sui coniugii cum Antonio; et reipsa, anno 1892 ineunte, supplicem SSmo Dno Nostro transmisit libellum, quo nullitatem eiusdem coniugii asseruit et declarari petiit ex defectu liberi consensus, seu ex capite metus sibi a matre illati.

Tametsi vero Burdigalensis Curia, notat Orator, quae causae cognitionem suscepit, libéralissime cum Ioanna egerit, eiusque testes perfunctorie potius excusserit, et prius etiam de illius depositione instruxerit ac postea interrogaverit; rebus nihilominus ad umbilicum perductis, infirmissimum petitionis fundamentum recognovit, sententiamque actrici adversam iure omnium optimo pronunciavit. Ea enim ipsa, quae ab actrice obiiciuntur, talia sunt, ut potius excludant, quam evincant assertum metum utique reverentialem, qui secumferat liberi consensus defectum.

Dein Sacramenti adsertor, revocatis graviorum Doctorum sententiis circa metum reverentialem, requirentium non qua-

lem cumque metum, sed eum plane gravem ob instans gravioris damni periculum , notat nihil hisce iuris principiis assimile deprehendi in casu.

Sed notissimum imprimis est, veram divortii causam non aliam fuisse quam ipsius actricis adulterium : iniuriosas vero litteras ex advocatorum consilio fuisse excogitatas ad vitandam adulterii infamiam, atque ex condicto scriptas et viro missas. Quo vero ad febrim, quam eadem actrix veluti argumentum insinuât repugnantiae ab initio vitae coniugalis contra virum conceptae, ut exinde deneget praecedentem liberum assensum in matrimonium, praetermisso etiam quod nemo, ex omnibus in iudicio auditis, id confirmet, ex subsequentibus medici verbis ab ipsa relatis « votre mari en sera très-satisfait et mangera la fortune de votre enfant » manifestum fit, assertum morbum minime habere ingeniosam significationem ei tributam : praefatus quippe infans natus non est, nisi post duos annos cum dimidio ab incoepta vita coniugali. Aliam imo fuisse memoratae febris causam deduci potest ex viri testimonio, qui retulit priora matrimonii tempora tranquilla fuisse; quae tantum turbata fuerunt dum immineret partus primi filii ex nimio uxoris amore pro iuvenum societate. Ast Orator aiens se non inquirere quis haec audiverit, cui mulier tempore non suspecto revelaverit, quid ipsa egerit aut responderit, an ullam protestationem fecerit, aut alicuius consilium vel auxilium imploraverit, - quaerit tantum quid eadem obiecta matris et sponsi verba prodesse valeant, quomodo inter se cohaereant et credibilia censeri possint : ita ut nedum mater , verum etiam sponsus metum actrici incusserit ad extorquendum consensum in matrimonium. Vir enim ne somniavit quidem aliquid assimile, manifeste apparebit: quoad matrem vero explicatio, - quae ad rem in cit. supplici libello exhibetur haec est : mater utpote tutrix duorum filiorum, actricis nempe et Petri Eliae , bonorum administrationem irregulariter gessisset, et huic magis quam illi favere studuisset : ideo eiusdem matris cordi fuisset matrimonium,

quia « *Antonius* approuverait sans discussions de comptes qui favorisaient les intérêts de son fils . . . »

Urgetur demum , quod sponsa Ioanna a Iudice quoad coniugales relationes percontata responderit : « Là première nuit du mariage je voulais me renfermer dans ma chambre et ne pas recevoir Antoine. Ma mère s'emporta contre moi, me disant que ce serait un scandale , qu'on avait déjà assez parlé. Alors je cédai ». Nihil sed vero id obstat, cum nec Ioanna ipsa dicat cur hoc facere voluisset, nec aliud prohibeat, quominus id quis tribuat vel timiditati, vel virginali verecundiae, vel femineae arti etc. : eo ^vel magis, quia Ioanna eadem prima nocte et deinceps numquam maritales amplexus respuerit. Qua de re tum ab actricis depositione, tum ab examine testium, probatio metus minime exurgit, concludit vindex s. vinculi.

Quibus praenotatis, suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An sententia Curiae Burdigalensis sit confirmanda vel infirmanda, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. C. re discussa sub die 14 Iulii 1894 censuit respondere : *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

Reproposita in plenaria Congregatione diei 23 Februarii 1895 responsum fuit: *Dilata, et ad mentem:* mens autem fuit: *ut matrimonii defensor novam conficiat instructionem. Curiae Burdigalensi transmittendam, ut, testibus ad examen revocatis, eosdem interroget, ut indicent quae sint singularia facta, ex quibus deducunt Ioannam .. . ex vi et metu a sua matre illatis, consensum dedisse matrimonio cum Ioanne Antonio . . . .*

Hisce omnibus iterum ponderatis, sub die 14 Decembris 1895, S. Congregatio respondit : *Ex hactenus deductis non constare de nullitate matrimonii; ideoque sententiam esse confirmandam.*

# ANNECIBN.

## DISPENSATIONIS MATRIMONII

*Die 14 Decembris 1895.*

**Sess. 24 Cap. 5 De reform.**

COMPENDIUM FACTI. In quodam oppido Annecien. Dioecesis die 22 Augusti anno 1882 Episcopus Genevensis Mermillod solemnibus benedixit nuptiis inter nobilem puellam M. . . . ., viginti annos natam initis, et T. . . . . genevensem, aeque nobilem viginti septem annos agentem, e calviniana haeresi recenter ad Catholicam Fidem conversum.

Sponsi, maxima cum pompa nuptialibus solemnitatibus absolutis, eadem die voluptuarium iter, ut in more est, susceperunt. Verum dum peregrinarentur, sponsus, uti M. . . . narrat, parum in eam videbatur amore affectus, adeo ut cum ad publicum diversorium pervenissent, T. . . . . duo conduxit cubicula, quibus seiuncti recubuerunt. Quem morem ipse semper custodivit non tantum peregrinatione perdurante, sed usque ad perpetuam separationem.

Bis enim vel ter, ut mulier asserit, toto cohabitationis tempore ad reiteratas uxoris instantias, vir coniugale talamum est ingressus, idem paulo post relicturus, quin unquam maritale officium expleverit. Imo, si M. . . . fides praestanda erit, vir ne matrimonii quidem consummationem tentavit.

De huiusmodi T. . . . agendi ratione, M. . . . usque ab initio conqueri coepit non modo parentibus, sed Episcopo Mermillod ac Vicario Lausannensi et infectam consummationem pluribus patefecit.

Infelix mulier hac in miserabili vitae coniugalis consuetudine per septem annos perseveravit, donec mense Octobris 1889, nacta occasione immutationis aeris, valetudinis curandae causa, ad domum paternam se contulit, nec amplius apud maritum redi vit.

Tunc solummodo T. . . . per epistolam nuntiavit uxori, causam recusati maritalis debiti non pendere a sua voluntate, sed ex irreparabili impotentia.

Quatuor post annos a separatione, mense Octobris 1893, T. . . . apud civile genevense tribunal causam divortii introduxit, eo quia M. . . . maritalem domum deseruerat. At mulier, reconvento actore, mense Iunio proximi anni, sententiam in sui favorem obtinuit et divortium ex culpa T. . . . declaratum fuit.

Dum autem causa divortii civilis agitabatur, M. . . . consulere volens suae conscientiae, sub die 8 Decemb. 1893 supplicem dedit libellum Summo Pontifici, petens declarationem nullitatis sui matrimonii, ob viri impotentiam, vel saltem, ut dignaretur dispensare super matrimonio tantummodo rato.

Iussu S. C. C. oratricis preces remissae fuere Antistiti Geneven, et Lausannen, pro informatione, et üt alteri coniugi notificarentur.

De quo certior factus T. . . ., illico et ipse supplicava Supremum Pontificem pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato. Huiusmodi quoque libellus a S. Congreg, transmissus est Episcopo Geneven. pro informatione, qui cito accuratam dedit relationem.

Tunc S. C. C. commisit. Episcopo Anneciensi, in cuius dioecesi matrimonium fuerat celebratum, processus confectionem « tam super asserta nullitate, quam super non consummatione et causis dispensationis, servata forma etc___»

Interea autem factum est, ut Ml. . . . . a iudicio recesserit; quapropter Curia Annecien. ad instantiam tantummodo viri processuales actus incepit. Excussit primo actorem, qui sub iuramento asseruit, matrimonium non fuisse comsummatum propter eius physicam impotentiam; ac postea eius septimae manus testes, qui omnes affirmarunt audivisse inconsummationem matrimonii a coniugibus, a parentibus viri, et a publica fama.

Uxor, licet legitime citata, iudicio comparere renuit.

Nihilominus Annecien. Episcopus ad S. Ordinem acta transmisit et votum edidit pro dispensatione, scribens inter alia: « Licet medicorum examen deficiat, matrimonium non fuisse consummatum, mihi moraliter certum esse videtur ».

Aliquot elapsis mensibus, M. . . . consilium mutavit; quapropter Curia Annecien. ex S. C. mandato reassumpta inquisitione, mulierem eiusque testes septimae manus excussit, ac transmittens S. Congregationi actorum supplementum in eodem voto perseveravit « Tenens sine ulla dubitatione quod praedictum matrimonium nunquam consummatum fuerit, censeo quod dispensatio a Sanctissimo indulgenda sit ».

## Disceptatio Synoptica

VIRI DEFENSIO. T. . . . defensor in prima disputationis parte ostendere studuit ius gratiae implorandae clienti denegari non posse, imo huic gravissimam necessitatis causam ad petendum suffragari.

Ideoque orator confutai opinionem eorum, qui putant actionem ad matrimonii dissolutionem iure non admitti, nisi in coniuge qui culpa vacat, cuius interest a nexu liberari. Ex iure enim hoc certum ac definitum est; si de sola separatione agatur, innocentem solummodo coniugem ad agendum admitti, si de nullitate, utrumque. Ita *Leuren. Reiffenst. Schmalzgr. Zallinger.* in *Synopsi auctoritat.* seorsim edita *n. ad 4.*

Nec alio modo, prosequitur patronus, tenendum est in mitiori causa dispensationis. Dispensatio nihil aliud est quam gratia Pontificis: at gratia ratione personae et arbitrii concedi solet, ac decet praesertim merentibus indulgeri. Gratia haec, in qua agitur de perpetuo vinculo dissolvendo, non personarum ratione, ac pro meritis concedi potest, sed iustitiae ministerium requirit ratione causarum ad dispensandum. Si causae malorum occurrant quae vitari debeant ad publicam utilitatem, privatorum consensus attendi nequit, et alterutro coniuge refragante, Ecclesiae utilitati consulendum

est per dispensationem. Haec est perpetua Ecclesiae disciplina quam tradunt auctores in citat. *Synopsi auctor, num. 5 et seqq.*

Quae cum ita sint, petit orator a M. . . . cur in tota iudiciali inquisitione et in commentariis ad Emum Praefectum tanto in T. . . . odio invecta sit, ut illum notaret « de son hypocrisie - de la fausseté de son caractère - qui m' avait trompé froidement, et en parfaite connaissance de cause » ut illum a iudicum conspectu probrose reiiciendum esse contenderet. Liceat coniugi pro veritate respondere; nam, ait orator, dolet ille quidem se prorsus inexperientem, nimia levitate onus suscepisse quod suis viribus impar non suspicabatur, atque ita innocenti uxori damnum intulisse. Poenitet, et quocumque pignore, si fieri posset, damnum emendaret. Sed si illius bona fides laeditur, si fraudis, doli nequitiae incusatur, debet famae suae consulere, et iniurias propulsare.

Recordari sufficiat, instat viri defensor, quomodo duobus annis ultra sex menses a matrimonio elapsis, M. . . . . . eius propinqui iamdiu probe noverant infectam coniunctionem, et calamitatis causam, nec incidit in mulieris, aliorumque animum, quod T. . . . infami perfidia uxorem decepisset. En uxoris verba: « Mon ami, tu le sais, depuis bientôt deux ans et demi que nous vivions ensemble, j' ai eu le temps de te connaître, et de t' apprécier. J' ai apprécié, comme je le devais, des nobles sentiments, des grandes qualités du coeur et de *Y* esprit, et je puis le dire, j' ai toujours été heureuse et fière d' être ta femme. Je suis reconnaissante aussi des marques d'intérêt et de dévouement que j' ai reçus de toi, et sois sûr que sous ce rapport rien ne me laisse insensible ».

Verumtamen, notat orator, cum de doli insimulatione agitur, quaerendum in primis est, cui bono accusatus fraudem adhibuerit : nemo enim nisi demens et fatuus ad flagitium sine causa movetur. Si T. . . . se ineptum sciebat, honestam puellam non decepisset; non ut illius fortuna di-

tesceret, quia omnium testimonio liquet parem esse utriusque familiae substantiam. Non propter gentis nobilitatem, nam pari, nisi forte insigniori nobilitate praestat eius gens. Num ut òbscoena ac sterili frustratione in illius corpore oblectaretur? Sed illico, ut sibi vires omnino deficere sensit, abstinuit, illam se laedere putans si inutiliter contrectaret. Propositum nequidem illi erat ab initio a foecunda coniunctione abstinere, cum verum illius propositum omnibus innotuisset « de former une famille chrétienne par le mariage » exclamat Orator.

Quod si, ait viri patronus, vinculi defensor obiiceret: suspiciosum esse dissolutionem peti ab eo coniuge, qui cum ineptum se ad matrimonium profiteatur, nullam utilitatem nancisci potest per dispensationem; responderi posset quod, data ex iure etiam coniugi impotenti facultate agendi ad dispensationem, hanc non suspicionibus labefactari posse, sed argumentis ac probationibus. Sed graves adstabant causae, ut T. . . . dispensationem sui coniugii peteret; ipse enim illico post uxoris fugam factus est « Y objet d'un déchaînement d'injures et d'invectives: les protestants qui n'avaient jamais pu lui pardonner sa conversion, saisirent cette occasion de lui témoigner leur extrême malveillance... il ne songea plus qu'à fuir, et à se faire oublier ». Et in hoc etiam, pergit orator, infelix vir consilium sequitur acceptum a Card. Mermillod, paulo ante istius mortem; de quo testatur Pater Frangipani ex Ordine S. Benedicti.

Ceterum pluribus abhinc annis T. . . . in religioso aliquo coetu refugium sibi comparare cogitavit, et iam literas dedit Emo S. Ordinis Praefecto, quibus propositum profitetur vitam in religioso coetu ineundi.

Viri patronus ad aliam orationis partem gressum faciens, contendit, adeo certum esse matrimonium coniugum istorum inconsummatum permanere, ut nemo cordatus hoc in dubium revocare possit. Hoc, etsi materiales probationes deficerent, liquido erumperet ex fonte moralis certitudinis, quae ceteris probationibus praevalere debet, praesertim in dispen-

sationibus. Perpetua enim iurisprudentia testatur, posita morali certitudine de infecta corporum coniunctione, quodvis specimen in corpore utriusque coniugis pene supervacaneum censeri, ut videre est in *Synopsi auctorit. nn. 11, et 12.* Praestat inter ceteras S. C. C. decisiones, causa *Csanadien. matrimonii*, quae quarta vice proposita die 31 ianuarii 1863, quamquam mulier inspectionem corporis perferre noluisset, rescriptum obtinuit pro dispensatione; atque hoc die 30 maii 1863 confirmatum fuit.

Moralis certitudo de non sequuta consummatione, ait advocatus, imprimis deducitur ex concordi coniugum confessione. Mulier haec habet: « Mr. T. . . . n'a montré aucune affection particulière. . . . Elle attribue maintenant cette froideur à l'infirmité, dont est affecté Mr. T. . . . ; et dont il m'a fait l'aveu plus tard par écrit. Le mariage n' a jamais été consommé ».

Nec secus coniux T. . . . ., qui rogatus « fuitne consummatum matrimonium, - Nequaquam, propter impotentiam physicam ex parte viri ». Ac rursus interrogatus. « Quomodo cessavit concordia inter coniuges » addidit : « Sensim sine sensu ex impossibilitate consummandi matrimonium, et ex timore quem habebam, ne afferrem tristitiam uxori meae ».

Huiusmodi partium confessiones magno in pretio sunt habendae, ait M. . . . . defensor. Probe enim perpensae et collatae sanae critices regulae cum iis, quae in iudicio et extra, tempore insuspecto prolata sunt, nec non ceteris recensendis probationum generibus, vel maximam sibi vindicant auctoritatem.

Confessiones autem coniugum apprime confirmantur testium depositionibus. Testes omnes, una cum Episcopo, prosequitur oratricis patronus, insignem mulieris pietatem, decorem ac religionem extollunt, eamque de mendacio et periurio incapacem affirmant.

Pari concordia testes pro viro, inquit eius procurator, illi omnino credendum esse dixerunt.

Unus tantum, sacerdos Clary, protestatus est « non pos-

sum asserere me credere generatim omnem fiduciam adhibendam esse eiusdem T. . . . responsis in propria causa matrimoniali ». Sed haec exceptio credibilitatem de viri testimonio super infecta consummatione, minime offenderet iuxta patronum. Siquidem sacerdos Clary generatim tantum fidem T. . . . negat seu dubitat num negare possit (« non possum asserere etc. » quamquam parum ante a Iudice rogatus haec dixerat : « Illud, nempe virum in maritali opere defecisse etiam novi ex dictis cognatorum et parentum uxoris, insuper et rumor publicus hoc affirmabat ».

Ceterum, prosequitur orator, nemo induci poterit ut credat, T. . . . mentiri voluisse cum infectam coniunctionem, seque ineptum praedicaret, quod in humana societate contemptum parit, praesertim in frequentissima civitate. Neque adessent causae impudentis huiusmodi iactationis. Non conspiratio inter coniuges, hi enim quamquam ad eumdem finem necessitate rei conveniant, animo omnino atque perpetuo sibi invicem repugnant. Non lucrum, nam uterque divitiis affluit. Non melioris coniugii spes, pro T. . . . , qui se ineptum in hoc iudicio renuntiari postulat, ac religiosam vitam sibi amplecti licere adprecatur.

Haec recte praesensit Curia Lausannen., quae in uteris ad S. C. C. animadvertit « Nul moyen donc de supposer, que les deux époux aient inventé et concerté une imposture pour se soustraire à des devoirs sacrés, et tromper leurs supérieurs ecclésiastiques. Ce qu' ils disent ne peut être que vrai »?

Idipsum certatim conficiunt testes septimae manus qui inter electos electissimi sunt habendi, cum alii in clero praefulgeant, alii in ordine patricio, omnes fama religionis ac probitatis insignes. De quibus Anneciensis Episcopus ait « Tam generis nobilitate, quam exiimis christianis virtutibus omni exceptione maiores sunt ».

Hisce positis aut existimandum esset optimos coniuges, ac tot viros inter quos Cardinalem et Episcopos in re tam gravi, absque certa scientia, scurriliter lusisse, aut quod

iudicarunt moralem certitudinem conficere. Verum perspicua haec deficientis consummationis argumenta materiali etiam illa probatione confirmatur, quae sola in omni causa sufficeret.

Duo enim, ait M. . . . . . advocatus, physici periti, de quorum fide nihil esse dubitandum testatur ipse Anneciensis Antistes : « medicorum testimonio circa M. . . . . virginitatem fidem adhibendam esse non dubito », quatuor post annos a secuta coniugum separatione mulierem inspexere, adhibitis cautelis ad hoc ab arte medica praescriptis.

Porro Doctor Porte, qui duabus vicibus M. . . . . . inspexerat anno 1893 et 1894, praevio iuramento affirmavit: « Ma conviction de la non consommation du mariage est absolue. L' apparence d'intégrité ne peut en aucune façon, être F effet d' un remède spécial. Elle est réelle et absolue ».

Huic plene concordat aliud testimonium quod Doctor Reverdin ex inspectione anno 1894 peracta, iudicialiter protulit « cet examen a produit chez moi la conviction entière et absolue de la non consommation du mariage. Cet état du corps ne pourrait pas être l'effet de certains remèdes spéciaux ».

Hoc favorabile insigniorum doctorum iudicium, pergit orator, super perfecta mulieris integritate, collatum cum aliis argumentis et indiciis supra expositis magnam profecto affert lucem super matrimonii non consummatione ex viri ineptitudine. Siquidem in gratioso dispensationis iudicio usus invaluit apud S. C. C. admittere etiam extraiudiciales et suppletivas probationes, quibus simul sumptis cum iudicialibus, iudex moveri possit ad iudicandum matrimonium non esse consummatum; ceu factum est in Americana *Matrimonii* die 25 Ianuarii 1873, in alia Frisingen. seu Herbipolen. *Nullitatis et Dispensationis matrimonii,* die 12 Ianuarii 1816 et 1817 ac in aliis.

Quapropter recte, ait Episcopus Anneciensis, actorum moderator « tenens sine ulla dubitatione quod praedictum matrimonium nunquam consummatum fuerit, censeo quod dispensatio a SSmo indulgenda sit ».

Nec graves desunt causae ad dispensationem a Summo Principe concedendam. Quarum maxima, ait mulieris orator, invenitur in viri impotentia insanabili, et nuptiis antécédent;. Quod autem impotentia coniugio praecessisset, arguitur, ex agendi T. . . . ratione, qui sollicitus fuit prima nuptiarum nocte ac deinceps, iugiter usque ad definitivam separationem, distincto lecto cubare, ut propriam impotentiam, veritus periculum uxori eam ostendendi removeret: qui iugi afficiebatur aversione a rebus uxoriis, et animi abalienatione erga sponsam.

Neque minus deducitur esse insanabilem ac perpetuam ex viri spontanea confessione, eo quod plurima pharmaca adhibuerit, quin usquam sanitatem recuperare potuerit. En eius verba ad uxorem scripta die 8 Novembris 1889. « Mais... Laissez-moi vous l'avouer.... combien je souffrais.... d'une défaillance physique indépendante de ma volonté, que j' ai tout fait pour combattre, et dont les conséquences ont été en effet, aussi funestes pour notre bonheur qu' elles sont regrettables pour T avenir de ma famille. » Quod si in fiorenti aetate curationes ad nihilum valuerunt, nec sperandum post quadragenariam posse viripotentiam excitari. Hinc grave dubium oritur de valore matrimonii cum valde praesumatur contractum cum impedimento naturali dirimente. Et hoc dubium constituere urgentem causam ad dispensandum advertit Card. De Luca *de matrim, par. 2 disc. 9 n 8.*

Viri patrocinator invenit alteram dispensationis causam in animorum dissociatione. Iam M. . . . Iudicem admonet quod « L'intimité et les bons rapports n'ont jamais existé ». At parochus Chuit rem ita enucleat: «J'ai parfaitement connu la mésintelligence habituelle, qui régnait entre les deux époux ».

Quod si, ut T. . . . profitetur, inter infelices coniuges suscitata fuerunt « aliquoties iurgia » quin rixae et clamores intercédèrent, hoc adscribendum est coniugum nobilitati, qui nunquam ad plebeios tumultus corruere solent, sed animorum dissociationem confirmat. Positis huiusmodi

dissidiis, gravem ad dispensandum causam insurgere omnes iuris canonici scriptores profitentur. Ita Cleric. *de Sac. matr. dec. 15 sub num. 45.* Sánchez *de matr. disp. 16 num. 13,* atque Conscius *de sep. tor. lib. 3 cap. 2 num. 117 seqq.*

Nec, prosequitur idem orator, ulla spes futurae reconciliationis affulgere potest. Nam familiares inimicitiae, scandala et irrisiones, haereticorum vexationes, civilis magistratus sententia, ac vel ipsae Episcoporum animadversiones coniugum animos perpetuo dissociarunt. T. . . . a Iudice rogatus « Nunc vero omne tentamen reconciliationis evasitne omnino impossibile? » respondit « Affirmative ». Ac fusius M. . . . in iuratis responsionibus : « Toute tentative de reconciliation est jugée par moi comme inutile ».

Praestat denique, concludit viri patronus, gravis altera causa ad dispensationem obtinendam. T. . . . saecularis vitae pertaesus, in qua summam deceptionem et infelicitatem expertus est, religionem ingredi et coenobii vitam amplecti constituit. Hoc consilium in libro typis edito « *de Genève à Rome* », hoc in Uteris ad S. C. C. Praefectum significavit ac postulavit. Atqui scriptores passim consentiunt talem causam ad dispensationem sufficere, ut admonet Ursaya *in disc. eccl. t. 3 par. 2 disc. 21 n. 48.*

ANIMADVERSIONES S. VINCULI ADSERTORIS. At ex alteraparte ad Matrimonii valorem tuendum sacri vinculi defensor notat imprimis, quomodo in causis inconsummationis argumentum princeps sit mulieris virginalis integritas. Cuius rei exploratio, cum sit omnigenis deceptionum periculis obnoxia, ecclesia quasdam leges praestituit, quibus ad unguem servatis, veritatem assequi possimus, et has leges perstrinxit Sacra C. C. in *Instruct, diei 22 Augusti 1840.*

At, observat orator, *Instructionis* praecepta in pluribus haud observata fuere a Iudice delegato. Ipse enim, posthabita quacumque mulieris inspectione, cum videret M. . . . in iudicium sisti recusare, sententiam profert paucis his verbis: « Marito dispensationem super matrimonio rato et non consummato implorante a SSmo hanc gratiam, prout ex omni-

bus circumstantiis diiudicare possum, concedendam esse arbitror ». Et si M. . . . , mutato consilio, in iudicio sistit, idem Iudex, cum ipsa recuset se subiicere corporali inspectioni iuxta iuris regulas, contentus est recipere depositiones medicorum Porte, M. . . . . « médecin habituel » et Iacobi Reverdin « médecin consultant » affirmantium inspexisse M. . . . . .

Piaculum foret, ait orator, medicos istos percontari « de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis »; satis est medicos illos affirmare : « Ma conviction de la non consommation du mariage est absolue. L'apparence d'intégrité ne peut en aucune façon, être T effet d'un remède spécial. Elle est réelle et absolue. »

Quapropter, prosequitur ligaminis vindex, M. . . . patronus cum persentiat, se nihil confidere posse in asserta corporis exploratione, a M. . . . allata, specimen in corpore mulieris haud necessarium praedicat, iuratam, inquit, coniugum confessionem , testimonio septimae manus suffultam, non imparem esse ad inconsummationem matrimonii astruendam; et confugit ad *cap. Laudabilem, 5 de frigid, et malef.* Huius capitis expositioni non immoratur defensor, quia centies demonstravit, doctrinam a Coelestino III eo in capite traditam, distare a controversiis inconsummationis matrimonii quantum coelum a terra.

Non diffitetur orator inconsummationem matrimonii, praetermisso etiam mulieris aspectu, evinci posse per specimen in viri corpore peractum, at illud quod actis insertum est non meretur speciminis nomen. « Le sous signé, D. Neuhaus Zimerl, déclare sur foi de serment que Mr. T. . . . né le 6 Mai 1855, n'est pas et n'a jamais été ni Psychiquement, ni Physiquement en état de consommer le mariage avec son épouse madame M. . . . ., née le 22 Juillet 1862 ».

Ut enim experimentum huiusmodi in honore haberi queat peractum esse debet iuxta regulas ab *Instructione S. C. C. Augusti 1840* praescriptas.

Quoad testes a coniugibus adductos, praeprimis defensor animadvertit; se credere haud posse ditissimis coniugibus T. . . . et 'M. . . . non complures fuisse famulos, domesticos, familiares, qui per diuturnum illud septem annorum spatium, quo coniuges *um*, simul cohabitarant, viderunt intimam eorum conversionem, colloquia suis ipsi auribus audierunt et ob oculos habuerunt, fortasse peractae matrimonii consummationis indicia et argumenta. Iam vero inter phalangem testium ab utraque parte inductorum, ne unus quidem ex famulis, domesticis, familiaribus atque vicinis recensetur. Testes huiusmodi generis erant omnino citandi, saltem ex officio a Iudice. Nec obiici potest, prosequitur orator, adductos testes septimae manus esse fide dignos. Compertum namque est confessionem coniugum cum iuramento septimae manus propinquorum vel vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint, requiri quidem Sánchez *De matrim, lib. 7disput. 108j, n. 7* « ut cautiori diligentia adhibita dissolutio matrimonii fiat; quae res maximi momenti est». At confessio coniugum etsi septimae manus iuramento fulciatur, probationem proprie dictam minime constituit. Imo eam iam perfectam praesupponit, sive aspectu corporis mulieris, sive, ut aiunt, coarctata, sive impotentia coeundi, sive aliis factis inter propinquos et vicinos , tempore non suspecto evulgatis. Reque vera si iuramento coniugum et testimonio propinquorum vel vicinorum iurantium in fide coniugum iudices contenti forent, actum esset de matrimoniis omnibus. Profecto nullo in negotio, iudex fidem adiicere solet confessionibus atque iuramentis interesse habentium, etsi agmina testium inducant, qui ipsos omnimoda fide dignos proclament.

Adiungendum insuper est, prosequitur orator, coniugum confessionem ex eo nutare, quod non omnes septimae manus testes omnimodam coniugibus fidem adiiciunt; nec non ex eo quod coniuges veritati haud se studere manifesto ostendunt, dum alter affirmat quod alter negat, consummationis praesertim tentamina, qua de re decipi haud facile possunt.

Ad requisitas dispensationis causas pertransiens sacri vinculi tutor sustinet in praesenti exulare omnino iustas causas. Docet enim Ursaya *Discept, eccl. tom. 3 part. 2 disc. 21 n. 53 seqq.*, quod Pontifex dispensando a matrimonio tantum rato « suo satisfacit officio paternae illius providentiae, qua gravioribus malis occurrere, et maius bonum sui gregis curare tenetur ».

Iam vero in causa, notat orator, non solum exulant graviora mala, quibus per dispensationem Pontifex occurreret et maius sui gregis bonum quod curaret; sed e contra in magnam perniciem catholici gregis verteret dispensatio. Ad rem anneciensis adsertor sacramenti advertit:

« Nedum adsit ne una quidem gravis ratio obtinendi dispensationem supra matrimonio rato et non consummato ; e contra plures sunt non leves causae eam denegandi. Nam gravissimum scandalum adderetur scandalo iam dato calvinistis genevensibus. Infelix exitus huius matrimonii inter catholicos non mediocris notae in tota regione , risum et contemptum Sanctae matris Ecclesiae iam in nimis excitavit. Sed quantas irrisiones, quot cavillationes dispensatio Summi Pontificis super matrimonio iam a duodecim annis celebrato, apud eosdem haereticos suscitaret. Nemo non videt quot et quanta mala Sanctae Romanae Ecclesiae in toto agro genevensi obvenirent ».

Econtra, pergit sacramenti vindex, denegatio dispensationis ne ipsis quidem coniugibus gravis esse potest. Nam quidquid sit de futurae reconciliationis spe, certum est, neutrum coniugum novis inhiare nuptiis. T. . . . enim nihil antiquius habet, quam per sacros ordines Deo se vovere. Quo vero ad M. . . . extra omnem dubitationis aleam positum est, illam ab aliis nuptiis abhorrere.

Hisce praemissis, suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An sit consulendum SSmo super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 14 .Decembris 1895 censuit respondere: *Affirmative.*

# GALTELLINOREN.

IURIUM PAROCHIALIUM (1)

*Die 7 Septembris 1895.*

**Concil. Trid. Sess. 24 c. 18 de ref.**

COMDENDIUM FACTI. Causa haec primo proposita fuit die 27 Iunii 1891, sub sequentibus dubitandi formulis, videlicet « 1. *an ius administrandi Baptismum et custodiendi libros baptizatorum maneat penes Capitulum vel penes Canonicum Curatum in casui* - 2. *An Capitulum* praeter functiones capitulares, ius habeat committendi alternative uni vel alteri ex canonicis cum assistentia beneficiariorum* vulgo* domieri, *celebrationem aliarum functionum* scilicet Missarum festivarum vel defunctorum, novendialium* vel triduarum precum* processionum etc. ac stolae fructus inde percipiendi in casu?* - 3. *An canonicus curatus iure distincto frui possit in defunctorum exequiis* Capitulo assistente* et an a Capitulo* vel a Canonico curato perficiendae sint rituales absolutiones in casu?* - 4. *An beneficiarii* vulgo,* domieri *ita dependeant a canonico curato* ut ab hac dependentia exturbari nequeant a Capituli Archipresbytero in casu ?* - 5. *An iidem beneficiarii teneantur coadiuvare Canonicum curatum in Evangelii praedicatione* et in cathechesibits in casu?* »

(1) Quaestio haec nunc tertio supponitur iudicio EE. Patrum. Primae praepositionis compendium facti et resolutionem **S.** Congregationis habes Vol. XXIV, 97; secundae propositionis exitum habes Vol. XXV, 215.

Propositis dubiis placuit Sacrae C C . rescribere, ad primum : « *Dilata et coadiuventur probationes de usu Capituli constanti et nullo reclamante, administrandi baptismum et retinendi libros baptizatorum.* - Ad secundum: *Affirmative, dummodo non agatur de functionibus et iuribus mere parochialibus.* - Ad tertium: *Si agatur de exequiis parochianorum praecedentiam spectare ad Canonicum curatum ratione stolae, et rituales absolutiones spectare ad Eumdem, ratione muneris. Si vero agatur de aliorum exequiis omnia spectare ad Capitulum, scilicet praecedentiam et rituales absolutiones.* - Ad quartum : *Affirmative, quatenus agatur de cura animarum.* - Ad quintum : *Affirmative, dummodo parochus sit impeditus.* »

Insuper quaestio haec, iterum proposita fuit die 9 Aprilis 1892, cui fuit rescriptum: *dilata ad proximam cum iisdem.* Quamobrem tertio iudicio S. C. C. fuit proposita in generalibus comitiis diei 21 Maii 1892 non solum quoad primum dubium, cuius resolutio in suspenso mansit, sed etiam quoad tertium et quintum, pro quibus Capituli Patronus novae audientiae beneficium obtinuit. Idcirco controversia huiusmodi die 31 Maii 1892 sub sequentibus dubitandi formulis fuit quoque proposita, scilicet « ,1. *An ius administrandi baptismum et custodiendi libros baptizatorum maneat penes Capitulum, vel canonicum Curatum in casu ì* 2. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu Ì* - 3. *An sit standum vel recedendum a decisis in quinto dubio in casu ì* »

In comitiis autem generalibus diei23 Iulii 1892 S.C.C, placuit rescribere propositis dubiis, ad primum : *Cumtclative spectare ad utrumque.* Ad secundum : *In decisis.* Ad tertium : *In decisis et amplius.* » Parochus vero beneficium novae audientiae obtinuit quoad primum dubium. Quare quaestio haec denuo proponitur. Interim sciendum est, Capitulum renunciationem emisisse beneficio novae audientiae, quod eius Patronus postulaverat.

Dubium vero hodie definiendum, nempe an sit confir-

manda decisio, qua EE. PP. rescripserunt, *cumulative ad parochum et Capitulum spectare ius administrandi baptismum et custodiendi libros baptizatorum;* ut idem dubium, clare in facti et iuris adiunctis pateat, recolendum est Volum. XXIV, 97 et Vol. XXV, 213.

## Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO CAPITULI. Capituli Galtellinorensis patroni postquam fusiori calamo facti speciem descripserint, in quinque capita orationem suam distribuunt. Ac primo contendentes ius capitulo inesse administrandi Baptismum et libros baptizatorum custodiendi, id promanare adnotant ex cura habituali, vi cuius parochus actualis uti famulus seu operarius capituli censendus est, qui iuribus et emolumentis iam inde a sua institutione assignatis contentus esse debet ad tradita a Gabriel *consil. 190 lib. 2 n. 7 et 8,* De Luca *disc. 22 n. 7 De parochis,* Rota in *Romana funer. 4 Decembris 162.0 cor. Coccino.* Curam vero habitualem penes Norensis cathedralis capitulum residere evincunt, tum ex ipsius apostolici executoris verbis « il capitolo verrà esonerato della stessa cura attuale, ritenendo la cura abituale », tum ex conditione a capitulo in paroeciae erectione apposita, qua curae actuali nuncium mittebat : « ritenendo la cura abituale ». Quibus adstipulatur et alia eiusdem capituli declaratio paulo ante executionem apostolicae constitutionis, et ipsius tenor decreti executorialis, quo indulgetur, ut canonici sacramentales confessiones excipientes vel in curati adiutorium in civitate concionantes tamquam in choro praesentes habeantur. Neque dicatur ex hoc argui non posse curam habitualem explicite fuisse indultam, cum apostolicus administrator expresse declaraverit conditionem a capitulo appositam in praefatae constitutionis executione prae oculis habuisse et religiose servasse.

Ex his igitur autumant ortum duxisse quod canonici, absque praevia curati venia Baptismatis sacramentum ad-

ministraverint, et locus pro libris custodiendis, in quo statim baptizatorum nomina minister scriberet, iam ab initio fuerit designatus.

His autem in facto positis, observant nihil esse magis iuri conforme quam, ut capitulum in quasi possessione iuris teneatur, quae ab initio et ipso administratore Apostolico spectante orta est. * Observantiam vero optimam esse legis fundationis interpretem docent Lotter. *De re benef. I. 11 n. 125,* Card. De Luca *De iurep. duc. 60 n. 9 et de benef, disc. 27 n. 18,* ac maiorem sibi auctoritatem vindicare si legis fundationis sit proxima et coaeva; Piton. *Disc. Eccl. disc. 139 n. 44 % Habemus* et S. Rota in *Firmana iurisdictionis 10 Maii 1700 n. 37.*

Verum nedum in linea interpretativa, sed et in praescriptiva, monent, observantiam suadere ut capitulares in quasi possessione iuris manuteneantur, cum exploratum sit in caesareo et canonico iure in quacumque causa vel quacumque persona, ius personae, ius privatum vel publicum quadraginta annorum iugi silentio extingui *I. 4 Cod. de praescript. 30 vel 40 an. Cap. 6 De praescript. etc.* Cui doctrinae consonant S. Rotae Auditorium, nec non S. C. C. quae in una *Marsorum Iurium parochialium diei 30 Ianuarii 1830,* in qua capitulo ius baptizandi pueros ac retinendi claves baptisterii et olei sancti reservatum fuit, non obstantibus sacrae visitationis decretis, « ad formam consuetudinis ». Quare Archiepiscopus Arborensis anno 1879 apostolica delegatione functus in Galtellinorensi dioecesi mandabat: « in virtù dei poteri accordati dalla S. Sede che la chiave del battistero, e il libro dei battezzati, non siano più rimossi dal cassetto comune, nel quale in questa Cattedrale furono finora conservati, e ciò fino a che alla S. Sede non piaccia di ordinare diversamente ». Quod decretum cum a S. Sede fuerit approbatum censent patroni reiiudicatae vires et auctoritatem acquisivisse.

In nova causae propositione diei 9 Aprilis 1892 ad suam intentionem melius declarandam et sustentandam has Capi-

tulum addebat attestationes. Nimirum attulit depositionem trium sacerdotum seniorum-, qui a pluribus annis servitio ecclesiae cathedralis addicti sunt, quippe ita se habent: verum esse existere in Cathedrali « *un tiretto comune* » in quo servantur claves fontis baptismalis, et regesta quibus dietim quilibet notat administratum sacramentum, apud quemlibet canonicum esse clavem fontis baptismalis et nulla *habita venia* sacramentum administrat: quemlibet canonicum iure hoc usum esse tum ante annum 1836, tum sequenti tempore donec praesens parochus reclamavit; quod si per vim parochi claves, inscio capitulo, subtractae fuerunt, statim res ad priorem redactae fuerunt statum opera Vicarii generalis; constare etiam, canonicum sacramenta administrantem gavisum semper esse exemptione a puncta turis, ceu refert Beneficiatus Chrismi, qui a 40 annis munere punctatoris fungitur.

Demum Capitulum in sui favorem invocat Capituli Vaticani exemplum, in quo mos non admodum dissimilis observatur.

DEFENSIO PAROCHI. Patronus in primis utitur testimonio Parochi, qui ait, sese, in actu possessionis praebendae canonicalis, accepisse a praedecessore suo librum baptizatorum, quem apud se tenebat quemque singulis vicibus tradebat administrantibus baptisma, ut actum in dicto libro notarent propria manu et solummodo duos canonicos clavem obtinuisse; quorum alter habuit etiam antequam praebendam canonicalem obtineret, alter sibi arripuit dum munere Vicarii generalis fungeretur. Canonicus hinc Parochus arguit; capitulum, clavis gratia, nullum sibi arrogare valet ius. Et iure, infert advocatus, nam si clavis est apud Parochum, profecto liquet, absque Parochi consensu, Canonicus non potuisse baptismum administrare iuxta proprium arbitrium.

Postea haec habet parochus : consuetudinem in civitate et Dioecesi foveri, qua fit ut sacerdotibus vocatis a parentibus baptizandorum indulgeatur facultas baptizandi et notandi propria manu actum in libro. Quae facultas facilius

traditur praecipue ecclesiasticis,, dignitate praefulgentibus, ceu factum fuit cum Canonicis, donec id praesumerent ceu ius illis quaesitum.

Praeterea patronus clientis intentionem roborat per alios testes referens, quod affirmat professor Salvator Nonni, a praedecessore Michaele Guiso parocho facultatem obtinuisse sacrum baptisma administrandi, secus « non avrebbe potuto »; nec non asserit, anno 1843 enunciatum parochum Guiso vexationes supportasse opera Capituli, et praesertim Canonici Vicarii Capitularis; adeo ut, nuncium mittere muneri paraeciali erat paratus. Item asserit beneficiatus Sebastianus Cambosu, nempe canonicum Nieddu, etiam ante possessionem ipsius canonicatus, baptismum administrasse praevia parochi Guiso licentia, qui clavem arculae ei dederat. Curia vero Episcopalis testatur: « colla seguente intestazione : Cathedralis Ecclesiae Noren. liber baptizandorum incipiens ab anno 1838, constans N. 190 foliis, cum huius Ecclesiae Cathedralis Noren. theologus Michael Guiso esset Parochus___firmato Guiso Can. Parroco_____- il^ presente libro che consta di pag. 390 destinato a descrivere tutti i battezzati in questa parrochia principia dal 1 Gennaio 1856, firmato Teol. Michele Guiso Can. Parroco, (et postea legitur) vidimato dall' Ordinario diocesano fu rilasciato al Canonico Parroco Teol. Guiso Michele il 1 Gennaio 1866 firmato Zunnui Vicario Generale Capitolare ». Insuper et Cancellarius pariter Episcopalis in excipiendis libris paroeciae declarat, ipsos libros custoditos fuisse a Parocho « il quale finora ii aveva in custodia ».

His positis, concludit Orator, quod traditionis horum librorum in manus parochi manifesta profecto est ratio ; nempe quia libri baptizandorum custodiebantur a Parocho dumtaxat.

Haec confirmat patronus ex peculiari attestatione Episcopalis Officialis.

Suam thesim Orator aliis attestationibus comprobans, urget attestationem iudicialem cum iuramento editam ab iis

qui servitium Ecclesiae Cathedrali assiduum praestiterunt per discretum temporis spatium.

Demum testem affert patronus ipsum Episcopum Norensem qui decursu Sacrae visitationis pastoralis visitans librum baptizatorum, reperit carentem signaturis administratorum huius sacramenti; monetque canonicum parochum, ut curet ne id in posterum eveniat.

Iuxta patronum eadem Rmus Episcopus confirmat in sua Epistola diei 1 Decembris 1891, in qua conqueritur de aliquo Canonico, qui, cum fidelium scandalo, comitem se praebuit' cuidam post collatum baptisma infanti illegitimo.

Adnotatis vero *in abstracto* incommodis, necessario promanantibus ex cumulativa baptismi administratione, in themate Orator, sequentia refert verba Episcopi Rmi Norensis: reperimus libros baptizatorum carentes signaturis administrantium baptisma, et innuimus ad vitandas lites, ut cunctae circumstantiae describantur, quae respiciunt parentes, et eos qui electi fuerunt « all' ufficio di patrini e matrine ».

Adamussim ob has potissimas rationes, notat patronus, Tridentina Synodus *cap. 13 sess. 24 De reform,* mandat Episcopis populum in certas parochias distingui, unicuique suum perpetuum parochum assignando, nimirum : « Pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant ». Ad tramites huiusce dispositionis conciliaris Pius V. Constitutione *Etsi omnibus* 5 Novembris 1571, *motu proprio,* varias ad maius divini cultus augmentum animarumque commodum erexit Vicarias perpetuas in almae Urbis Basilicis et Collegiatis.

Porro eumdem finem, instat orator, nempe augendi divinum cultum, et maius commodum exhibendi fidelibus, sibi proposuit Summus Pontifex Gregorius XVI in sua Constitutione diei 1 Februarii 1834 pro Sardiniae insula. Ipse enim conspiciens animarum Curam, qua par erat diligentia a Capitulo Noren. minime exerceri, ob simultaneum paro-

chialium munerum et Capitularium officiorum adimplementum, ab animarum curae exercitio perpetuo illud exoneravit, atque eam concredidit uni presbytero in Theologia Magistro, vel iure canonico laureato, qui una cum presbyteris auxiliaribus curam huiusmodi universam exerceret.

Et iure meritoque exclamat patronus, Minister baptismi solemniter et ex pastorali officio celebrandi est proprius parochus. Cum vero officium pascendi, seu cura animarum proxime non proveniat ex ordinatione, sed sit potestas iurisdictionis ab Ecclesia, Praelato Ecclesiastico collata, ideo sacerdotes qui eam iurisdictionem non habent, tale officium exercere non possunt. Quare Tridentina Synodus decrevit : « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique divini praedicatione Sacramentorum administratione . . . . . . eos admonet et hortatur ut ___ iudicio et veritate pascant et regant ». *Capit. 1 Sess. 23 De reform.*

Contendit postea Orator, idem dicendum esse quoad custodiam librorum, quia parochi tenentur « quatuor libros sive matriculas habere, ut ait Barbosa, in quibus describant primo omnes, qui in Ecclesi a sua baptizantur, cum nominibus parentum, si de legitimo matrimonio nati sunt, et patrinorum, qui eos de baptismo susceperunt ». Imo certum est, iuxta eumdem auctorem, quod ex particula ab huiusmodi libro baptismi per Parochum extracta, probatur quis baptizatus, et illius aetas sit. *De off. et potest. Par. par. 1 cap. 7 num. 1 et 4.* Exinde docet libros baptizatorum esse caute et religiose custodiendos a Parocho. - «Quatuor matriculis seu libris supradictis, bonam custodiam adhibere tenetur Parochus, ne dum possint ad aliorum manus facili negotio pervenire, falsentur vel rumpantur » et docente eodem clarissimo Barbosa, S. Congregatio Episcoporum et Regularium decernit « huiusmodi libros non esse per Episcopum de Parochorum potestate extrahendos, sed penes illos debere conservari » *loc. cit. n. 1.9, 20.*

Quapropter etsi fìat hypothesis quod vigeat consuetudo ac usus baptizandi favore Capituli enunciati, autumat patronus non sustineri, quia huiusmodi consuetudo seu usus ordinem hierarchicum subvertit, et consequenter irrationabilis, imo abusus et corruptela foret ad tradita per Clericatum *De benef, discur. 68 num. 6.* - Praeterea notat Ecclesiae libertati et disciplinae adversari. Scitum enim est sacros canones praecipere quamlibet parochiam nulli servituti esse subiiciendam ac sua libertate minime spoliandam; imo iura parochorum inviolabiliter servanda, quia coetui et non individuo tributa ex *cap. 1, q. 1* causa 13.* Cleric. *loc. cit. num: 10.* Reiffenstuel *lib. 1 fit* 4 num. 59.* Hinc Amostazo habet « Consuetudo, quae obviât sacris institutis a patribus decretis, et abusum introducit contra disciplinam et libertatem Ecclesiae non sustinetur ». *De causis piis lib. 6 cap. 3 num. 38.* Cum his concordat Cardinalis De Luca *Depraeem. discur. 24 num. 11.*

In casu vero observat patronus, consuetudinem probatam non dici, si constet de unico actu contrario, quamvis darentur mille actus pro consuetudine ; unicus enim actus contrarius, vel difformis illam rumpit, et ad eam desumendam satis est. Porro ex documentis allatis, iuxta patronum, constat ex consensu parochi praedecessoris, quandoque canonicos administrasse Sacrum baptisma et ex concurrentibus circumstantiis veniam induisisse; et actualem parochum semper custodivisse libros baptizatorum. Quare concludit, adversarios inutiliter ad testes appellare, siquidem adducti testes consuetudinem in themate non probant 1. quia non sunt testes de visu per quadraginta annos; *2.* quia non sunt testes de auditu a suis maioribus, qui ab aliis suis maioribus, etiam audiverint ; 3. demum quia non testantur, se numquam audivisse, vel vidisse servari contrarium. Etenim ex illorum depositionibus constat, illos actus non fuisse repeti tos, ita parochi patronus argumentatur.

Quibus praenotatis, suppositum fuit diluendum

## Dubium

*An sit standum vel recedendum a decisis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 7 Septembris 1895 censuit respondere: *Recedendum a decisis, facto verbo cum SSmo.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Ex Tridentino praecipi, ut populo distincto in proprias paroecias, suum unamquamque habere parochum, pro tutiori animarum salute.

II. Parochum proprium ex iure esse ministrum baptismi, solemniter et ex pastorali officio celebrandi.

III. Qua de re Parochum in themate restitutum esse in plena et exclusiva administratione sacramentorum et custodia libri baptizatorum, ut remotis perturbationibus, pastor idem, usque ab incunabulis agnoscat oves proprias, per regenerationis sacramentum.

## AGRIGENTINA

### DISPENSATIONIS MATRIMONII

*Die 7 Septembris i'895.*

**Sess. 24 c. 5 de Reform.**

COMPENDIUM FACTI. Nobilis vir Franciscus in Siracusana Provincia dynastes (vulgo Barone) amore captus erga puellam Iosepham, quae vix unde vigesimum annum attigerat, eam in uxorem depoposcit ac facile obtinuit.

Solemnis coniugii statuta die adventante, Franciscus Salvatorem, sponsae patrem, rogavit, ut nuptiae protraherentur, fassus se veneream contraxisse luem, a qua sanari ante matrimonii celebrationem cupiebat. Tunc sponsae pater medicum consuluit, qui genitalibus Francisci inspectis, Salvatori retulit nullam invenisse in eo luem, quae uxorem contagio infìceret. Sed in iudicio idem medicus refert, se Francisci testes ita tenues invenisse, ut praeseferant atrophiae notam;

quam tamen rem potiusquam patri, significare voluit advocato Bartholomaeo Germain, qui Iosephae patrem de Francisci defectu moneret.

Cum autem advocatus, prouti etiam ipse testatur, medici mandatum haud executus sit, die 16 Aprilis anni 1890 *Dicatae* Agrigentinae Dioeceseos Franciscus et Iosepha legitimum coram Ecclesia contraxerunt matrimonium, atque statim thalami societatem sunt aggressi.

Sed Franciscus ad officia coniugalia adimplenda impar fuisse edetur, quare quinque vel sex dies post nuptias Salvator re conscius, sponsum Panormum adduxit ac ibi tres consuluit medicos scientia praestantes, qui Francisci genitalibus examinatis, testes atrophia iam a medico Basile recognita adhuc laborare confirmarunt.

Franciscus postea Panormo discedens in patriam perrexit, nec amplius Leocatam ad uxorem reversus est.

Post haec Salvator quam cito, ut infelicis filiae conditioni prospiceret, laica tribunalia adivit, nullitatis matrimonii declarationem ob manifestam Francisci impotentiam petens. Huic iudicio pro viribus restitit conventus Franciscus, at iudex 24 Maii 1892 sententiam pronunciavit, qua plene Iosephae eiusque parentum votis annuit.

Paucis a tribunalis civilis sententia transactis mensibus, supplicem Iosepha porrexit libellum ad Episcopum primum, deinde ad Romanum Pontificem, ut infaustum connubium irritum edicere tur vel saltem, utpote non consummatum, Pontificia auctoritate dirimeretur.

S. C. Concilii Episcopo agrigentino iudicialem inquisitionem demandavit, qui, constituto Tribunali, per Iudicem delegatum iuratas actricis eiusque septimae manus depositiones excepit. Franciscus quoque interrogationi iudiciali se subiecit et septimae manus testes adduxit, at perfracte recusavit ut, eius genitalia a medicis iterum exploraren tur.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Ad matrimonii non consummationem evincendam actricis defensor a iurata utriusque coniugis asseveratane initium sumit.

Contra vinculi defensoris possibiles obiectiones relate ad coniugum iuratas assertiones, orator animadvertit, quomodo in iudiciis omni tempore magnam habuerit vim iuramentum, et S. C. C. centies in causis matrimonialibus hanc iurisiurandi efficaciam solemniter recognovit. Sufficiat referre causam *Parisiensem* diei 15 Decembris 1894, in qua Ernestus Lecointe voti compos factus est, licet velut unicum matrimonii hon consummati suppeteret indicium - affirmatio viri religiosi sacramento corroborata. At, notat procurator, praesenti etiam in casu Iosephae probitatem pleno ore laudant omnes testes et ipse Leocatensis Parochus, qui puellae mores cognoscere profecto credendus est.

Sed hac in causa, prosequitur advocatus, perfacile insuper demonstratur neque coniuges, concordi consilio, machinan potuisse, ut fraude optatum impetrarent: neque periurare Franciscum, ut propriae utilitati consuleret. Quis enim dicat coniuges inter se collusisse, si eorum animi, celebrato matrimonio, implacabili e vestigio discordia abalienati sunt? si inter ipsos, dum civilis caussa ad nuptias dirimendas agebatur, simultates et iurgia acerrime exarserunt, Iosepha Franciscum repudiante, utpote imparem coniugalibus officiis, et Francisco losepham calumniae insimulante?

Neque falsum, ait orator, Franciscus confìngere poterat, qui ex periurio haud certe lucrum, sed gravissimam iacturam facturus erat. Nam, quum ille a iudice laico coeundo inhabilis existimatus fuerit, sequitur illico, ut, matrimonio quo Iosephae iungitur, Pontificis auctoritate, dirempto, alius ducendae uxoris spem abiicere debeat. Quinimmo Francisco nihil est optatius, quam ut illos mendacii redarguat, a quibus in venerem frigidus appellatur. Quapropter si Franciscus uxori coivisset, matrimonii consummationem non de-

negasset, nam haec argumentum omnium optimum ei suppeditabat, ut quamlibet impotentiae suspicionem a se removeret.

Quod coniuges, prosequitur advocatus, affirmant, testium responsionibus confirmatur. Omnes sane testes a Iosepha prolati persuasum «habent matrimonium, praepediente vitio, quo Franciscus laborat, consummatum non fuisse. Quin imo profitentur hanc rem ita Leocatae percrebuisset ut, quatriduo post nuptias, quum coniuges perpetuo seiuncti sunt, in ore omnium esset.

Nec porro praetereundum est, ait Iosephae defensor, etiam illos testes, quos adhibet Franciscus, ut suam infitietur infirmitatem, infitias tamen non ivisse, matrimonium non fuisse consummatum. Sed potissima argumenta, urget orator, ab adiunctis accipienda sunt.

Exploratum est, quarta vel quinta die, postquam nuptiae celebratae sunt, Franciscum, uxore relicta, Panormum medicos consultum de suorum virilium integritate, perrexisse. Id enim testantur Iosepha, Franciscus, Salvator, Iosephae pater, qui Franciscum comitatus est, ceteri testes et ipsi medici, qui consulti sunt. Ex quo colligit Orator, matrimonium tunc temporis consummatum non fuisse : si enim consummatum fuerat, non permisisset Franciscus, ut inquireretur an aptus esset nec ne coniugalibus explendis officiis. At exploratum est Franciscum, Panormo digressum, in patriam (Chiaramonte Gulfi) remeasse: neque amplius Leocatam ad uxorem reversum esse. Id enim asseruerunt, praeter coniuges et testes, leocatensis Parochus et ipse agrigentina Episcopus.

Quapropter, argumentatur procurator, si quatuor illis diebus, quibus Iosepha viro convixit, matrimonium consummatum non est; postea coniuges diversissima loca incolentes illud consummare certe non potuerunt.

Ad medicorum iudicium accedens oratricis defensor, iuratum testimonium celebris medici Ioannis Cosentino refert, qui Iosephae genitalia inspexit, quum haec, a viro dissociata,

ad laicum iam confugerat iudicem, ut irritum fieret matrimonium. Ipse autem coram Episcopo puellae virginitatem affirmavit»

Praevenit nunc orator effuso calamo nonnullas difficultates, quas defensor matrimonii in huiusmodi casibus repetere solet. Atque imprimis reiicit illud suetum argumentum, quo matrimonii defensor sustinet nulla inveniri certa virginitatis signa; ideoque medicorum dictis, qui illam testati sunt, fidem addendam non esse. Talem enim conclusionem invictis probationibus prorsus evertunt celeberrimi nostrae aetatis medici et ipsa S. C. C. sexcenties explosit. Item, pergit advocatus, dicendum est si obiiceretur, oratricis genitalia inspecta esse a medico et non ab obstetricibus, sicuti praescripsit *Instructio 22 Augusti 1840.* Innumeris enim vicibus S. C. C. declaravit, nisi aliud obstaret, non consummationem matrimonii, si a medicis absque obstetricibus virginitas fuisset comprobata. Immo, observat patronus, inveniuntur causae, in quibus unius tantum medici sententia exquisita fuit, licet certa indicia non suppeterent, quae alterum coniugem ad coeundum invalidum significarent, et tamen dispensatio elargita est. - Quanto magis hac in caussa unius testimonio standum est, quum dubium non sit, quin vitium, quo Franciscus laborat, illum in venerem frigidum efficiat ?

Nec melioribus ominibus, ait orator, vinculi defensor contenderet medici Cosentini sententiam parvi faciendam esse, quum ipse in mulieris inspectione iuris normas non servaverit. Nam existimandum est celebrem medicum, qui idcirco consulebatur, ut virginitatis signa deprehenderet, antequam puellae genitalia, laico praecipiente iudice, ab alio medico inspicerentur, illas tenuisse medicinae regulas, quas ad veritatem detegendam aptas duceret; alioquin fama periclitaturus erat, si medici a iudice detecti contraria iudicassent.

Nec postremo, notat Iosephae defensor, vinculi tutor dicet, nos frustra medicum Cosentino in auxilium invo-

casse, quem *extra iudicium* consultum fuisse constat. Nihil enim officit auctoritati iudicii, quod illud ante caussam inceptam factum sit; si postea iudicium ipsum, interposito iureiurando, coram iudice confirmatum est.

Ad hoc autem clarius comprobandum advocatus animadvertit quomodo duplex est iudiciorum genus, in quibus de nuptiis dissociandis controversia est. In altero eo tendunt coniuges, ut propter impedimentum inter se intercedens, matrimonium irritum edicatur, in altero illud exposcunt, ut matrimonium legitime celebratum, sed nondum consummatum, Pontifice miserante, dirimatur. In altero summo iure agitur, legum normis stricte servatis, quia suum repetenti tribuitur; in altero ex aequo et bono inquiritur, legum rigore interpretatione mitigato, quia beneficium imploranti conceditur. Tantum causas nullitatis Benedictus XIV, in celebratissima constitutione *Dei Miseratione,* nec non S. C. C. in decreto diei 22 Augusti 1840 moderarunt, ut eadem documenta legenti patet. In hoc enim iudicio ex quadam opportunitate, non autem ex iuris praescripto, regulas sequimur illi praestitutas : indubitatum enim est, eam satis esse persuasionem, quae *moralis* a theologis appellari solet ; ad quam inducendam probationes extra iudicium collectae merito afferri possunt. « Quum non sistitur apud iudicem pro dissolutione matrimonii per viam iustitiae, sed petitur a Principe illius sola dispensatio per viam gratiae, non debet concurrere rigor ille probationum, qui de iure requiritur in primo casu, sed princeps potest etiam moveri ab extraiudicialibus dénionstrationibus tam impotentiae viri, quam virginitatis mulieris ». (Ursaya *disc. Eccl. vol. III, p. II, disc. 22).* Pro inconsummationis probatione sufficiunt etiam et admittuntur probationes simpliciter extraiudiciales, tum ex natura iudicii gratiosi, tum ex suprema auctoritate S. Congr. Concilii pro voto requisitae, quae in praestando consilio iudiciales formas servare non tenetur ». (Conscius *de sep. tori lib. III, cap. II,* § *285 et 286),* et alii.

Quod si, observat patronus, quaerat vinculi defensor

cur Iosephae genitalia in ecclesiastico iudicio denuo explorata non sint: respondendum est Iosephae patrem id inhibuisse; filiam autem patris voluntati obviam ire nequivisse. Qua autem de causa libenter patris vetita obsecuta sit filia oratoris investigare non interest, cum eidem sufficiat matrimonium Iosephae et Francisci inconsummatum demonstrasse.

Sed, prosequitur Iosephae procurator, alia et quidem graviora pro inconsummatione militant argumenta. Porro medicus Basile, Francisci virilitate paucis ante matrimonium diebus inspecta, iuratus affirmavit, testiculos se invenisse adeo atrophos, ut Franciscum coeundo imparem esse certo compererit. Neque dubium est quin illi credendum sit. Hoc quippe iudicium tunc revera fuisse factum non autem hodie dolo confictum, testis est advocatus Bartholomaeus Germain, qui de illo certior extemplo factus est, ut Salvatorem Iosephae patrem, ad impediendas nuptias, praemoneret; quod tamen se inconsulte non praestitisse sero fassus est: testes sunt Leocatensis Parochus, Leocatensis praetor, alii plures qui idem a Basilio acceperunt ac ipse Franciscus, qui a iudice interrogatus, diffiteri non potuit, se Basile tunc temporis consilio fuisse usum. Basile insuper sententiae, tres Panormitani multi nominis medici iurati subscripserunt; addentes sibi esse persuasum vitium, quo Franciscus laborat, matrimonium praeivisse; nullum autem remedium, quod etiam Basile animadverterat, ad illud sanandum excogitari posse.

Quinimo, urget orator, rei iudicatae huc accedit auctoritas. Motucensis laicus iudex, die 24 maii anni 1892, ad scientiae praecepta re perpensa, aliorumque medicorum exquisito consilio, Franciscum coniugali muneri praestando inhabilem existimavit, et irritum fecit matrimonium. Civiles leges, quibus iniuria regimur, longe rigidiores quam canonicae sunt in dissociandis, hac de caussa, connubiis. Haud enim satis habent, vitium, ex quo impedimentum oritur, insanabile esse, nisi etiam oculis manifesto deprehendi possit *{cod. civ. art. 107),* ita ut *frigidum* virum, qui nempe in-

tegris virilibus est, sed penem ex quadam nervorum infirmitate arrigere ne,quit, infelix uxor repudiare non possit. Quare asserit Orator, plurimi faciendam esse huiusmodi sententiam, quamvis ab illo latam, qui nulla matrimonii dirimendi facultate ab Ecclesia donatus est.

Sed tali in argumento amplius immorandum non est, inquit advocatus, quum idem aperte probetur ex ipsa Francisci agendi ratione, dum contrarium persuadere conatur. Quippe ille dum diu exoptata nuptiarum dies aderat, repente vult eas differre et postridie nuptiarum, vitium, quo se affectum sentiebat deflet : *Schettu haiu statu, su gnu e sarò,* (qualis fui, talis sum, talis ero); et ad uxorem redire non audet postquam panormitani medici suam infirmitatem eius socero detexerunt.

Coram civili iudice profitetur, se uxori postridie nuptiarum coivisse, ne frigidus in venerem crederetur, et id quod affirmaverat, illico retractat simul ac uxor paratam se dicit ad suam virginitatem coram medicis demonstrandam. Ridiculae sunt eius tergiversationes, animadvertit orator, quum causam explicatur us, cur nunquam uxori coivisset, primum in iudicio civili uxoris recusationem accusavit: mox novi generis morbum, denique uxoris verecundiam et discordiam cum socero ortam. Eius insuper impudentia attendenda est, observat inconsummationis propugnator, in Ecclesiastico Iudicio, quum incredibiles et obscoenas fabellas commentus est, quo facilius turpem impudicitiae famam captaret, bis autem a Iudice arcessitus, qui eius virilia ad iuris normam iusserat a medicis inspici, ut sisteret adduci non potuit, quamvis, illo instante, inspectio in alium diem dilata fuisset.

Nec allata argumenta, contendit patronus, ullo modo infirmantur a Francisci depositione eiusque testium, qui confirmant illum saepe saepius coitum habuisse cum malis foeminis et ex quadam prostibula filium suscepisse.

Signa enim quae medici ad ostendendam Francisci impotentiam indicarunt clarissima sunt et ex ipsa genitalium conformatione deprompta. Quapropter tanta argumenta cor-

ruitura non sunt, nisi Franciscus vel eius testes usque ad evidentiam demonstrent, ipsum perfectam cum aliqua muliere explevisse copulam. At hoc nemo horum praestat, imo ex talibus depositionibus orator contrarium suadere contendit, sive attendatur incredibilis audacia, qua suam Franciscus turpitudinem in populum proferendam curavit, et coram Iudice ecclesiastico, expudorata fronte, iactavit: sive quia ille testes fere omnes mercenarios adhibuit; sive quia testes inepta vel pugnantia loquuntur, uti manifeste ex eorum depositionibus apparet.

Neque, ait advocatus, desunt causae, quae Pontificis animum movere possunt. Adest enim saltem gravis dubitatio de nuptiarum nullitate ex viri impotentia, quod dubium semper potissimam dispensationis causam constituit, uti Doctores docent.

Cui, notat patronus, accedit summa animorum disiunctio. Laicus iudex Francisco notam aspersit, quam ille adeo expavescit, ut malit impudicissimus hominum haberi, quam in venerem frigidus existimari. Veritate detecta ea Franciscus ira exarsit, ut Iosepham eiusque patrem conviciis contumeliisque insequeretur ; hunc corruptorem iudicum, illam falsam accusatricem appellans. Atqui ex hac animorum disiunctione expetitum a Iosepha beneficium saepissime concedi, omnes tradunt auctores. Ita Coscio *de sep. tori cap. XVI lib. 1 § 251, 256, 294.* Ursaya *disc. Eccl. votum-. IX p. 11 disc. q. n. 14 etc.*

Accedit denique, concludit orator, animae discrimen ex parte infelicis Iosephae, quae iuvenili vigore pollens, contra voluntatem, perpetuae continentiae adstringeretur.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Contra autem opinatur vinculi defensor, qui valde timet, ne Iosepha eiusque pater insidiose agant. Facili enim negotio, specimine scilicet obstetricum in corpore, matrimonium inconsummatum Iosepha demonstrare posset, a quo tamen abhorret Iosepha iubente patre. Sed in iure, ait orator, cautum est ut actor, qui penes se monumentum habet, ex quo intentatae

actionis iustitia liquet, reiiciatur a iudicii limite, nisi monumentum illud exhibeat, quod magis obtinere debet matrimonialibus in causis.

Nec, notat sacramenti vindex, haec iuris consequentia evitaretur, dicendo, Iosepham suam virginitatem amisisse post viri discessum, quia nihil praedicatum magis in foro est, quam quod virgo quae cum viro suo concubuit, si posthac deprehendatur corrupta, non ab alio quam a legitimo coniuge compressa censeatur : et ita iudicandum in omnibus casibus est, in quibus apodictica in contrarium argumenta praesto haud sunt.

Argumenta, prosequitur defensor, quae Iosepha atque pater in medium afferunt ad matrimonii inconsummationem astruendam duplicis generis sunt: alia inexploratam Iosephae physicam integritatem, alia Francisci explorata genitalia concernunt, at huiusmodi argumenta apodictica haud sunt. Et primo ullo modo Francisci impotentia probatur ex depositionibus Iosephae patris aut medici Basile.

Huius enim testimonium evertunt sex aesculapii, a laico tribunali adhibiti. Saecularis magistratus explorationem corporis Francisci primum commisit neapolitanis peritis Mariano Semmola, Antonio Cardarelli atque Francisco Todaro, qui die 15 Novembris 1890 data opera ad quam a iudice selecti, et proin a studio partium immunes, minutim omnia perscrutati sunt. Iam vero hi medici testantur non solum de singularum corporis partium sanitate, sed praeterea iurant vitium a medico Basile deprehensum ab atrophia toto coelo distare, et uno ore in hanc devenerunt sententiam.

Peremptorio hoc archiatrorum testimonio atque iudicio victa, Iosepha obtinuit ut a peritioribus corpus Francisci recognosceretur. Franciscus fecit et hoc, Romam venit, corpus suum a peritioribus iterum revideri permisit. Hi tamen peritiores Francisci corpus exterius interiusque accuratissime perscrutati, atrophiam, quam medicus Basile deprehendit, invenire minime potuerunt.

Insuper, urget orator, Francisci impotentia a medicis

Basile, Marchesane-, Argento et Ortega extra iudicii aulam excogitata exploditur aliis etiam argumentis. Si enim tali vitio Franciscus laboraret, certe evulgatum esset in parvo oppido, ubi Franciscus semper transegit vitam. Sed contrarium asserunt septem testes a iudice ecclesiastico sub iuramento excussi.

Quapropter matrimonii defensori risum excitat Iosephae patronus, dum obiicit : « Non fieri potest ut pueros, quos muliercula enixa est corpore quaestum faciens, sibi tanquam filios adsciscat, laetante quidem matre, quae patrem suae soboli invenit? » Testes enim tempus designant, quo liber natus est : testes iurant Luciam Catello esse a viro separatam : Luciam alium habuisse amasium, sed hunc a tribus iam annis vita functum esse: domum indigitant a Francisco conductam, in qua Lucia degebat dum natus est infans.

Pari facili modo orator confidit eversurum esse argumenta, quae actrix ad suam physicam virginitatem tuendam adducit. Siquidem medici Ioannis Cosentino testimonium, qui die *22* Aprilis labentis anni ad iudicem refert, Panormo visitasse Iosepham eamque reperiisse virginem, spernendum est, quum Clemens V *cap. 2* Clement. *De testib.* subornationem timeri iubeat in testibus post publicationem attestationum inductis.

Notat praeterea ligaminis propugnator medicum Cosentino testatum esse de iis quae nemo mortalium testari potest. Reque vera sciunt etiam fori stipites virginitatis sive corruptionis indicia plus minusve urgentia medicis'cognitoribus praesto esse ; at argumenta certa omnibus omnino numeris absoluta, quibus periti fidem facere « in modo absoluto » possint de physica mulieris virginitate est purum somnium. Sicuti ait Sánchez *De matr. lib. 7, disp. 108:* « Saepe oculi et manus explorantium falluntur; eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines apparent ». Cui astipulatur fusa demonstratione Zacchias *Quaest, medie, legal, tib. 4 tit. 2 q. n. 20 et seqq.*

Sed, prosequitur orator, omnia possibilia sunt Iosephae,

ditissimo censu praeditae. Profecto certae a iure praestitum tae sunt normae, quas quilibet magistratus, dum de re cognoscit ad suum tribunal deducta, ad unguem servare debet. Age modo: Iosepha ad laicum tribunal virum suum Franciscum rapuit, ' parata probare illum in coniugali palaestra esse inutile lignum. Iudex prout de iure tribus -neapolitanae civitatis archiatris, commisit ut Francisci corpus recognoscerent, qui concluserunt: non posse asserere Franciscum esse impotentem, et eo minus ex impotentia perpetua.

Hoc habito medentium responso, animadvertit vinculi tutor, omnia iura clamabant, ut iudex Franciscum ab illata accusatione absolveret. At nil minus : iudex iubet ut tres alii Urbis peritissimi archiatri Francisci corpus explorent, qui, sicuti iam retulimus, unanimi consensu renuntiant: Franciscum praeditum esse organis sexualibus aptis ad carnalem coniunctionem. Iis tamen non obstantibus, inquit defensor, iudex die 24 maii 1892 sententiam edit Iosephinae favorabilem, ob viri impotentiam patentem, perpetuam et matrimonio praecedentem. Et, quod incredibile omnino est, observat sacramenti assertor, Franciscus sententiae evidentissime iniustae ac sibi iniuriosae acquiescit, rationibus, si auri sacram famem excipias, ad fucum solummodo faciendum adductis.

Tandem orator animadvertit, inquisitionem ab Agrigentina Curia non eâ a studio partium immunitate peractam fuisse, quae necessaria est, ut veritas erumpat. Etenim tum Iudex, cum sacramenti vindex humanissimi sunt dum Iosepham interrogant atque inductos ab ea testes, e contra incivilibus quaestionibus urgent atque vexant Franciscum eiusque testes.

Praeterea cum Iosepha, cui onus probandi incumbit, inspectionem corporis tum in civili cum in ecclesiastico iudicio recusaverit, violentissima adversus eam urget praesumptio: nihilominus Agrigentinus Iudex de huiusmodi praesumptione ne quidem cogitat : at ex opposito Franciscus, qui nil probare debet, quippe qui non agit, sed raptus in iudicium est,

ac non semel a medicis explorata est, ex Iudicis mandato tertiam explorationem subire debet; et cum obtemperare recuset, Agrigentinus Iudex praesumptionem exinde contra Franciscum concipit; et potestate, quam sibi nemo detulit, usus, edicit: «Statuimus, et declaramus, certe constare, matrimonium istud, inter praedictos Franciscum et Iosepham contractum, licet non constaret evidenter de viri impotentia, tamen nunquam fuisse consummatum ».

Quibus ex utraque parte relatis, propositum fuit diluendum

## Dubium

*An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 7 Septembris 1895, censuit respondere : *Praevia sanatione actorum, affirmative, vetito viro transitu ad, alias nuptias, inconsulta s. Congregatione.*

# EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

DECRETUM quo moderatur ministerium colligendi eleemosynas per mulieres in piis Institutis ut opera misericordiae exerceant, Deo se devoventes.

Singulari quidem protectione et auxilio dignae semet exhibent mulieres illae, quae in piis religiosisque Institutis Deo se devovent, ut in proximorum bonum longe lateque opera misericordiae exerceant nedum directe, sed stipem etiam iisdem operibus sustentandis quaeritantes, atque egregiam eapropter humilitatis, patientiae, charitatis aliarumque virtutum laudem praeseferentes. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium, prae muliebri quaeritantium indole, ac hodierna humanae societatis conditione, periculis haud vacet nisi opportunis cautelis communiatur, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium nonnullis Episcopis petentibus, re diligenter et mature perpensa, haec quae sequuntur statuit ac decrevit.

I. In votorum simplicium Institutis opus quaeritandi eleemosynas alumnae non aggrediantur nisi in spiritu fidei, quod stipem non sibi quaerant, sed ipsi Christo Iesu, memores verborum eius : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Praeterea Ordinarios locorum, etiamsi eorum territoria pertranseant, obsequio, reverentia et devotione prosequantur, tamquam parentes et patronos, quos adeant cum fiducia pro consilio, auxilio ac praesidio in qualibet necessitate.

II. Iisdem votorum simplicium Sororibus non liceat eleemosynas quaerere sive intra dioecesim in qua ipsae resident, sive extra sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae.

III. Stipem quaesiturae extra dioecesim respectivae residentiae, licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci in quo eleemosynarum quaeritare desiderant.

IV. Nihil tamen impedit, quominus Superiorissae, nulla petita licentia, ad sublevandam domuum vel piorum operum, quibus praesunt inopiam, possint eleemosynas undequaque oblatas accepto habere, vel etiam per literas impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, usquedum a legitimo superiore, rationabili ex causa, non prohibeantur.

V. Ordinarius loci, in quo extat domus Sororum quaeritare volentium, licentiam eis non concedat, 1° si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet; 2° si quaeritatio commode fieri possit per alios ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitati occurri valeat per quaeritationem in loco, in quo Sorores resident, vel infra propriam dioecesim, Ordinarius licentiam eisdem non impertiatur eleemosynas colligendi extra dioecesim.

VI. Utraque licentia tradatur gratis et in scriptis, in qua quilibet Ordinarius leges et conditiones imponere poterit, quas pro locorum, temporum et personarum adiunctis magis opportunas in Domino iudicaverit. Licentia vero Ordinarii piae Sororum domus contineat literas vel commissorias ad parochos aliasve prudentes personas, pro Sororibus quaeritantibus intra dioecesim, vel commendatitias ad Ordinarios aliarum dioecesium pro Sororibus extra propriam dioecesim quaeritantibus. In uteris commissoriis mandetur parochis aliisve probis personis, ut consiliis et meliori qua possunt opera praesto sint Sororibus, earum agendi rationem invigilent, et si quid in eis minus rectum resciverint, statim ipsi Ordinario referant. In com-

mendatitiis exorentur Ordinarii locorum, ut in sua quisque dioecesi Sorores ad quaeritandum admissas protegat ac adiuvet ac si sibi subditas eas haberet.

VII. Quisque loci Ordinarius sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eamdem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Sororibus vero huiusmodi licentiam exhibentibus ipse suam, si Iubeat, impertiatur licentiam quaeritandi in propria dioecesi. Ubi autem Sorores, etiamsi utraque licentia praeditae, in eleemosynarum quaestu male se gerant, statim in propriam domum eas redire Ordinarius iubeat, opportunisque etiam mediis si opus fuerit compellat.

VIII. Superiorissae, praesertim extra locum ubi domus habent, numquam ad eleemosynas quaerendas mittant Sorores, nisi binas, aetate et animo maturas, intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra duos menses, et semper ea pecuniae summa instructas qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. Sorores quaeritantes semper et ubique ea qua decet, modestia eniteant, virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant; clamores, tabernas aliaque loca incongrua évitent; nec in domibus longiorem moram faciant, quam sit necessarium pro expectandis eleemosynis. Singulae nunquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur via ferrea; sed quantum possunt, de nocte, neque ab uno loco discedant, neque ad alium perveniant. De suo adventu futuro' praemoneant illum, cui datae sunt Episcopi literae; eique cum pervenerint se sistant precesque adhibeant, ut intercedat pro invenienda hospitalitate apud aliquod pium feminarum Institutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem, nunquam vero in domo ubi possint in aliquod periculum offendere. Matutinas ac vespertinas preces non omittant : quotidie de mane aliquam ex vicinioribus ecclesiis petant, ibique Sacro assistant : singulis hebdomadis Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis reficiantur. Ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quaeritent. Elapso tempore ad quaeritandum eis praefixo, sine ulla mora ad propriam Superiorissam recto tramite remigrent. Eleemosynas numquam arroganter vel tamquam debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et piorum operum exposita inopia, si quid sponte offertur accipiant, secus

patienter divinae Providentiae confidant. Alias normas opportunas, quae a propria Superiorissa dari poterunt, adamussim observent.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 27 Martii 1896.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

A. CAN. BOCCAPOGLI *Sub-Secr.*

ABULENSIS. Dubia quoad clericos regulares aut expulsos, aut obtinentes dimissionem ab Apostolica Sede etc.

Beatissime Pater

Ioannes Episcopus Abulensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, ea, quae sequuntur, exponit.

Sunt in hac Dioecesi aliqui alumni Institutorum Religiosorum in Sacris constituti, alii expulsi, alii ab Apostolica Sede dimissione obtenta, ex claustro egressi, sed quin prius benevolum Episcopum receptorem invenissent, nec de ecclesiastico patrimonio sibi provinssent Ex Decreto *Auctis admodum* Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 4 Novembris 1892, primi perpetuo suspensi manebunt, donec a Sancta Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secundi vero etiam ab Ordinum susceptorum exercitio suspensi erunt. Episcopus Orator.ob Cleri saecularis sufficientem copiam, aliisque iustis de causis, Episcopus benevolus receptor horum alumnorum esse nequit; sed de eorundem miserrima vita, angustissima que conditione maxime dolet, et eorundem supplicationibus quotidie torquetur. Unus ex illis iam Presbyter, in agrariis laboribus occupatus victum sibi comparat. Exoptans Episcopus Orator aliquid praedictis alumnis levaminis afferre, quin onera Episcopi benevoli receptoris in se suscipiat, Sanctitatis Vestrae sequentia dubia pro solutione reverenter submittit:

I. An possit praedictis alumnis licentiam concedere, ut Ordinem exercere valeant, sed ad nutum suum, uti mos est con-

cedere clericis alienae dioecesis, ad tempus hic commorantibus, quin onera Episcopi benevoli receptoris in se suscipiat?

II. Et quatenus negative, quid faciendum cum his miseris clericis, qui nec Episcopum benevolum receptorem inveniunt, nec patrimonium ecclesiasticum sibi constituere possunt?

Et Deus etc.

Ad primum dubium Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, respondendum censuit, uti respondet: *Prout exponitur, negative. Sed eadem Sacra Congregatio facultatem tribuit Episcopo Abulensi, quatenus nihil aliud sibi obstet, permittendi praefatis alumnis sacros Ordines exercere ad tempus sibi benevisum, donec maneant in sua dioecesi, praevia obligatione sibi inveniendi Episcopum benevolum receptorem et constituendi sibi sacrum, patrimonium ad formam Decreti « Auctis admodum » aut Rescriptorum Sacrae Congregationis, si quae obtinuerint.*

*Ad secundum: Provisum in primo.*

Romae, 20 Novembris 1895.

I. CARD. VERGA *Praefectus.*

A. TROMBETTA *Pro Secretarius.*

ABULENSIS,. Dubia quoad interpretationem Decreti - *Auctis admodum* (1).

Eminentissime ac Reverendissime Domine

Episcopus Abulensis exponit quae sequuntur:

Ex Decreto *Auctis admodum* istius Sacrae Congregationis die 4 Novembris 1892 sancitum fuit: alumnos votorum solemnium vel simplicium, tam perpetuorum, quam temporalium, in Sacris constitutos, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensos mansuros, donec a Sancta Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de patrimonio ecclesiastico sibi providerint: alumnos vero, qui sponte ab Apostolica Sede dimissionem petierint et obtinuerint, ex claustro non egressuros donec Episcopum be-

(1) Confer Vol. XXV, 512 ; Vol. XXVI, 616.

nevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus ab Ordinum susceptorum exercitio suspensos esse mansuros. Circa interpretationem vero huius Decreti hac in parte quaedam oborta sunt dubia, quae reverenter Vestrae Eminentiae sapientiae subiicit:

I. Utrum haec verba « Episcopum benevolum receptorem invenerint et de patrimonio ecclesiastico sibi providerint», ita collective sint intelligenda, ut ad tollendam suspensionem ambo sint necessaria, nempe, et Episcopum benevolum receptorem invenire, et patrimonium ecclesiasticum constituere, vel sufficiat tantum Episcopum benevolum receptorem invenire?

II. Utrum haec verba, quae in numero V leguntur « secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum », ita sint sumenda, ut Religiosus, qui obtenta Apostolica licentia claustro exierit, quin prius Episcopum benevolum receptorem invenerit vel de patrimonio ecclesiastico sibi providerit, sit suspensus tantum donec Episcopum benevolum receptorem inveniat et patrimonium ecclesiasticum sibi constituat, vel sit suspensus donec ab Apostolica Sede suspensio tollatur, invento Episcopo benevolo receptore et patrimonio ecclesiastico constituto?

S. C. Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, respondet:

*Ad primum dubium: Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

*Ad secundum: Affirmative pariter ad primam partem; Negative ad secundam.*

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium hac die 20 Novembris 1895.

I. CARD. VERGA *Praef.*

A. TROMBETTA *Pro Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIUM quoad Missam conventualem.

Sacra Rituum Congregatio ad Decreta, quibus indulget Missam solemnem vel etiam Missas lectas in aliqua extrinseca festivitate, solet adiicere clausulam: dummodo non omittatur Missa Conventualis vel Parochialis, officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio. Porro nonnulli Ecclesiarum Rectores huiusmodi clausulae declarationem ab eadem Sacra Congregatione humillime rogarunt; et ipsa Sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, re accurate perpensa, declaravit: *obligationem in casu quoad Missam Conventualem, Officio diei respondentem, adesse pro Ecclesiis, in quibus ea die fit Officiatura Choralis,- iuxta Decretum 6 Iunii 1888 ad II; quoad vero Missam Parochialem, eam Officio diei conformem esse debere, quando peragenda sit eum applicatione pro populo.*

Atque ita rescripsit. Die 21 Februarii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R.* C. *Secretarius.*

PLATIEN. Dubia varia.

Rmus Dnus Marianus Palermo, Episcopus Platien, a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum:

I. An in accessu Episcopi Ordinarii ad Ecclesiam Cathedralem, rei divinae peragendae causa, sive ipse celebraturus sit, sive alter, aera turris campanariae pulsari debeant?

II. Utrum in casu teneantur Canonici Episcopum, cappa vel habitu chorali indutum, comitari et deducere?

III. An in expositione privata, quando populus benedicitur cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, pyxide clausa, ipsa pyxis cooperienda sit velo humerali?

IV. Utrum benedicto coemeterio, censeri debeat benedicta etiam Ecclesia, eidem adnexa, et viceversa?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, Dubiis accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad L *Affirmative, ad normam Coeremonialis Episcoporum.*

Ad II. *Stetur Caeremoniali et Decretis.*

Ad III. *Affirmative, iuxta. Decretum in una Meliten. 23 Februarii 1839* (1).

Ad IV. *Negative ad utrumque.*

Atque ita rescripsit. Die 21 Februarii 1996.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. *R. C. Praefectus.*

L. S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secret.*

DECRETUM quo festum S. Thomae Episcopi Cantuariensis et martyris evehitur ad ritum duplicem minorem pro universa Ecclesia.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, communia vota Emorum et Rmorum Patrum Sacris tuendis Ritibus praepositorum, libenter excipiens, festum Sancti Thomae Episcopi Cantuariensis et Martyris ad ritum duplicem minorem pro universa Ecclesia evehere dignatus est; illudque sub praedicto ritu in Calendario universali et in novis editionibus Breviarii Romani deinceps inscribi decrevit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Februarii 1896.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, 5. C. *R. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

(1) MELITEN. 23 Februarii 1839. Dubium V. An Sacerdos quando benedicit Populum sacra JPyxide debeat illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi numeratis quemadmodum iubet Rituale Romanum in delatione Viatici, non tamen post Viaticum sed alia in occasione?

Ad S°. Deberi in benedicendo Populo cum sacra Pyxide illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi numeratis.

QUEBECEN. Dubia varia.

Rmus Dnus Nazarius Begin, Archiepiscopus Cyrinensis, Administrator Dioecesis Quebecensis, Sacram Rituum Congregationem pro sequentium Dubiorum solutione humiliter rogavit, nempe:

I. Ex peculiaribus Indultis Dioecesi Quebecensi concessis, solemnitas quorundam festorum de praecepto transfertur in Dominicam proximam sequentem, vel ea impedita, in Dominicam antecedentem; atque ita, ut in Ecclesiis, ubi fit Officia tura cum cantu, Missa et Vesperae solemnes de hisce festis, additis Commemorationibus iuxta Rubricas, peragantur; in aliis vero, unica Missa lecta celebratur. Hinc quaeritur: An subsistat die, qua celebratur Officium transferendae vel translatae solemnitatis:

1. Prohibitio celebrandi Missam in Oratoriis mere privatis, et Missam exequialem praesente corpore?

2. Obligatio Parochorum Missam applicandi pro populo?

3. Facultas Episcopo concessa conferendi Ordines Sacros diebus festivis de praecepto?

II. Utrum eaedem solemnitates celebrari possint in festis Circumcisionis Domini et SSmae Trinitatis, die octava Epiphaniae, Dominica Passionis et Dominica in Albis, quae festa quaelibet alia, etiam Duplicia primae classis, excludunt?

III. An pluribus occurrentibus solemnitatibus transferendis, una vel altera possit ad libitum omitti vel saltem simplificari per commemorationem sub unica conclusione cum oratione Dominicae primae classis vel festi, aut solemnitatis ritu, aut privilegio superioris?

IV. Utrum in parochiali Ecclesia, cuius titulare festum ipsa die fuit a populo ex devotione celebratum, solemnitas debeat nihilominus die Dominica peragi?

V. An Indultum speciale, 13 Maii 1855, quo solemnitates transferendae in Dominicam sequentem, eaque impedita, in Dominicam proximam praecedentem, ad hanc solam Dominicam restringatur?

VI. Utrum in Ecclesiis, ubi ex Indulto 13 Maii 1819 solemnitas translata peragitur cum Missa et Vesperis solemnibus, hi qui iisdem Vesperis assistunt, Divini Officii recitationi satisfaciant?

VII. An idem Indultum pro Ecclesiis concessum, compre-

hendat etiam Oratoria tum publica tum privata? et quatenus Negative ad secundam partem, imploratur gratia extensionis ad Oratoria privata Collegiorum, Hospitiorum et aliarum Communitatum, iuxta prudens Ordinarii iudicium in singulis casibus.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis exquisitoque voto Commissionis liturgicae, ita propositis dubiis respondendum censuit, videlicet:

Ad I. *Negative quoad primum. Affirmative, quoad secundum et tertium.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Fiat de solemnitate digniori, et minus digna transferatur in proœimiorem Dominicam liberam.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Ad Sacram Congregationem Concilii.*

Ad VII. *Quoad quaestionem: Indultum comprehendere tantum Oratoria publica; quoad postulatum: Non expedire.*

Atque ita rescripsit. Die 6 Martii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. % S.

A. TRIPEPI *Secretarius.*

ROMANA quoad initiationem hymni angelici, aliasque.

A Sacra Rituum Congregatione postulaverunt plurimi: An intonationes Hymni angelici ac Symboli, necnon singulae modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendae, videlicet Orationum, Praefationis, Orationis Dominicae et cum relativis responsionibus ad chorum pertinentibus, ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali, an mutari potius valeant, iuxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum?

Et eadem S. Rituum Congregatio, audito voto Commissionis liturgicae, reque mature perpensa, censuit rescribendum: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam, et quamcumque contrariam consuetudinem esse eliminandam, iuxta*

*Decretum 21 Aprilis 1873.* Atque ita rescripsit ac servari mandavit Die 14 Martii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. B. C Praef.*

L. * S.

A. TRIPEPI *Secretarius.*

BASI LEEN. Dubia varia.

R. D. E. Iobix, Sacerdos et Moderator Kalendarii ad usum cleri Dioeceseos Basileensis in Helvetia, de consensu sui Riîii Ordinarii, sequentia Dubia pro opportuna solutione Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit, nimirum:

I. Utrum in festis ss. Petri Damiani, 23 Februarii, et Alfonsi M. de Ligorio, 2 Augusti, mutandus sit tertius versus in Hymno Iste Confessor?

II. In Dioecesi Basileensi die 22 Martii, sub ritu duplici minori celebratur festum B. Nicolai de Flüe, qui obiit die 21 Martii 1487, et huiusmodi festum, concurrens cum festo Sancti Benedicti Abbatis, sub ritu duplici maiori recolendo, tantum Commemorationem habet in primis Vesperis. Quod si incidat in Feriam secundam aliquam Dominicam Quadragesimae vel Dominicam Passionis, et de illo recitandus sit Hymnus: Iste Con fessor, in primis Vesperis, quaeritur: Debetne mutari tertius versus in Hymno, et haec mutatio indicari in novis editionibus Proprii Dioecesani, a S. Rituum Congregatione die 30 Septembris 1869 approbati?

III. Kalendarium Dioecesanum, a S. Rituum Congregatione approbatum, indicat pro Dominica secunda, post Pascha, festum ss. Sigismundi Regis et Soc. Mm. sub ritu duplici minori. Sive ante, sive post approbationem Kalendarii, praedictum festum omissum fuit, quotiescumque aliud festum duplex enunciata Dominica occurrebat, prout fit hoc anno, quo celebratur festum Sancti Leonis IX Papae, sub ritu duplici secundae classis, festo ss. Sigismundi et Soc. penitus omisso. Quaeritur, utrum hac in re bene ordinatum sit Kalendarium?

IV. In Dioecesi Basileensi festum Sacrarum Reliquiarum peragitur sub ritu duplici maiori, Dominica infra octavam Omnium Sanctorum. Porro quotiescumque littera dominicalis est « d » saltem pro mense Novembri deest praedicta Dominica.

Etenim festum Omnium Sanctorum celebratur die prima mensis, et Dominica sequens est dies octava eiusdem festi. Quaeritur, utrum hoc in casu omitti debeat festum Sacrarum Reliquiarum, ut hucusque factum est, an potius ad primam diem liberam, id est diem 19 Decembris transferendum sit?

V. In editione typica Breviarii Romani legitur sequens Rubrica die 16 Septembris: Si festum ss. Cornelii et Cypriani venerit in Dominica, fit Officium de Dominica cum commemoratione eorundem in utrisque Vesperis et Laudibus, et IX lectione historica, ex tribus una, atque commemoratione ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani Mm. in primis Vesperis et Laudibus, omissa Lectione. Porro quum in praedicto casu, ubique terrarum recolatur festum VII Dolorum B. M. V. pro Dominica III Septembris assignatum, videtur esse corrigenda haec Rubrica in novis editionibus Breviarii. Hinc quaeritur, utrum et quomodo haec correctio neri debeat?

VI. Ex S. R. C. Decreto die 8 Decembris 1895 circa celebrationem Missae in Ecclesia aliena, videtur Sacerdos habens festum duplex primae classis non posse celebrare, nisi more votivo Missam conformem suo Officio, quando ritus alienae Ecclesiae permittit Missas de Requie et votivas. Quid agendum in casu? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis liturgicae, propositis dubiis rite expensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative, iuxta editionem typicam et Martyrologium Romanum.*

Ad II. *Afftrtnative, ut in festo S. Hyaeinthi Conf die 16 Augusti.*

Ad III. *Affirmative, et festum ss. Sigismundi et Soc, quoties impeditur, penitus omittatur.*

Ad IV. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, nisi obtineatur Indultum pro translatione.*

Ad V. *Detur Decretum in Aretina, 18 Iunii 1895 Ad VI* (1).

Ad VI. *Missa Officio conformis, sive de semiduplici, sive de quocumque duplici, et in casu, est festiva; proinde non est votiva, nec more votivo dicenda.* Atque ita rescripsit. Die 14 Martii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R.* C. *Praef*

A. TRIPEPI *Secretarius.*

(1) Adest decretum hoc Vol. XXII, 575.

# EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

DUBIA super interpretatione decreti sub n. 196 Concilii Baltimorensis.

Legitur in actis Concilii Baltimorensis Statuum Foederatorum Americae sub n. 196.

« Itaque parentes catholicos non solum paterno amore hortamur, sed iis etiam omni qua valemus auctoritate praecipimus, ut dilectissimae proli suae, a Deo sibi datae, Christo in baptismate renatae, et coelo destinatae, educationem vero christianam et catholicam procurent eamque totam ac toto infantiae et pueritiae tempore a periculis educationis mere saecularis defendant, et in tuto collocent, atque ideo eam in scholas parochiales vel alias vere catholicas mittant, nisi forte Ordinarius in casu particulari aliud permitti posse iudicet. »

Hinc circa praedictum Decretum Concilii, Episcopus, in Republica Statuum Foederatorum existens, a S. Congregatione de Propaganda Fide petiit solutionem Dubiorum, ut sequitur:

I. Utrum sensum Decreti n. 196 Concilii Plenarii Baltimorensis III, et praecipue verba « omni qua valemus auctoritate praecipimus » bene intellexerim ?

II. Utrum Ordinarius habeat facultatem cum debita prudentia parentes, mala voluntate ductos, liberos ad scholas publicas mittentes, sacramentorum receptione indignos censere, donec resipuerint?

III. Utrum Decretum synodale supra memoratum et in futuro sustineri valeat?

Huic tamen Episcopo Eminentissimus Praefectus S. Congretionis eo modo respondit:

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Maxima quidem laude dignus est zelus Amplitudinis Tuae pro religiosa instructione puerorum istius Dioeceseos. Id enim consonum est dispositionibus vestri Concilii Plenarii Baltimorensis III, et etiam intentioni Sanctitatis Suae, prout constat ex recentissima eiusdem Encyclica Epistola ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis; attamen quoad modum obligandi catholicos genitores, ut filios mittant ad scholas parochiales, id relinquitur prudenti iudicio Ordinariorum, qui at-

tentis specialibus adiunctis temporum, locorum et personarum, in quibus versantur, id pro sua sapientia decernunt quod magis expediens et efficax existimat pro attingendo exoptato finé.

Interim Deum precor, ut Te diu sospitet.

Amplitudinis Tuae addictissimus Servus

A. CARD. LEDOCHOWSKI *Praef.*

LITTERAE Emi Praefecti quibus intuitur presbyterum catholicum posse assistere matrimoniis protestantium tamquam ministrum.

R. P. D. Francisco Jansen Archiepiscopo Neo-Aureliae.

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Hac occasione respondens alteri tuae epistolae, mihi datae die 27 Decembris proxime elapsi, in qua petis utrum liceat Sacerdoti catholico tamquam ministrum civilem se habere in celebratione matrimoniorum protestantium, Amplitudini Tuae significo id licitum esse: hoc enim casu, Sacerdos est tamquam testis auctorizabilis.

Interim vero Deum precor, ut Te diutissime sospitet.

Amplitudinis Tuae

A. CARD. LEDOCHOWSKI *Praef*

# EX S. DATARIA APOSTOLICA

LITTERAE Emi Pro-Datari i quoad dispensationes matrimoniales.

Perillustris et Reverendissime Domine.

Petitionum copia pro obtinendis matrimonialibus dispensationibus super impedimento primi tangentis secundum consanguinitatis gradum Sanctissimi Principis Domini Nostri Leonis Papae XIII mentem, ingluvie malorum percrebescente, perculit. Etenim animadvertens indulgendo huiusmodi concessionibus, effraenata licentia, quae de die in diem augetur, haudquaquam

compescitur; eo quod occasio continua, commodum eam impune satisfaciendi allectant nupturientes spe etiam modo coniugali occulturos infelices effectus, atque reatus, qui iam praecesserunt.

Ne vero Sanctitatis Suae indulgentia praebeatur occasio salutarem disciplinam labefactandi, quae a sanctitate sacramenti iubetur, et tantum prodest morum integritati, societatis bono et vegetiorum corporum incremento, onerat Episcoporum conscientiam, ut" sedulo invigilent, ne Sanctae Sedis precantes accedant, nisi verae causae canonicae iure commendent, et litteris manu propria exaratis rationes in quolibet casu explicent, nec non circumstantias, quibus putent gratiam esse concedendam. Tali modo Summus Pontifex tutior annuet petitionibus, quoties agnoscet necessitatem eo obstrictiorem, quo artes erunt minores alio modo consulendi.

Pro certo habeo Amplitudinem Tuam omnibus viribus elaboraturam, ut Sanctitatis Suae vota praeoptatum finem habeant. Interim meae observantiae sensus Tibi profiteor, atque cuncta adprecor a Domino.

Datum Romae ex idibus Nostris die 19 Iunii 1895.

Amplitudinis Tuae

Servus verus
A. Card. BIANCHI P. D.

# EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

Damnantur tres societates in statibus unitis Americae septentrionalis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Amplitudinem Tuam profecto non latet, Reverendissimos Archiepiscopos in ecclesiasticis Provinciis istius Foederatae Reipublicae constitutos in suis conventibus egisse de tribus, quae istic evaluerunt Societatibus, Sociorum nempe singularium (Odd Fellous), Filiorum temperantiae (Sons of tempérance) et Equitum Pythiae (of Pithias) atque unanimi consensu rem iam iudicio Sedis Apostolicae detulisse. Porro Sanctissimus Domi-

nus Noster quaestionem examinandam tradidit Reverendissimis et Eminentissimis DD. S. R. E. Cardinalibus una mecum Inquisitoribus generalibus. Hi vero generali Congregatione Feria IV die 20 iunii 1894, confirmantes iudicium de aliquibus ipsismet Societatibus alias latum, decreverunt.

Cunctis per istius regionis Ordinariis esse omnino connitendum, ut fideles a tribus Societatibus praedictis et ab unaquaque earum arceantur, eaque de re fideles ipsos esse monendus: et si monitione insuper habita, velint adhuc eisdem Societatibus adhaerere, nec ab illis cum effectu separari, a perceptione sacramentorum esse arcendos.

Sanctissimus Dominus Noster sententiam hanc plene confirmavit et ratam habuit. Quae idcirco per praesentes Amplitudini Tuae significantur, ut per te nota fiat cunctis istarum regionum Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis et pro bono animarum regimine ad effectum deducatur.

Interim fausta atque felicia omnia tibi a Deo O. M. precor.

Romae, 20 Augusti 1894.

L. M. CARD. MONACO

LITTERAE Emi Cardinalis Monaco La Valletta ad Ordinarium Alexandrinum, quoad condimenta ex adipe.

*Die 25 Martii 1895.*

In risposta alla pregiata Sua dei 12 corrente, diretta a Mons. Commissario di questa Suprema Congregazione, partecipo a V. S. che nella feria IV 1 Maggio 1889, propostosi il quesito, se l'espressione « *condimenti di grasso* », usata negli indulti per la quaresima e per condimenti fra l'anno, dovesse intendersi del grasso di qualunque animale, gli Emi Sigg. Cardinali Inquisitori Generali, miei colleghi, risposero : *Affirmative.*

**(versio latina)**

Litteris ab Amplitudine Tua ad R. P. D. Commissarium huius Supremae Congregationis, datis sub die 12 mensis decurrentis respondeo, certiorem faciendo eamdem A. Tuam quod feria IV 1 Maii 1889, proposito dubio, an locutio *condimenta ex adipe,* adhibita in concessione indultorum pro quadragesima et condimenta infra annum, intelligenda esset ex adipe *cuiuscumque animalis;* Emi DD. Cardinales, una mecum Inquisitores Generales, responderunt: *Affirmative.*

CARD. MONACO LA VALLETTA.

DECRETUM quo excommunicatio maior statuitur Sacerdoti Miraglia nisi intra quindecim dies resipiscat.

*Feria IV, die 5 Februarii 1896.*

Apostolicae Sedi certo innotuit, Paulum Miraglia presbyterum dioecesis Pactensis in Sicilia, sed a pluribus mensibus in dioecesi Piacentina, proprio Ordinario non probante degentem, vexasse et vexare isthic clerum per oblocutiones typis quoque editas et etiam traducendo ad tribunalia laicorum plures egregiae notae presbyteros; cum vero ob alia plura typis edita minime probanda et pervicaciter asserta prohibitus fuerit ab Ordinario loci a cuiuscumque sacri ministerii exercitio, non modo non resipuisse, aut erratorum veniam petiisse, sed et vexillum rebellionis contra eumdem loci, ubi ipse moratur, Ordinarium erexisse et in maiora scandala praecipitem proruisse, profanam scilicet mensam in profana quadam aula collocando, ibique conciones, invito Episcopo, habendo, sacrosanctum! Missae Sacrificium sacrilege peragendo, sanctissimam Eucharistiam adeo sacrilege confectam distribuendo et imo SSmi Dñi Nostri PAPAE LEONIS XIII licentiam talia infanda patrandi mendacissime iactando.

Sacra igitur Congregatio S. Romanae et Univ. Inquisitionis, ne a suo munere deficiat, neve salus animarum ex huiusmodi scandalis gravissimo ac certo exponatur periculo, cum praedictus sacerdos Paulus Miraglia ex praecedentibus exhortationibus et salutaribus minis ac poenis nihilo melior effectus fuerit, sed obstinatior evaserit, veteribus supradictis nova ac graviora, scelera cumulando, atque idcirco ex nota, manifesta et explorata censurae violatione, incidisse in irregularitatem perpetuam ac interdictionem a sacris faciendis ; a qua nonnisi auctoritate Apostolica liberari valeat : eumdem ipsum sacerdotem Paulum Miraglia per praesentes admonet, ut cesset a populo Dei conturbando et resipiscat, et veniam ab Episcopo petat, huiusque pareat mandatis, et ad saniora consilia revertatur, immania quoque scandala reparando: quem in finem ipsi statuuntur peremptorie quindecim dies ab huius decreti notitia decurrendi^ quorum primi quinque pro primo canonico monitionis termino, alteri quinque pro secundo, alteri quinque pro tertio decernuntur : quibus inutiliter elapsis, excommunicationem maiorem

ipso facto incurrat. Atque hoc decretum eadem S. Congregatio mandat intimari ipsi Paulo Miraglia efficaci et tuto modo, affigi publice in Sacrariis Civitatis et Dioecesis Placentinae, et notificari Ordinario Piacentino et Ordinario Pactensi.

Datum Romae die, mense, et anno supramemoratis.

L. * S.

Ios. MANCINI
S. Rom. et Univ. Inquisitionis *Notarius.*

DUBIA quoad decretum de lege ieiunii et abstinentiae anticipanda, vsl dispensanda ab Episcopis (1).

*Feria IV die 18 Martii 1896.*

Post latum feria IV die V Decembris 1894 Supremae huius Congregationis S. O. Decretum, quod incipit *Cum recenter,* quo facultas fit locorum Ordinariis anticipandi in alium diem, vel etiam, gravissimis de causis, dispensandi super ieiunii et abstinentiae lege, occasione solemnitatum in vetitum aliquem diem incidentium, a pluribus locis circa eiusdem Decreti genuinum sensum dubia proposita fuere quae sequuntur:

I. Utrum ad hoc, ut Episcopus dispensare valeat, ad tramitem Decreti, necesse sit ut festum celebretur magno populorum concursu?

II. Utrum Episcopus dispensare possit quando agitur tantum de festis duplicis praecepti, an etiam quando agitur de alio festo vel de alia catholica solemnitate, ex. gr. de centenariis, de peregrinationibus et similibus?

III. Quomodo sit intelligendus *magnus populorum concursus,* an populorum extraneorum vel etiam eiusdem civitatis aut loci?

IV. Utrum inter causas gravissimas, ob quas Episcopus non solum anticipare, sed etiam dispensare potest, assignari valeat grave periculum quod abstinentia anticipanda non observetur?

(1) Decretum hoc habes Vol. XXVII, 512.

V. Utrum in diebus exceptis, ieiunio consecratis, vetitum sit Episcopis tantum dispensare super abstinentia, vel etiam illam anticipare?

VI. Utrum ex rationabili causa possit Episcopus committere Parochis, ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia?

Quibus dubiis, ad examen sedulo vocatis in Congregatione Generali habita feria IV, die 18 Martii 1896 Eiîii ac Rmi Domini Cardinales Inquisitores Generales, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum mandarunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative ad primam, partem; Affirmative ad secundam; modo adsit magnus populorum concursus.*

Ad III. *Attentis omnibus, intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad IV. *Affirmative, modo periculum sit generale.*

Ad V. *Affirmative, scilicet utrumque vetitum est Episcopis.*

Ad VI. *Affirmative.*

Sequenti vero feria VI die 20 eiusdem mensis SSmus Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, relatas sibi JEmorum Patrum resolutiones, benigne approbare et confirmare dignatus est.

# APPENDIX V.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERÏDUM MODERATOREM.

S. Poenit. Ap. 29 Nob. 1842. — Vota emissa a protestante.

**Protestare votum, castitatis nec non paupertatis et obedientiae emisit voce et scripto coram ministro anglicano; quaeritur utrum vim saltem voti simplicis et privati, aut veluti irritum omnino sit habendum in casu conversionis ad religionem catholicam.**

**R. Votum de quo in precibus esse simplex, et voventem teneri ad observantiam voti, si veram habuerit intentionem vovendi.**

S. C. S. Officii 27 Ianuar. 1892 — Vic. Ap. Victoriae Nyanz.
Utrum christiani teneantur defendere regem infidelem et eorumdem infensum hostem, dum insidiatur a subditis.

**Rex infidelis christianis sibi subiectis insidiatur, vel vult eos hic et nunc perdere, et christianum nomen in suo regno delere. Quum ea meditatur et parat, alii nefarii homines ipsum e suo regno, coniurando et eum debellando, eiicere conantur.—Quaeritur:**

1. **Utrum christiani positive defendere teneantur eum, nempe tyrannum, qui eos vult hic et nunc trucidare: vel potius possint negative se habere, eum neque debellando neque adiuvando.**

2. **Quatenus affirmative ad primam partem : postquam e suo regno eiectus fuerit, an christiani eum ad suum regnum revocare, si possint, teneantur; vel potius illius successorem admittere et defendere possint etiam, dato casu, contra priorem, praesertim si religionem toleret vel foveat.**

**R. Ad** 1. **Prout exponitur, negative ad primam partem; affirmative ad secundam partem.**

**Ad** 2. **Provisum in** 1.

S. C. S. Officii 29 April. 1840 — N. Mission, in Chorea
Dubium quoad venditionem mancipii.

**Unus christianus consuluit me an posset gentilibus vendere unum mancipium quod malae indolis est et nihil vult audire de religione**

sancta nostra. Si christianis illud non potest vendere , nec Uberum dimittere, pacificis gentibus vendere posse respondi. Quid erat respondendum?

R. In casu de quo agitur, et dummodo mancipium non sit baptizatum, dominum non esse inquietandum.

S. C. S. Officii 17 Martii 1847 - Vic. Ap. Siam.
Dubia quoad emptionem servorum.

In Siamensi Regno triplicis generis sunt servi :— 1. Servi irredimibiles qui sine Sponsore venduntur. Si forte moriantur, pretium illorum a nullo exquiri potest, et penitus perditur. — 2. Captivi quos rex elargitur vel mandarini inter se partiuntur, et si moriuntur eodem modo perditur illorum pretium, quod a lege taxatum est ad centum et quinquaginta circiter francos. — 3. Servi redimibiles, qui sub Sponsore emunlur, ita ut si fugiant, sponsor vel solvit pretium, vel in fugitivi locum succedit. Si moriuntur, ordinarie dimidium solummodo pretium a Sponsore exigitur. Secundum leges siamenses opera illorum servorum in locum usurae reputatur, et, quando redimunt se, integrum pretium solvere debent domino. His positis, quaeritur:

1. Utrum christiani possint emere servos irredimibiles, vel non.

2. Vel saltem possuntne cum tacita intentione ipsis relaxandi de pretio suo pro rata parte illorum operae?

3. Quando autem opera adaequabit pretium, debetne illos dimittere liberos, vel possuntne illos servare ut filios adoptivos, ipsis invitis, humaniter illos tractando?

Aliquando evenit quod isti servi procreant liberos in sua servitute : quando autem isti filii servorum, facti adulti, volunt e domo domini sui exire, debent solvere domino pretium educationis, centum circiter francos. Porro :

4. Christiani possentne exigere istud pretium in compensatione alimentorum in pueritia expensorum? Admodum difficile est determinare quantitatem pretii relaxandi, operae servorum correspondentem, et multo magis difficile est inducere christianos ad talem compensationem faciendam, propter exemplum paganorum , qui nihil omnino relaxant.

Ideo suppliciter ab EE. VV. postulamus ut, quantum fieri potest, quasdam regulas circa istam materiam nobis describere dignentur, ita ut neque dominorum, neque servorum iura laedantur.

Porro, ad maiorem rei ehicidationem, tertium articulum regulae nostrae, qui sic se habet, a siamensi lingua in latinam hic transfero:

*Secundum christianam legem, dominus debet diminuere pretium servi-sui, quando erunt rationes minuendi ita ut debeant dimittere illum liberum, quando secundum aestimationem sacerdotis et maiorum pagi, opera servi pretium suum adaequabit. Porro sacerdotes et maiores quando huiusmodi compensationem ponderabunt, debent habere rationem aetatis servi: an (sit) puer; an senex; an dominus illum emerit propter misericordiam, an pro suo proprio commodo ; quantum illum occupaverint et pro quali servitio ; an servus ille sit debilis ; an aegrotaverit et quamdiu; praeterea debent aestimare periculum sortis et damnum emergens, quando his locus erit.*

**R. Ad 1. Dentur Decreta S. Officii fer. IV. 20 Martii 1686 et 12 Sept. 1776 (1). Ad 2. Provisum in praecedenti — Ad 3. Negative. — Ad 4. Provisum in praecedentibus. — SSmus decisiones Emorum approbavit.**

S. C. S. Officii 20 Iunii 1866. - Vic. Ap. ad Gallas.
Dubia quoad uniones mancipiorum apud Gallas.

**Mancipia poenes Gallas concubinis utuntur, rarissime uxoribus certa aliqua solemnitate nuptis, unde veri nominis matrimonium arguatur; quia cum in tota sua existentia domino subiiciantur , possintque adeo quolibet die divendi, nullum inter ea perpetuum matrimonialis societatis vinculum supponitur esse. Idcirco postulatur:**

**1. Utrum dominus christianus tolerare possit, ut duo servi adhuc infideles, qui, cum primum eius sub potestatem venerunt, iam in eiusmodi concubinatu vivebant, pergant ita vivere; an vero illos separare teneantur, donec fiant christiani et legitimo matrimonio coniungantur.**

**2. An dominus christianus qui plures possidet servos, sic viventes in vero concubinatu, etsi matrimonii appellatione honestato , quique ad regulam exigere desiderat eiusmodi matrimonia, simul ac praedicti servi sese dispositos exhibeant ab baptismum recipiendum , et matrimonium legitime ineundum, possit, in nova quam meditatur matrimonii christiani ordinatione, illos ex utroque sexu seligere qui plus christiani spiritus demonstrent , maioremque spem faciant unitatis atque indissolubilitatis custodiendae, nulla habita ratione priorum vinculorum matrimonii, sive (ut magis nuncupare placeat) concubinatus, dummodo tamen novi contrahentes mutua afficiantur sympathia: an possit proinde tuta conscientia eosdem vi separare a suis concubinis, nisi forte concubinam ipsi malint secum invicem contrahere matrimonium christianum.**

(1) Confer Vol. hoc pag. 4o5, 4o4.

**3. An saltem violenta concubinariorum separatio locum habere queat, quando alter ex ipsis, sive masculus sive femina probe dispositus est ad fidem amplectendam et matrimonium christiane celebrandum. Hoc dubium idcirco movetur, quia violenta illa separatio posset excitare admirationem, et querimonias apud homines parum instructos perinde ac si quaedam fieret iniuria parti renitenti, quae christianam religionem amplecti detrectat.**

**4. Matrimonium sive servorum sive liberorum iuxta Gallarum morem dissolubile est, saltem ex parte viri. Si igitur convertantur duo coniuges, sive servi, sive liberi, qui eiusmodi matrimonium in infidelitate contraxerunt, debentne ante baptismum edoceri de indissolubilitate matrimonii statimque christiano matrimonio iterum coniungi ipso baptismatis die; an vero possunt etiam post baptismum relinqui in suo statu, saltem per aliquod tempus, donec pares effecti fuerint intelligendo sicut oportet evangelico praecepto super indissolubilitate matrimonii?**

**R. Arbitratur Vicarius Apostolicus omnes generatim coniunctiones servorum infidelium apud Gallas non veri propriique nominis matrimonia, sed meros esse concubinatus. Persuasionem hanc ex triplici potissimum ratione hauáisse videtur, quia nimirum eiusmodi coniunctiones, quamquam patrio more permissae, nulla adhibita solemnitate ineuntur ; deinde quia cum servi toto vitae suae tempore sint in domini potestate, haud supponuntur esse inter eos perpetua matrimonialis societatis vincula; tandem quia matrimonium servorum omniumque universim Gallarum patrio item more dissolubile est, saltem ex parte viri. Sed ipse facile perspiciet quam infirmae sint hae rationes: solemnitates enim per se, maxime apud barbaros et infideles, ad essentiam non pertinent matrimonii, quod, una naturali lege inspecta, etiam sine illis consistere potest. Neque hypothesibus et praesumptionibus, sed certis evidentibusque probationum momentis inniti debet iudicium, quo nullum fuisse pronuncietur matrimonium, cuius validitati minime obstat ipsum divortium quoad vinculum, lege vel morinus permissum, nisi in pactum conditionemque expresse deducatur. Caveat igitur Vicarius Apostolicus ne vera matrimonia pro contubernia imprudenter traducantur, praesertim cum eaedem servorum infidelium coniunctiones, quas ipse concubinarias existimat, vulgo matrimonii nomine honestentur, et violenta partium separatio, eodem Vicario Apostolico fatente, quamdam iniuriae speciem habere apud homines illos videatur. Meminerit matrimonium verum inter infideles existere, nec proinde requiri ut infideles christiana religione initientur quo verum legitimumque matrimonium contrahere valeant. Meminerit etiam admonere dominos christianos, ne in**

**servorum matrimoniis ineundis aliquam vim adhibeant, vel coniugem iisdem invisum obtrudant : matrimonia enim libera esse debent, et coactiones quae in iis forte adhibeantur , difficiles solent exitus frequenter habere. Nunc ut dubiis i.** 2. **et** 3. **satisfiat, nefas profecto est domino christiano tolerare servorum suorum, licet infidelium, concubinatum; etenim concubinatus lege naturali prohibetur, qua non tantum fideles, verum etiam infideles obstringuntur, et cuius observantiam dominus, utpote domesticae societatis ordinatur,-** a **suis subditis exigere tenetur. Sed primum diligentissime investigare debet num revera contubernio an legitimo coniugio servi utantur. Quod** sì **de illicito contubernio constiterit, neque fieri possit legitimum matrimonium inter concubinarios ipsos (quod quidem semper optandum est, maxime si prolem ex fornicario commercio susceptam haberent), tunc demumeosdem vi etiam adhibita separet, non impediendo tamen quominus se cum aliis legitimo matrimonio coniungant, etiamsi christianam fidem profiteri detrectent, nullasque ad eam amplectendam dispositiones praeseferant. Ceterum quam viam rationemque dominus christianos sequi oporteat in permittendis vel inhibendis servorum infidelium coniugiis, comperiet Vicarius Apostolicus ex alia instructione quae huic adnexa ad eum transmittitur (1). Reliquum est dubium** 4. **quo supponitur**

(1) Instructio S. C. S. Officii (31 Maii 1865), de qua agitur, data fuit Superiori Missionis Dahomey in Africa, atque ita se habet: « Quaestio a te proposita circa obligationem dominorum christianorum permittendi vel impediendi servorum infidelium coniugia, qui, ante captivitatem, mulierum conturberniis usi fuisse componuntur, delata est ad Emos Supremos Inquisitores feria IV. die 31 Maii labentis anni, prout apertius a te eodem hoc anno ineunte iuxta mandatum eorumdem Emorum Cardd., litteris datis die 7 Ianuarii, expressa fuerat his, qui heic adscribuntur, distinctis casibus. Primus casus est cuiusdam servi qui a domjino christiano uxorem petit, quique interrogatus num unquam fuerit matrimonio vinculatus, respondit: *se quidem cum mulieribus uxorie vixisse, sed ignorare quid sit vinculum matrimoniale; in suis regionibus viros cum mulieribus habitare quae pro libito dimittuntur, vel quae sponte discedunt, ut cum aliis viris habitent, quin praecedentia vincula obstent; talem esse regionis consuetudinem.* Dominus autem certiores notitias habere volens, nihil prae^ ter supradicta dignoscere potest. — Secundus casus est cuiusdam servi qui a domino suo uxorem petit, quique interrogatus respondet : *se iuxta morem suae gentis ante servitutem mulieres habuisse ; inter eas unam ceteris praelatam fuisse, sed eam non esse quam in uxorum numero priorem tempore habuit; quam autem priorem tempore uxorem habuit, cum ea non ita esse vinculatum ut, quando libuerit, dimittere non possit; ea enim conditione assumuntur mulieres; talem in suis regionibus morem vigere.* — Tertius casus est servi cuiusdam qui a domino suo uxorem petit, quique interrogatus circa priora vincula matrimonialia, respondet: *se quidem ante servitutem uxorem legitimam habuisse, sed quid de illa evenerit impossibile esse certo scire: eam vel cum fugientibus in excidio patriae evasisse, forsitan in aliis regionibus*

**¡matrimonia Gallarum, utpote secundum patrias leges dissolubilia, saltem «ex parte viri, minime valere, ac proinde esse renovanda si coniuges**

*venundatam vel in Americam translatant, vel in maritino itinere, ut saepe fit, obiisse : certa autem de ea nullum unquam nuntium habiturum. Se autem enixe postulare ut alia sibi detur uxor, tanquam per divortium a prima disiuncto.* — Quartus casus est servi cuiusdam iam matrimonio ante servitutem vinculati, sed servitute superveniente, ita ab uxore prima disiuncti, ut nulla unquam spes affulgeat suam uxorem possidendi. Enixe autem postulare ut alia detur uxor, vel tanquam a prima divortio facto, vel quia, ut asserit, *a Deo gentilibus saltem, in gravioribus casibus, plures uxores etiam simultanee possidere permissum est; sibi autem a fortiori permittendum, qui, priore amissa, aliam in eius loco habere postulat.* — Quintus casus est servi cuiusdam uxorem petentis, quique interrogatus circa mores suae gentis, respondet : *in suis regionibus mulierem, adhuc puerulam viro a parentibus desponderi; in parentum potestate usque ad pubertatem custodiri: tum sponso traditur; sed hoc non impedit quominus vir plures hoc modo receptas uxores habeat; in moribus autem esse, si viro libuerit, quod mulier dimitti possit ; si autem ipsa sponte discedere velit, consentiente viro*, ad alium transit ; vel etiam viro invito, coram arbitris re pertractata et impensis pro tali muliere habenda a viro exactis, restitutis, ad alias nuptias convolat ; et hoc iure factum indicatur, • tanquam de quocumque contractu. Se hoc modo mulieres possedisse, a quibus nunc servitute divisus, aliam dari quaerit.* — Sextus casus est mulieris cuiusdam in servitutem redactae, quae viro in matrimonium iungi vult : dicit se iampridem ante servitutem cum viro fuisse, sed ignorare num fuerit legitima uxor; cum pluribus enim, asserit, aliis uxoribus in eadem domo sub uno viro vixisse, nec bene scire si tamquam •uxor, vel ul concubina haberetur. Enixe autem postulare ut viro tradatur in matrimonium. — Septimus casus est mulieris gentilis quae a legitimo viro ita fuit servitute distracta, ut nunquam spes affulgeat cum illo posse coniungi. Dominus autem volens eam in matrimonio cum alio coniungi, quaerit num id liceat tamquam divortio a primo viro facto ita, ut in quarto casu.

Quibus casibus rite mátureque perpensis, ita de illis Emi Patres iudicandum -censuerunt. Quum in primo, secundo, quinto et sexto casu serio dubitari possit connubia, de quibus ibidem agitur non vera fuisse matrimonia, sed iuxta exposita, ct, nisi meliores notitiae haberi possint, contubernia tantummodo ex libidine cum mulieribus inita, abhorrere ab aequitate existimarunt, infelices illos paganos ad perpetuum coelibatum adigi, eoque privari concupiscentiae remedio quod iure naturali iisdem datum est, praesertim cum agatur de matrimoniis infidelium quae, cum non sint Sacramenta, non eodem profecto gaudent favore quo christiana gaudere constat. Itaque in praedictis casibus, *primo* scilicet, *secundo, quinto* et *sexto* Emi PP. responderunt, dominos christianos permissivo modo se habere oportere, adeoque non debere mancipia sua impedire quominus matrimonio se iungant; hoc tamen circa secundum et circa sextum adiecto modo. Circa secundum, cum ibidem duo haec simul narrata sint: 1. omnes mulieres ea conditione viris adiungi **Ait,** quandocumque libuerit, dimitti possint; 2. inter illas unam prae ceteris anteierri consuevisse: decreverunt Emi PP. praedictum responsum eatenus locum habere, quatenus omnino constet eam quoque, quae ceteris praefertur, eadem condicione fuisse in conturbernium admissam. Quod vero attinet ad sextum, licet dubium

**convertantur; tum postulatur an liceat hos coniuges etiam post baptismum relinquere, saltem per aliquod temporis spatium, in suo errore**

contra matrimonii veritatem satis fundatum videatur, quod mulier, de qua ibidem agitur, nescire se profitetur matrimonii ne, an concubinatus nomine a suo viro suscepta fuerit, quod quidem cum essentia veri matrimonii certum ac reciprocum consensum exigentis haud facile componi potest, nihilominus cum absque ulla difficultate res possit melius declarari, si duo haec a muliere requirantur : i. utrum eo tempore, quo ad suum virum accessit, alias repererit mulieres eidem ante se maritali more coniunctas ; 2. utrum vir ille solerei pro suo lubitu susceptas mulieres dimittere, et alias assumere: has quoque interrogationes non inopportune pro- maiori diligentia fieri posse Emi PP. iudicarunt. Utrumque enim praedicto dubio gravissimum pondus adiiciet, et concubinatum potius quam verum matrimonium initum fuisse magis magisque suadebit.

At vero *tertii* et *quarti* et *septimi* casus diversam omnino esse rationem Emi PP. censuerunt. Nam tertius *uxorem legitimam, cum captivus ductus est, habuisse* fatetur, itemque mulier de qua sermo est in septimo casu *legitimum virum habuisse* narrat; atque is de quo in quarto agitur, *matrimonio se fuisse vinculatum* asserit: quae quidem omnia verum proprieque dictum matrimonium clare exprimunt: quo fit ut novum matrimonium adulterinum esset concubinatus ; neque enim dubitare fas est polygamiam simultaneam, atque ipsum adeo divortium, non modo christianis, verum etiam infidelibus divino iure prohiberi expresse id docente Innocentio III in cap. *Gaudemus, De divortiis.* Quod autem ab eo, de quo agitur in tertio casu, additur sibi iam impossibile esse certo scire an uxor sua superstes morluane sit, id ei ad novum motrimonium minime prodesse iudicarunt. Cum enim vinculi matrimonialis obligatio certa in eo sit, eiusdem autem per mortem solutio nullo pacto sit probata, quandoquidem simplex ignorantia non magis mortem quam vitam suadet; quae imo in dubio praesumenda prae morte est, hinc sequitur impedimenti vim adhuc integram manere, iuxta expressam doctrinam capitis *In praesentia, De sponsalibus,* in infidelium aeque ac christianorum matrimoniis, retinendam, quippe quae in qualitate utrisque communi, quae est indissolubilitas, fundatur. Quapropter non minus in hoc tertio quam in quarto et septimo casu Emi PP.. responderunt, dominos christianos teneri huiusmodi servos a novo matrimonio prohibere, nisi forte, ex pluribus saltem coniecturis (quae sin minus singulae, at certe simul coniunctae certitudinem moralem pariant) demonstrari possit legitimum eorum coniugem mortem vere obiisse.

Ceterum latere te non potest, certissimum eamdemque facillimam viam eiusmodi nodos reddendi eam esse, si infideles, de quibus agitur, ad christianam fidem convertantur. Hoc enim si fiat, et ipsi privilegio Paulino cum alia catholica, muliere nubendi, et tu dispensatione uti poteris ab interpellatione primae coniugis, quoties aut fieri reipsa illa nequeat, aut si fieret, nullius utilitatis fore summarie saltem atque extraiudicialiter certo constet. Denique ne illud quidem S. C. praetermittendum esse voluit, nimirum ut, occasione data, dominos christianos memineris admonere ne, in hisce servorum matrimoniis ineundis, aliquam vim adhibeant, vel coniugem iisdem invisum obtrudant. Matrimonia enim libera esse debent, et coactiones quae in iis forte adhibeantur, difficiles solent exitus frequenter habere. In casibus autem difficilioribus recurras, expositis omnibus adiunctis ».

•circa dissolubilitatem matrimonii. De suppositione sive hypothesi supra dictum est, pravam contrahentium opinionem, licet patriis legibus sive moribus confirmatam, quod nimirum matrimonii vinculum dissolvi possit, nequaquam per se officere matrimonii validitati, nisi haec opinio deducatur in pactum tamquam conditio in actu ineundi matrimonii; tunc enim matrimonium pullum irritumque evadit, uti semper accidit cum matrimonio est apposita conditio substantiae ipsius repugnans. -Quod vero ad postulatum attinet, non tantum nefas est coniuges in illo errore post eorum baptismum relinquere , sed ad baptismum quidem admitti debent, nisi antea probe instruantur de matrimonii indissolubilitate , et parati sint divinum praeceptum observare.

S. C. S. Officii 24 Aug. 1842 - Vic. Ap. Tunk. Occid.
Dubia quoad expensas faciendas pro cultu maiorum.

**1.** Ex lege civili huius Regni, pars bonorum quae vocatur *phau-Jcuong-koa,* et quae pro cultu Maiorum destinata est, prohibetur vendi et quovis modo alienari, et fructus ex ea percepti ad solum cultum Maiorum impendi debent. (Dans les testaments, chacun est obligé de léguer un dixième de ses biens au fils aîné pour faire les sacrifices et autres cérémonies de culte des ancêtres; sans ce legs, le testament -est nul. Aussi les chrétiens mettent cette disposition dans leurs testaments pour en assurer la validité; mais ils n'entendent pas par là prescrire des superstitions, et on fait seulement les suffrages habituels selon l'usage de l'Eglise). Unde quaeritur quomodo agendum sit erga •christianos qui' in tribunali sacro sese accusant praedictam partem hereditatis vendidisse, vel fructus inde perceptos ad usus profanos consumpsisse,

2. Praedicta pars, ut decima pars bonorum familiae, ex lege debet assignari primogenito masculo, sed in defectu prolis sexus masculini lex iubet quod filius fratris maioris, et, in illius defectu, fratris minoris, ut primogenitus habeatur, ac proinde, praeter partem dictam *phan-kuong-koa*, quae illi datur ut curet de cultu Maiorum, adhuc illi conceditur ius accipiendi unam partem hereditatis sicut caeteri liberi. Multi haud aequo animo ferunt quod maior pars bonorum suorum in detrimentum liberorum, quos genuerunt, sic ad alienos transeat; unde fit quod omni modo possibili conantur ut in fraudem legis liberi sui maiorem partem bonorum familiae habeant, ita ut filio fratris nihil detur nisi quod absolute denegari non potest, quin coram iudice re-

**clamet.. His positis, quaeritur utrum talis agendi ratio sit peccatum? contra iustitiam, ita ut sit obligatio restituendi.**

**R. ad** 1. **Si testator verba de quibus agitur, testamento apposuerit pro sola tantum validitate testamenti, non esse inquietandos christianos de quibus supra, et decima pars cedat heredi, vel heredibus quibus de iure ; si vero voluntas testatoris ea sit ut decima pars applicetur cultui catholico: quoad praeteritum, iidem Emi DD. dixerunt r Supplicandum SSmo pro facultate sanandi alienationes et distractione^ de quibus agitur, ininncto tamen aliquo pio opere pro fidelium animabus expiandis, vetita protestatione ethnici cultus** (1); **quoad futurum, vero, servetur pia testatoris voluntas.**

**Ad** 2. **Non esse inquietandos.**

**SSmus (Gregorius XVI) praefatas resolutiones approbavit et remisit facultates D. Vicario Ap. Tunkini sanandi alienationes et distractione»- de quibus in precibus, iuxta Emorum suffragia.**

S. C. S. Officii 14 Ianuar. 1846 — Tche-Kiang et Kiang-si.
Bonzus nomen dando verae religioni petit an retinere valeat ea quae in officio ethnico comparaverat.

Bonzus (quidam) ethnicae superstitionis erroribus nuntium mittere,, et sanctae catholicae Ecclesiae nomen dare paratus, *petit* : ut sibi liceat retinere quae antea perceperat in ethnico officio quod gessit, quaeque in medicae artis exercitio comparaverat.

R. Non esse inquietandum, dummodo aliunde non intervenerit certa iniustitia. Et re quidem vera nullum excitandum dubium quoad medicae artis emolumenta, cum mercedis locum obtineant. Quae item ab ethnicis sacerdotali munere sibi bonzus quaesivit, quamvis superstitiose e fonte manaverunt, legitime tamen eidem obvenisse videntur, utpote quae fuerint paganae gentis propria, eiusque consensu suis sacerdotibus honorarii loco attributa. Iure autem meritoque praelaudato

(1) In litteris S. C. de Prop. Fide, 17 Sept. 1842, ad Vic. Ap. Tunk. Orient, haec habentur : « Quoad solutionem prioris quaestionis, quaedam Supremae ipsius Inqui- » sitionis nomine hic addenda sunt. Dictum enim est: *decima pars cedat heredi vel* » *heredibus,* ut nempe casus praevideatur in quo plures una simul adsint heredes,. » hoc est *coheredes,* inter quos dividenda erit antedicta decima pars, habita ratione* » quotae seu partis assis hereditaria unicuique ex mandalo testatoris pertinentis^ » Dictum praeterea est: *Vetita protestatione ethnici cultus,* ut fideles nempe sciant » nec simulate quidem id eis licere: nam ex casus ipsius rerum adiunctis patet, eos » posse in hoc forte peccare, ut gubernio nempe suadeant sese etiam facto legis » praecepto obtemperare ».

**decreto est limitatio superdicta** *dummodo aliunde non intervenerit certa iniustitia.* **Iustitiae siquidem effata :** *Suum cuique reddendum; Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* **ab ipsae naturae lege manantia, ubique gentium vim obtinent. Si quae igitur bonzus sive in medicae artis, sive in sacerdotalis officii exercitio se certo noverit iniuste percepisse, restituat domino vel eius heredi necesse est ; aut, si uterque incertus sit, pauperibus eroganda, quorum nomine venire idem bonzus ex facti specie minime videtur.**

S. C. S. Officii 17 April. 1749 - Paef. Miss. Tuneti.
Dubium quoad foenus pro pecunia hebraeis data.

**Mercatores hebraei, Tuneti degentes, olim societatem cum turcis inibant, pecuniamque suam collocabant super naves piratarum contra christianos bellantes, atque his fundamentis inter christianos captivos introductus fuit usus pecuniam dare hebraeis in foenore, usuramque percipere, singulis mensibus, tres pro centum, etiam cum pignore ; attamen periculum erat et pignus et sortem principalem amittendi, quod pignus multorum non erat securum, et aliquoties aliqui et pignus et sortem principalem amittebant. Nunc autem Bey hebraeis prohibuit, ne amplius commercium cum turcis exerceant in navibus, sub poena pecuniae et etiam vitae iacturae. Ideo scire desidero quomodo me gerere in futurum, et quam usuram percipere valeant captivi fideles, tuta conscientia. Mercatores galli, atque etiam alii, qui sunt liberi, quando in commercio pecuniam foenori dant inter se, solent exigere unum pro centum singulis mensibus; quod quidem a mercatorum societate Massiliensium fuit concessum. At vero captivi maiorem usuram exigere possunt, ratione iniustae captivitatis, et periculi sortem principalem amittendi, ut saepe contingit; ipsimet hebraei eis sponte offerunt tres pro centum; existimo eos id facere posse more pristino. Insuper advertendum est, quod hebraei nativi tam erga Christifideles perfidi sint, ut occasionem non praetermittant eos prodendi.**

**R. Fiat Instructio mittenda ad P. Carolum Felicem, missionarium Ordinis Capuccinorum, in qua, iuxta epistolam circularem Sanctitatis Suae ad Episcopos Italiae, sub die 1 Novembris 1745, incipientem** *Vix pervenit,* **eidem significetur quod contractus, ad hoc ut pariant fructus, debent suam denominationem habere, nempe census, cambii maritimi, cambii per nundinas, lucri cessantis et damni emergentis certi cum interpellatione, iuxta notoria requisita Pauli de Castro, vel**

**fructuum recompensativorum et similium, ut fructus legitime parere valeant, alias pro mutuis reputari debent, quarumcumque usurarum prorsus exclusiva.**

INSTRUCTIO S. G. DE PROP. FIDE — **Ad tenorem Litterarum Benedicti XIV.** *Vix pervenit* **se gerere tenebitur, quibus intelliget contractus frucliferos ex pecunia mutuo data illicitos esse, quando denominationem non habent census, vel cambii veri, sive litteris, sive nundinis vel societatis realis, vel rationem compensativám tituli lucri cessantis, aut damni emergentis, quibus praeter sortem percipere valeat tantum fructus quantum sufficit ad damnum aequiparandum quod mutuans pati tenetur, aut lucrum quod amisit; idcirco, si in contractu desint supradictae denominationes, aut tituli memorati compensativi, tunc in alium contractum constitui nequeunt, nisi mutui, proindeque illicitum est ullo modo aliquid recipere aut exigere ultra capitale seu sortem, tam a pauperibus quam a divitibus. Istis regulis a Sanctissimo Domino nostro in sua epistola circulari praescriptis, dictus Pater perspicere potest quomodo se gerere debeat circa contractus, quos christiani captivi ineunt cum mercatoribus hebraeis, quos quidem eis permittere non est licitum sine conditionibus supra relatis. Cum autem inter illum, qui pecuniam suam dat, et mercatorem qui eam cum pignore recipit, sortemque datoris tutam facit, fit tamen pactum lucri certi ultra sortem, verus non est contractus societatis ; ideo quidquid percipitur est contra iustitiam et illicitum, quamvis non intendat dare supradictam pecuniam ratione mutui; sed, solum in casu quo intervenirent supradicti tituli compensationis, possit a capitalista exigi ultra sortem fructus qui sufficeret ad compensandum aut damnum quod subit, aut lucrum quod perdit. At vero ratione periculi a natura negotiationis non provenientis, sed ab alio eventu extrinseco, cui tamen periculo dator seu mutuans sortem exponit, a negotiante lucrum proportionatum periculo ultra ipsam sortem exigere potest. Cum autem illud in praxi difficillimum sit, periculum iuste appretiare, et periculosissimum sit exigere fructum proportionalem, ideo, ad securitatem conscientiae captivorum christianorum, tutius esse existimatur, ut dictus Pater a tali contractu eos abstinere adhortetur, manifestando eis periculum in quod incurrunt , atque suadendo pecuniam suam in alios contractus reapse lícitos impenderé, qui propriam denominatione!» habeant, ut venditionis, aut realis societatis, quibus, industriam adiungendo, lucrum honestum ex pecunia fas illis sit percipere.**

MOTU PROPRIO. SSmi. O. N. Leonis XIII. De ratione'concordi rei catholicae apud Orientales provehendae.

Auspicia rerum secunda quae Nobis, Orientem christianum apostolica providentia respicientibus, divina gratia benignissime obtulit, animum sane confirmant augentque, ut incepta Nostra omni contentione et spe persequamur. Editis quidem nonnullis actis, praesertim Constitutione *Orientalium* anno MDCCCLXXXIV, iam quaedam sunt a Nobis opportune declarata et decreta : quae aliis alia modis conducerent simul ad studium decusque pristinum religionis in eis gentibus excitandum, ad earumdem coniunctionem cum Petri Cathedra obstringendam, ad reconciliationem fovendam dissidentium. Quo tamen instituta consilia rectius in dies procedant uberiusque eveniant, optimum factu ducimus aliquot capita rescriptorum hortationumque subiicere, tamquam eiusdem additamentum Constitutionis; quatenus nimirum attinet ad communem sentiendi agendique rationem, quae tantis procurandis rebus maiorem in modum est necessaria. — Nam apud Orientales singularis omnino et hominum et regionum conditio a longinqua antiquitate occurrit Ecclesiae. Scilicet persaepe in uno eodemque loco aeque obtinent dissimiles iique legitimi sacrorum ritus, proptereaque totidem sunt ritu vario antistites pluresque singulis administri ; accedunt non pauci numero sacerdotes latini, quos in illorum *adiutorium et levamen* (1) Apostolica Sedes mittere consuevit; sunt praeterea qui, ad firmamentum unitatis catholicae, *delegato* a romano Pontifice funguntur munere, eius mandata faciunt, voluntatem interpretantur. Eos igitur in suis quemque partibus obeundis nisi eadem sancta mens et salutaris, omni privata causa posthabita, moveat, nisi eadem in fratrum morem affectio consociet, non ita quidem laboribus et expectationi responsurus est utilitatum proventus. Intima vero voluntatum coniunctio et consentio propositorum, sicut Dei ministros maxime decet, ita in opinione hominum adeo Ecclesiam Catholicam commendare solet, ut

(1) Const. Benedicti XIV *Demandatam.*

filios discordes non semel ad sinum eius suavi quodam incitamento vel ipsa reduxerit.

Huiusce rei aequum est antecedere exemplum pariter in Delegatis Nostris atque in Venerabilibus Fratribus Patriarchis, quum ceteris gradu et potestate antecedant : ad eosque singulariter spectare videtur commonitio Apostoli: *Caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem -praevenientes* (1). — Hinc sane excellentia iidem haurient bona, atque illud, tam optabile in praesentia, ut suam ipsorum dignitatem melius possint ac felicius tueri. Siquidem initarum rerum cursus in rei catholicae profectum, vehementer exposcit ut eorum personis munusque sua stet omni ex* parte commendatio atque etiam in dies accrescat. Id Nobismetipsis adeo cordi est, ut quasdam cogitationes et curas in hoc item genere optime collocatas censuerimus. Nec enim quemquam fugere potest quantum deceat et omnino expediat, apud catholicos nullum dignitati patriarchali deesse ex eis praesidiis ornamentisque, quibus illa abunde utitur apud dissidentes. Exploratum est autem, Sedis Apostolicae eo amplius ibidem florere nomen maioremque simul explicari virtutem, quo plus honestamenti legatis eius comitetur. Quapropter induximus animum sic efficere ut in hoc aptius utrisque, Patriarchis et Delegatis, esset consultum, eoque simul piorum emolumenta operum augerentur ecclesiis. Reapse quidem certam illis vim subsidiorum annuam, catholicorum liberalitate pia adiutante, decrevimus, attribuimus.

Iamvero fidenti fraternoque, prout diximus, animo studeant Patriarchae communionem consiliorum in maioribus rebus habere per litteras cum Delegatis Nostris : eo praeterea commodo, ut quae negotia ad Apostolicam Sedem delaturi sint, expeditius procedant et transigantur. Unum autem est quod, pro gravitate sua, singulari Nostro non modo hortatu sed iussu dignum existimemus : videlicet ut Patriarchae congressiones actitent cum Delegatis Apostolicis, binas saltem quotannis, quo tempore et loco inter ipsos convenerit. Ea res, ubi rite sit acta, plus quam dici possit devinciet benevolentia animos, viamque muniet ad persimilem agendi tenorem. — Ita in Domino congressis primum erit provincias sibi creditas generatim prospicere, et considerare quo statu sit atque honore in illis religio, qui progressus inter

(i) Rom. XIII, io.

catholicos facti, quaenam ipsorum maximeque cleri erga dissentientes studia, quaenam in his voluntas requirendae unitatis, aliaque ad cognoscendum peropportuna. Exinde se dabunt res propriae et peculiares, in quibus deliberantium prudentia ususque elaboret. Atque episcoporum provincialium causas, si quae sint, licebit, accurate expensas, ex aequo et bono componere: eis tamen salvis atque integris quae iuris sunt sacri Consilii christiano nomini propagando. Tum vero de recta fidelium administratione, de cleri disciplina, de monachorum vel aliis piorum institutis, de missionum necessitatibus, de cultus divini decore, de cognatisque agetur rebus, quae diligentissime cautissimeque sunt reputandae : certis autem et communibus, quoad fieri possit, rationibus providendum est ut religio catholica et partos fructus conservet et multo capiat ampliores. Nobis tria maxime accommodata in medium proferre libet, seu verius revocare, quum fere eadem alias per occasionem attigerimus. — Est primum, oportere curas exquisitas in eo impendi ut alumni sacri ordinis ad doctrinam, ad vitae sanctimoniam, ad sacrorum peritiam optime informentur et excolantur. Collatis vero consiliis, facilius certe liquebit quemadmodum singulis Patriarchis sua sint probe constituta seminaria clericorum, sensimque amplificentur et vigeant: ita plane, ut ea demum existat operariorum evangelicorum copia et praestantia, quae messi sufficiat augescenti, quaeque nomini catholico reverentiam adiiciat. Expetito rei eventui bene ii favere poterunt sacerdotes nativi, quos Roma ex propriis gentium collegiis crebro in orientem remittit, non tenui censu ingenii virtutisque animi instructos. De hoc ipso bene admodum Delegati Apostolici merebuntur, si curaverint ut etiam ex latinis idonei viri advocentur qui parati sint adiutricem operam clericis erudiendis conferre. Hic Nos facere quidem non possumus quin merita honestemus laude nonnullas Religiosorum familias, quarum sedulae alacritati multam in eo genere ab orientalibus tribui gratiam iam diu est Nobis compertum. — Alterum est, nec minore profecto diligentia dignum, de puerilis educationis sustinendis multiplicandisque scholis. Per se apparet quanti illud sit ponderis, ut primae aetatulae, una cum litterarum primordiis, ne quid imbibant veritati institutisque catholicis adversum; eo vel magis quod contra *filii teneor anim,* prudentia pollentes et opibus, eadem in re enitantur quotidie impensius. Necesse est igitur ipsa sanae do-

ctrinae principia et religionis amor ita in molles animos Mundantur, ut eos afficiant innutriantque penitus ad catholicam professionem : neque aliorum certe vel studiosior in hac parte vel fructuosior erit industria, quam eorum qui sese bono pueritiae sacris in sodalitatibus devoverunt. Quin etiam ex huiusmodi disciplina, in qua qui religionem moresque tradunt, suo ipsi facto plus tradunt quam praeceptionibus, id facile est profecturum, ut spei optimae alumni semina sacerdotii religiosaeve perfectionis mature excipiant et colant : plures autem utriusque sexus indigenas ita succrescere, non una de causa omnino laetabile et perutile est. — Tertio videtur loco pariter esse frugiferum, operam dari ut ephemerides similesve ex intervallo paginae, scienter moderateque factae, fusius pervulgentur. Tales quippe scriptiones, uti tempora sunt ac mores, religioni percommode inserviunt, sive ad refellenda quae calumnia vel error in eam contingant, sive ad fidele ipsius studium alendum in animis atque incitandum: id praesertim ubi non ita frequens copia sit sacerdotis, pabulum doctrinae et hortationis sanctae impertientis. Nec praetereundum, quod catholici scriptis iis legendis ea cognoscunt quae variis in locis quoquo modo contingant, cum religionis connexa rationibus: cuiusmodi sunt fratrum egregie facta vel coepta, impendentia a fallaciis adversariorum pericula, pastorum suorum et Apostolicae Sedis laboriosae curae, Ecclesiae succedentes dolores et gaudia; quae identidem cognita profecto adiumenta bona suppeditant imitationis, caritatis, generosae in fide constantiae. — Istud Nos triplex praesidiorum genus particulatim commonstravimus, spe magna ducti, ex iis potissimum satis multa effectum iri secundum vota; ob eamque causam auxilia ipsorum operum Nos quoque pro facultate submittere cogitamus. Id autem tempore ac loco fiet Nostros per Delegatos: quorum denique erit summam rerum in eisdem congressionibus actarum ad Apostolicam Sedem referre.

Consequitur de ratione officiorum quae Delegatis ipsis intercedant cum eis cfui *Missionibus* per easdem regiones praesunt. Minime quidem dubitandum quin alteri atque alteri, probe memores cuius nomine et potestate sint eodem missi, et qua saluberrima causa una debeant conspirare, veram quae *secundum Deum* est concordiam, quum in sententiis tum in actione, custodire inviolatam contendant. Attamen ad totius rei melio-

rem temperationem, visum est immutare nonnulla de iuris ordine adhuc recepto; eaque decreto proprio iam constitui iussimus per sacrum Consilium Christiano nomini propagando. Omni igitur prudentia et ope Delegati in id incumbant, ut quaecumque ab Apostolica Sede et illo decreto et subinde pro temporibus similiter edicentur, ea plenum habeant exitum. Rursus in idem congruant *Superiores Missionum* sollertia et obtemperatione sua : maioris momenti res ad earumdem procurationem pertinentes, nisi rogatis illis et approbantibus, ne aggrediantur, eosque ipsos velint habere ex officio conscios, negotiis incidentibus quae opus sit ad Apostolicam Sedem transmitti. — Delegati porro suum esse meminerint evigilare, providere, instare ut Constitutionis *Orientalium* praescriptis integre ab omnibus quos illa attingant religioseque pareatur. In quo praecipue fiat ut nihil admodum de se desiderari sinant latinorum Instituta, quae multis locis tantopere student rei catholicae incrementis. Quippe rei catholicae valde nimirum interest eam omnino tolli ac dilui opinionem quae quosdam ex orientalibus antehac tenuit, perinde ac si de ipsorum iure, de privilegiis, de rituali consuetudine vellent latini detractum quidquam aut deminutum. — Iidem Delegati peculiarem vigilantiam cum benevolentia adhibeant presbyteris latinis qui missionali munere in suae ditionis locis versentur. Eis consilio et auctoritate adsint per difficultates in quas vel a rebus vel ab hominibus non raro incurrunt, atque ad ministerii apostolici ubertatem suadere ne desinant summam cum orientali clero consensionem et gratiam : quam quidem apte conciliabunt sibi et retinebunt, ipsorum tum linguae moribusque assuescendo, tum tradita a maioribus sacra instituta honore debito prosequentes. Huc autem nihil certe tam valeat quam specimen concordiae benevolentiaeque, quod ipsi praebeant Delegati et ceteri, qui sub eis cum auctoritate sunt; id quod graviter supra admonuimus. Neque vero talis animi prodendi ac testificandi defuturae sunt opportunitates. Praeclara illa, si per sollemnem aliquam celebritatem faciles ljbentesque sacris ritibus orientalium intersit; ac vicissim si eos ad sacra latino ritu sollemnia nonnunquam invitent. Id autem in primis decuerit, valdeque fieri optamus, quotiescumque Ecclesiae vel romani Pontificis causa insignior quaepiam agatur caeremonia. Ex eo namque feliciter potest mutuae observantiae caritatisque foveri studium, dum eiusdem fidei et communionis vincula in

amore communis matris roborantur, dumque augetur obsequium ac pietas erga Successorem beati Petri, eum nempe quem Christus Dominus centrum constituit sanctae salutarisque unitatis.

Quae igitur hisce litteris motu proprio significavimus, declaravimus, statuimus, rata omnia firmaque permanere auctoritate Nostra volumus et iubemus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die **xix** martii anno **MDGGGXGvi,** Pontificatus Nostri decimo nono.

LEO PP. XIII.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## VARSAVIEN.

### NULLITATIS MATRIMONII

*Die 16 Iunii 1894 et 14 Decembris 1895.*

COMPENDIUM FACTI. Georgius et Ioanna die 24 Maii anno 1884 in ecclesia parochiali S. Bonifacii Ixellis, prope Bruxellas sita, coram Reverendo Domino Dhanis, eiusdem ecclesiae S. Bonifacii, eo tempore parocho et duobus testibus legitimis praesentibus, publice in facie ecclesiae, imo cum non levi solemnitate et pompa matrimonium celebrarunt. Quod factum, est adeo certum et indubitatum, ut tanquam notorium a nemine unquam in dubium fuerit vocatum.

Georgius tempore celebrati matrimonii verum domicilium habuit Warsaviae in parochia S. Crucis, ubi, iuxta testimonium authenticum exhibitum, banna de matrimonio Georgii et Ioannae fuerunt proclamata. At in eodem testimonio authentico mox additur: « delegationem vero in personam R. D. M. Dhanis, Curati parochiae S. Bonifacii Ixellis ad benedicendas dictorum coniugum nuptias ab officio parochiali concessam non esse; secus enim in tabulis loci extaret con-

veniens adnotatio, prout id, ubi similes delegationes emanant semper neri consuevit. »

Praeterea dubitari nequit, quin Georgius, postquam die 1 Aprilis anno 1884 Warsaviam reliquit, ut sese conferret in Belgium ad nuptias celebrandas, habitant in diversorio Bruxellensi vulgo *Y Botel de France* dicto, quod certo situm est in parochia S. Gudulae et extra parochiam S. Bonifacii.

Ioanna, quamvis diu cum suis parentibus domicilium canonicum habuerit in parochia S. Bonifacii, tamen tempore celebrati matrimonii cum Georgio habitavit in domo parochiae S. Aegidii. Quod si factum habitationis in parochia S. Aegidii colligi potest ex allegationibus, certo extra omnem dubitationem est, domum a Ioanna inhabitatam, Chaussee de Charleroi n. 2, esse intra fines parochiae S. Aegidii et extra parochiam S. Bonifacii.

Anno 1891 vir curiam Varsaviensem adivit pro impetranda separatione ex capite clandestinitatis. Curia rogavit Emum Archiepiscopum Mechliniensem pro veritate detegenda. Qui acta mittens animadvertit non esse posthabendam praxim parochorum civitatis Bruxellensis sese mutuo delegandi, pro tempore indeterminato, cum scitu et indulgentia Ordinarii, ad assistendum matrimoniis sponsorum simulantium domicilium.

## Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Consultor praemonuit universam quaestionem ad hoc reduci utrum Rñdus Dnus Dhanis, parochus S. Bonifacii ad assistentiam in celebratione matrimonii Ioannae et Georgii ex aliqua *delegatione legitima* fuerit competens necnon. Quare si actrix Ioanna *certis* et *indubitatis* argumentis probare potest, parochum Dhanis legitime non fuisse delegatum ad illam assistentiam, matrimonium Ioannae est nullum et irritum.

Antequam ad ipsam responsionem canonicam huius quaestionis accedam, duo videntur esse praenotanda : agi in casu

de matrimonio, praemissis bannis coram vero et optimo parocho scil. Rñdo Dno Dhanis atque duobus testibus legitimis, publice in facie Ecclesiae cum extraordinaria solemnitate et pompa celebrato. Quod matrimonium usque ad Concilium Tridentinum nonnisi per summum abusum verborum potuisset vocari clandestinum, sed tamquam actus publicus et solemnis admissum fuisset. Si idem Concilium Tridentitinum novam quandam formam substantialem ad validam celebrationem matrimonii constituit, scopum suum principalem Sess. XXIV cap. 1 de reform, matr. hisce verbis manifestat : « Cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas, i. e. matrimoniorum clandestinorum, propter hominum inobedientiam iam non prodesse et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerint relicta, cum alia palam contrahunt,et cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo, cum ab Ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco etc. » Quod gravissimum malum a Concilio Tridentino non esset efficaciter sublatum, si propter quaestiones haud raro obscuras et implicatas de delegatione ad assistendum atque de domicilio nimis facile et ex rationibus non concludentibus, matrimonium publice celebratum declararetur nullum et irritum. Quin imo ex huiusmodi declaratione non solum sequeretur periculum animarum, ut temporibus ante Concilium Tridentinum, si non obstante valido matrimonio clandestino, sive occulto publicum matrimonium novum celebratum est, sed etiam *gravissimum scandalum populi,* qui actum publicum et notorium ob rationes occultas et obscuras videt rescissum. Quare cum Concilium Tridentinum evidenter primo loco id intendere, ut *publice* et in *foro externo* constet de facto celebrationis matrimonii, cavendum est, ne per subtilitates et argutias advocatorum et actorum impugnantium matrimoniorum valorem *lex Tridentina in contrariam detorqueatur* partem.

Alterum quod praenotandum esse videtur, est illud, quod si in omni declaratione nullitatis matrimonii ab actore contra vinculi valorem certa et indubitata argumenta sunt afferenda, id potissimum valet in hoc nostro casu. Etenim in causa Ioannae matrimonii valor impugnatur, quod Rev. Dom. Dhanis, parochus S. Bonifacii, potestatem ordinariam ad assistendum in casu non habuerit atque potestate delegata pariter caruerit. Quodsi parochus S. Aegidii, in cuius parochia Ioanna tempore matrimonii celebrati iuxta documenta allegata domicilium canonicum habuit, *aperte negar et,* se licentiam ad assistentiam in matrimonio Ioannae dedisse parocho S. Bonifacii, sane onus probandi, illam licentiam revera esse datam, incumberet parocho S. Bonifacii et contrahentibus. At in casu nostro parochus S. Aegidii, qui tempore matrimonii Ioannae illam parochiam rexit, iam pridem mortuus est, neque unquam licentiam illam datam esse negavit, neque celebrationi huius matrimonii in ecclesia S. Bonifacii sese opposuit. Cuius rei habemus testem classicum, Rdum Dnum Bossaerts, nunc parochum in Anderlecht, atque antea ab anno 1872 usque ad ann. 1887 parochialem Vicarium in ecclesia S. Aegidii i. e. ipso tempore celebrati matrimonii Ioannae. Qui testis iudici ecclesiastico interroganti haec respondit : « Je dois supposer, que Mr. le Curé Dhanis se sera entendu avec Mr. le Curé De Saegher, i. e. parocho S. Aegidii; en tout cas, *je n ai aucun souvenir d'une réclamation ou protestation, qui se serait produit* quant à la célébration de ce mariage à St. Boniface. » Quare cum non a parocho proprio, sed ab aliis *negetur,* parochum S. Bonifacii ex legitima delegatione egisse, tanto maiore rigore ab actrice exigenda est probatio licentiae non datae, quod parochus Dhanis pariter iam pridem mortuus sit, atque sese defendere nequeat et quod actrix non *asserat,* licentiam esse datam, ut *valor* sui matrimonii *sustineatur,* sed *neget* legitimam delegationem parochi Dhanis ad *impugnandum valorem* sui matrimonii, sibi summopere odiosi et incommodi, imo ut praeter liberationem a vinculo

matrimoniali etiam facilem habeat solutionem alterius litis pendentis de separatione a thoro et cohabitatione propter adulterium a se patratum. Praeterea delegatio illa ad assistendum dari potest et haud raro de facto datur viva voce, absque testibus, per epistolas privatas; nulli enim certae et solemni *formae* Concilium Tridentinum Sess. XXIV. cap. 1. De ref. matr. deputationem alterius *sacerdotis* alligavit. Cfr. Schmalzgr. 1. IV. t. 3. n. 190. Hinc nisi lata via sit aperienda ad impugnanda matrimonia ob licentiam non rite datam et probatam, quicumque praeter parochum proprium negat in matrimonio iam contracto sacerdotem assistentem licentia fuisse destitutum, id ipse concludentibus argumentis probare debet, quemadmodum post Sánchez, De matr. 1. III. disp. 37 n. 5, aliosque recte tenet defensor vinculi S. C. C.

Hisce animad versionibus praemissis, censuit :

*« Non constare de nullitate matrimonii in casu ».*

Nam 1. Rdus Dominus Dhanis, parochus S. Bonifacii saltem valde probabiliter, si non moraliter certo, adstitit matrimonio Ioannae et Georgii ex delegatione *speciali* Rdi. Dñi Saegher parochi S. Aegidii ; 2. etiamsi Rdus Dnus Dhanis speciali illa delegatione Dñi Saegher in hac matrimonii solemnitate caruisset, tam amplam habuit delegationem *generalem,* ut saltem *valor* matrimonii Ioannae et Georgii in dubium vocari non possit; 3. argumenta canonica, quibus patronus actricis Ioannae valorem huius matrimonii impugnat non solum certa non sunt, sed vix probabilitatem attingunt, multoque minus illam superant.

At tribus istis propositionibus probatis, manifeste consequitur, nullitatem matrimonii in casu non posse declarari.

I. *De delegatione speciali R. D. Dhanis.* Cum duo parochi, de quibus agitur, iam mortui sint, illorum depositionibus personalibus haec quaestio non iam definiri potest. Quare recurrendum est ad legitima indicia, praesumptiones, argumenta indirecta. Ex libr. II. tit. 23. de praesumptionibus constat, generaliter praesumi pro quovis officiali, quod

recte administraverit ea, quae spectant ad officium eius. Cfr. Schmalzgr. 1. II. t. 23. n. 34. Porro qui tempore praeterito fuit diligens etiam pro tempore futuro praesumitur atque ex communiter usitata agendi ratione viri, recte concluditur ad ipsius modum agendi in casu particulari. Cfr. cap. 3. 6. 9. X. de praes. II. 23. Ideo *tanto efficacior probatio* requiritur ab eo, in casu nostro ab actrice, qui probare vult illud, quod *non est verosimile,* ut sapienter statutum est cap. 10. X. de praesumpt. II. 23.

At in casu nostro agitur de duobus probis et honestis parochis, ergo donec contrarium concludenter probetur, omnino praesumendum est, quod omnia, quae in hac matrimonii celebratione spectabant ad ipsorum officium, recte administraverint.

Porro speciatim Rdus Dnus Saegher, quo Rdus Dnus Dhanis tamquam *bono vicino familiariter utebatur,* fuit infirmus et aetate provectus ideoque summopere facilis in delegationi bus et permissionibus concedendis. Maxime vero idem Dnus Saegher sese studuit *liberare a ceremoniis;* in quibus ad futuros coniuges *sermones* fuerunt habendi. Qui horror sane debuit esse singularis in celebratione matrimonii Ioannae; etenim sermo ille ad futuros coniuges habendus fuisset in lingua *gallica,* quam Rdus Dnus Saegher, bonus noster parochus Brabantinus, *minus bene callebat.* Denique idem Dnus Saegher pro conditione non paucorum hominum nonnisi difficulter in scriptis dedit licentias, ergo mirum non esset, si etiam hanc delegationem non in scriptis, sed viva voce Rdo Dno Dhanis dedisset.

Quod si iam convertamur ad Dnum Dhanis omnes in eo •conveniunt, ipsum fuisse parochum zelantem, in rebus matrimonialibus valde peritum, verum exemplum accuratae observantiae in quaestionibus matrimonialibus, consultorem suorum confratrum in iisdem difficultatibus matrimoniorum. •Quae in primis constant ex testimonio Em. Cardinalis et Archiepiscopi Mechliniensis.

Quod praeclarum testimonium Emi Praesulis Mechli-

niensis multum corroboratur atque adeo summa vi donatur depositionibus Vicariorum parochialium, iam saepe laudatorum, qui Rdum Dnum Dhanis longa experientia personali optime cognoverunt.

Iam vero Dnus Dhanis hisce qualitatibus ornatus atque a testibus, fide dignissimis, tanquam exemplar diligentis et periti et prudentis parochi descriptus optime scivit, domum habitatam a familia Ioannae tempore celebrationis nuptiarum N. 2 Chaussé de Charleroi, *non* esse intra fines parochiae S. Bonifacii, sed spectare ad parochiam S. Aegidii. Id enim manifeste eruitur ex testimoniis Ioannae eiusque matris.

Quod duae illae mulieres testatae sunt, id luculenter confirmant RR. DD. Verley et Vereeken, qui Vicarii in parochia S. Bonifacii fuerant.

At supposita tali scientia in Dno Dhanis, nullus ipsi apparere potuit titulus, unde ex iure quodam proprio et absque delegatione legitima matrimonio Ioannae rite assisteret.

Certe non ob domicilium *verum* Ioannae in parochia S. Bonifacii. Nam nimis evidenter notum ipsi fuit factum, domum illam saepe laudatam n. 2 Chaussée Charleroi, esse extra suam parochiam pariterque optime scivit, alterum factum sci. familiam Ioannae dereliquisse parochiam S. Bonifacii ut habitaret tempore matrimonii celebrati loco citato n. 2. Nam mater Ioannae in novis actis Mechliniensibus testatur, Dnum Dhanis scivisse mutationem habitationis, idem suadet totus modus agendi Dñi Dhanis in illa conversatione cum matre, eius haesitatio, consultatio libri, refutatio ab initio et finalis concessio. Porro idem parochus fuit amicus familiae Ioannae, quae erat nota et conspicua in tota regione: sed pater Ioannae anno 1883 suam domum in parochia S. Bonifacii vendidit et discessit atque postea novam illam domum occupavit n. 2 Chaussée. Huiusmodi facta parochum prudentem et in rebus agendis versatum fugere non solent.

Porro Dnus Dhanis nunquam profecto existimavit se

*denuo eoo iure proprio* factum esse competentem, eo quod familia Ioannae ad facilitandum matrimonium *civile* per meram insertionem in *registro* civili suburbii Ixelles sive parochiae S. Bonifacii *denuo* in eadem parochia acquisiverit domicilium *civile.* Nam nimis absonum est iam a priori, virum tam bene in iure matrimoniali versatum elementares illas notiones ignorasse de domicilio canonico, omnino distincto a domicilio mere civili, quod mera inscriptione in registro municipali absque ulla habitatione actuali in loco domicilii acquiritur.

Denique nisi velimus admittere errorem quendam vel -deceptionem, Mr. Dhanis in casu non usus esset delegatione generali et mutua parochorum illius districtus, ut omnes sacerdotes in hoc processu examinati unanimiter testantur. Agebatur enim de matrimonio *diu praeparato,* iam compluribus hebdomadis Dno Dhanis ex conversatione cum matre Ioannae notissimo.

Quapropter omnibus circumstantiis huc usque recensitis in unum collectis, attentisque singulis personis, de quibus agitur atque praesertim ratione habita qualitatum et morum illorum duorum parochorum Rdi Dñi Dhanis et Rdi Dñi Saegher, sponte videtur sequi delegationem specialem in Dno Dhanis omnino esse admittendam. Qua delegatione admissa, omnia cohaerent et facile explicantur, illa autem negata, verum aenigma et mysterium fingitur. Hinc si S. O. vg. S. C. Inq., S. C. de Prop. F. in gravissima quaestione probationis obitus alterius coniugis, deficientibus aliis argumentis, tandem « ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque » probationem admittunt, dummodo ex *toto circumstantiarum* complexu « exurgere possit moralis illa certitudo, quae necessaria est, ut iudicium proferatur »; a fortiori in nostro casu huiusmodi probatio est admittenda, ubi vel *sola probabilitate in favorem matrimonii solide* demonstrata, *actio partis contrariae* valorem matrimonii impugnantis *eliditur.* Illi enim incumbit onus *certae* et indubitatae probationis nullitatis matrimonii, quod impu-

gnatur. Quae certitudo plane haberi nequit, si in favorem vinculi matrimonialis militant vel *solae probabiles* rationes vere solidae; ergo multo magis certa probatio nullitatis exclusa est, si contra illam allegari possunt probationes moraliter certae vel saltem probabilissimae, ut in casu nostro de speciali illa delegatione obtinet, contra quam certae et concludentes rationes non proferuntur.

Verumtamen, ut veritas undequaque pateat etiam argumenta contra illam specialem delegationem allata, examinanda et diluenda sunt.

In primis nullius momenti est illa exceptio, quod documentum scriptum illius delegationis exhiberi non possit. Nam ut supra iam demonstratum est, Concilium Tridentinum 1. c. nullo modo scripturam, sive ad valorem, sive ad liceitatem delegationis ad assistentiam in matrimonii celebratione requirit, neque ulla ratione licentiam viva voce datam excludit, ut communiter tenent doctores. Cf. Schmalzgr. 1. c. Porro indoles Dñi Saegher, mutua amicitia utriusque parochi, depositiones sacerdotum, qui olim Vicarii parochiales in illis duabus parochiis fuerunt, vehementer suadent, licentiam illam viva voce a Dno Saegher datam fuisse. Insuper postulatur probatio practice impossibilis. Nam talis delegatio, si scripto data fuisset, ut fieri solet, in folio quodam separato, certe occasione obitus Dñi Dhanis periisset, ubi infeliciter nimis multa scripta combusta et deleta sunt, ut testatur etiam defensor vinculi Curiae Mechlinien.

Neque maiorem vim habet altera exceptio., quod non remaneat vestigium proclamationum factarum in parochia S. Bonifacii. Nam liber proclamationum parochiae S. Bonifacii illius anni 1884, quo matrimonium Ioannae celebratum est, imo etiam aliorum annorum una cum aliis quamplurimis documentis deletus est. Hinc etiam de omnibus aliis proclamationibus, illis annis factis, ex libro proclamationum noa constat. At quis dicet, in universa illa parochia numerosa S. Bonifacii toto illo tempore nullas proclamationes esse

factas. Hinc dubium existere nequit, quin in ecclesia S. Bonifacii proclamationes factae sint. Ibi enim fieri debuerunt, etiamsi matrimonium in ecclesia Sti. Aegidii matrimonium Ioannae fuisset celebratum. Nam sponsa per nimis longum tempus in parochia S. Bonifacii habitaverat eamque vix decem mensibus elapsis reliquerat. Quare attenta indole prudenti Dñi Dhanis certe ex iuris praescripto in sua parochia proclamationes publicavit. Id quod summopere exinde confirmatur, quod proclamationes in ecclesia Sti. Aegidii de matrimonio Ioannae non sint factae. Quae omissio facillime explicatur, si Dnus Saegher finem proclamationum attendendo atque late interpretando statuta dioecesana Mechliniensia abstinuerit a proclamando matrimonio Ioannae, quae recenter in suam parochiam advenerat. Insuper sponsi, ut patet ex narratione matris Ioannae, sese parocho S. Aegidii, Rdo Dno Saegher non praesentarunt, sed universum negotium matrimonii cum Rdo Dno Dhanis a matre Ioannae transactum est. Ergo mirum non est, quod Dnus Saegher istud matrimonium in sua ecclesia non proclamant ; at vere mirabile esset, si huiusmodi matrimonium in Belgio celebratum, nullibi ibidem in aliqua parochia proclamatum esset. Id autem accidisset, si in ecclesia S. Bonifacii publicationes non essent factae.

Porro urgetur difficultas, quod in libro matrimoniorum parochiae S. Bonifacii secundum textum authenticum et a Rdo Dno Dhanis subscriptum legatur « *eoo hac*-» sci. Ioannam esse ex parochia S. Bonifacii, neque reperiuntur verba « a parocho S. Aegidii delegato », quae a novo parocho S. Bonifacii in copia dato fuerunt addita. Quae difficultas contra delegationem *specialem* Dñi Dhanis, at ut iam hoc loco moneam, *non* contra *valorem matrimonii Ioannae,* efficacius urgeri potuit, antequam advenirent acta novi processus Mechliniensis : sed novis illis actis inspectis illa difficultas cum suis adnexis congruam accipit solutionem. Nam cum Rdo Dno Vereeken et defensore Mechliniensi omnino probabiliter dici potest, verba illa « *ex hac* » propter momentaneam

quandam distractionem Dñi Dhanis irrepsisse in registrum. Quae explicatio eo facilius admitti potest, quod in Belgio parochi ex libello, qui de matrimonio civili traditur ab officiano civili, soleant conficere registrum canonicum vel saltem libellum illum civilem inspiciunt et consulunt. At in casu nostro Ioanna in libello civili denuo exhibebatur tanquam domiciliata in Ixelles, sive in parochia S. Bonifacii. Hinc cum eadem Ioanna usque ad ultima tempora fuisset parochiana Sti Bonifacii atque fictum illud domicilium civile non adeo appareret in libello civili, Dnus Dhanis facilius potuit errare.

Cui explicationi non obstat exemplum allatum ubi Dnus Dhanis expressis verbis addit, « *coram me rite delegato* ». Nam in illo exemplo plane diverso evidenter agebatur de *extraneis*, qui forte antea in concubinatu vixerant atque nunc opera sodalium S. Franc. Reg., e quibus unus, ut testis adstitit, matrimonium suum convalidarunt. Quibus in circumstantiis error Dñi Dhanis non potest admitti, ut recte notat defensor Mechliniensis.

Quare si una ex parte habetur parochus pius, prudens, in rebus matrimonialibus optime instructus, testes spectatissimi, atque his ex altera parte, apponuntur duae particulae in registro matrimoniorum, quae iuxta omnes circumstantias potius erroneae sunt dicendae, certe iudex prudens et circumspectus saltem dubitabit atque nequaquam tam incerto innixus fundamento contra valorem matrimonii sententiam feret.

Quod si quis non obstantibus omnibus deductionibus huc usque factis in ea maneret opinione, Rdum Dnum Dhanis revera *errasse* circa .parochialitatem Ioannae et in registro matrimoniorum verbis illis « *eas hac* » revera id indicasse, quod in mente habebat sci. Ioannam esse suam parochianam, sine dubio illud concedet, huiusmodi errorem in tali viro, qualis D. Dhanis concordi testimonio describitur, esse inculpabilem atque non ex propria negligentia parochi repetendum; delicta enim in pio sacerdote sunt probanda, non ungenda.

:. At etiam in ista *hypothesi erroris,* quam utique vere et solide probabilem vix habere possum, contra valorem matrimonii Ioannae nihil efficitur; obstat enim *generalis delegatio,* quam in *hac hypothesi* secundum praxim parochorum Bruxellensium certe habuit Rdus Dnus Dhanis. Atque ita iam disputandum est:

II. De *existentia, extensione, vi iuridica delegationis generalis* parochorum *Bruxellensium* et *suburbii.*

Quod si de illa delegatione generali sit disserendum, inprimis quaestiones de opportunitate, convenientia, forma, liceitate huius delegationis generalis omnino sunt seponendae; omnes enim disquisitiones huc spectantes essent ad summum grandes passus, sed extra viam, neque quidquam conferrent ad solvendam quaestionem principalem in casu, quae est unice de *valore* matrimonii Ioannae.

Quare universa quaestio ad hoc reducitur: 1. An existat delegatio quaedam mutua et generalis parochorum Bruxellensium et suburbii atque ea quidem extensione, ut etiam casus Dñi Dhanis *iuxta hypothesim factam* comprehendatur; 2. An huiusmodi delegatio generalis in casu eam habuerit vim iuridicam, ut Rdus Dnus Dhanis *valide* adstiterit matrimonium Ioannae.

Atqui *generatim* mutuam quandam delegationem generalem parochorum Bruxellensium et suburbii tempore celebrati matrimonii Ioannae exstitisse adeo evidenter ex actis antiqui et novi processus Mechliniensis patet, ut a nemine sanae mentis in dubium vocari possit et ad superabundantiam per impugnationem longam huius delegationis generalis, a patrono actricis factam, luculenter adstruatur. Quare ne oleum et operam perdamus, unice inquirendum est, num ista delegatio generalis ea *extensione* data fuerit, ut etiam casus Dñi Dhanis et Ioannae comprehendatur. Cui quaestioni, attentis praesertim actis novi processus Mechliniensis, respondendum est, *absque ullo dubio, casum illum comprehendi.*

Profecto iuxta formulam impressam mutuae illius delegationis generalis duo tantum casus videntur comprehendi

sci. I° « quod sponsi ad banna admissi, antequam matrimonium contrahant, demigrant et se uniendos sistunt pastori pristino, iam non pastori suo; 2° quod sponsi ut évitent parochum proprium, alibi ficto domicilio ponunt, quae matrimonio praevia sunt et sic circumventio pastore non suo, coram eo matrimonium contrahunt. » Non multum altercandum est cum patrono actricis, num casus Ioannae saltem non comprehendatur in casu secundo supra allegato, cum favor concessus iis, qui suis fraudibus sunt auctores erroris parochi, a fortiori sit vindicandus bona fide errantibus. Certe argumentum patroni ad impugnandam hanc illationem est plane absonum ; petitur enim ab exemplo ex materia plane dispari. Sed his opus non est. Nam delegatio illa generalis ultra terminos in formula disertis verbis expressos legitime fuit extensa. Hinc iam Archiepiscopus Mechliniensis in epist, ad Archiep. "Warsaviensem non tantum casum deceptionis, sed etiam erroris parochi, in delegatione illa generali contentum esse testatur.

Porro Rdus Dnus Verstraelen, qui est inde ab anno 1851 in sacro ministerio in districtu suburbano Bruxellensi et ab anno 1873 huius districtus est Decanus, ad quaestionem: « An parochi Bruxellenses et Suburbani tempore, quo celebratum fuit matrimonium Ioannae et Georgii, delegationem impressam intelligebant ad litteram, an vero illam extendebant ultra casus designatos? » respondit: « Illo tempore et fere ab initio conventionis *extensa* fuit delegatio ad *omnes casus*, in quibus obtinebat finis in delegatione propositus, nempe ut provide curetur de *valore* matrimonii. Haec eadem firmantur per depositiones domini Verley et domini Laurey.

Quibus ex depositionibus optimorum testium, quibus plane consentit defensor vinculi curiae Mechliniensis, satis superque est demonstratum, *facta hypothesi erroris* ex parte Dñi Dhanis casum celebrati matrimonii Ioannae in delegatione generali, de qua agitur, omnino comprehendi.

Et profecto, ex natura rei valor illius delegationis generalis omnino est admittendus : nam nulla intrinseca ratione

tanquam absolute impossibiles aut perpetuo turpes huiusmodi delegationes probari possunt. Neque obstant generalia principia iuris canonici de delegatione; nam plures personae ecclesiasticae in eadem causa in solidum delegari possunt, ita ut praeventioni sit locus. Cfr. cap. 8, de off. et pot. iud. deleg. T. 14 in Sext.; Schmalzgr. 1. I, t. 28, n. 17. Neque obstat ius speciale cap. *Tametsi* in Conc. Trid. Session. XXIV, de ref. matr. Quamvis enim ibidem ad validam delegationem iuxta communem interpretationem cfr. Schmalzgr. 1. IV, t. 3, n. 187; Gasparri, De matrimon. n. 943 omnino requiratur, ut delegatus sit sacerdos; at ius parochi vel Ordinarii alium sacerdotem sibi substituendi saltem quoad *valorem* a Conc. Trid. 1. c. aliis specialibus clausulis et limitationibus non est coarctatum, sed in terminis iuris communis relictum; ergo cum ius commune non obstet, perperam valor talis delegationis generalis negatur vel privatorum doctorum placitis coarctatur. Cfr. Gasparri 1. c. n. 950, ubi pariter alias limitationes iuris Tridentini non admittit. Denique non obstat delegationis generalis valori praxis S. C. C. Nam haec tanquam *validam* admisit illam delegationem, qua contrahentibus nominatim designatis a parocho in scriptis concessa est licentia, ut matrimonium *coram quolibet sacerdote*, ipsorum arbitrio electo, celebrare possent. Cfr. Fagnan. in cap. 3, X, de cland. desp. n. 33; Gasparri 1. c. n. 949; Feye, De imped. et disp. matr. n. 297, 6. Certe delegatio magis generalis « ratione personarum » cogitari non potest. Porro S. C. C. in causa Colon. (1) delegationes generales tanquam validas admisit atque nequaquam ausa est ferre sententiam nullitatis, quamvis *opportunum* esse duxerit ad *convenientem* et *licitum* usum illarum delegationum generalium aliquas modificationes apponere. Quantopere vero decisio in causa Coloniensi data faveat *valori* delegationum Bruxellensium, optime comprobatur ex modo agendi patroni actricis Ioannae. Is enim a difficultate ex decisione in causa Coloniensi contra suas

(1) Recole Vol. XXV, 641.

impugnationes valoris matrimonii petita, aliter sese expedire nescit, nisi saltem indirecte *impugnando decisionem, a S. C. C. datam* in causa Coloniensi et *detorquendo modum ad mentem* S. C. C. decisioni additum, in sensum *plane absurdum* et perversum. Qua ratione simul nolens volens cuicunque legenti istas disquisitiones confessus est, decisionem S. C. C. in causa Colon, datam suis theoriis esse contrariam.

Atque ita iam perveni ad tertium et ultimum punctum supra propositum, sci. praeter positivam inquisitionem de licentia speciali et generali, etiam pars negativa examinis rationum clarissimi patroni actricis non videtur esse negligenda.

III. *De argumentis patroni actricis.* Antequam de hisce argumentis disseram, unum mihi videtur esse praenotandum. Quicumque acta huius causae, quae primam propositionem praecesserant, accurate examinaverit, illud mirabitur, quod universum hoc negotium, multis factis et quaestionibus particularibus implicatum, nullo vero et *integro processu canonico,* saltem informativo, fuerit praeparatum. Habemus enim initia quaedam processus in Curia Varsaviensi, reperitur inquisitio quaedam in Curia Mechliniensi de *quibusdam* quaestionibus; at integer et perfectus processus non existit, neque *eo in loco* factus est, ubi unice rite et cum plena cognitione personarum, locorum, circumstantiarum instrui potuit sci. in archidioecesi Mechliniensi. Quae lacuna fuit per extraiudiciales informationes undequaque a *patrono actricis* collectas, ita *ut is quasi partes iudicis* instructoris causae in sese susciperet; at de proprio et vero quodam iudice, qui adstante actuario et praesente defensore vinculi matrimonialis *totum* processum instrueret, nihil reperitur. Quare optimo iure defensor vinculi S. C. C. cui officium incubuit defendendi vinculum matrimoniale, gravissimis verbis de hac lacuna conqueritur. Hinc sapientia Emorum Patrum factum est, ut a gravissimo incommodo sententiae definitivae plane insufficienti processui canonico innixa abstineatur. Ñeque quisquam profecto atque ne ipse quidem patronus actricis

negabit, novo processu Mechliniensi faciem huius causae multum esse immutatam.

Quodsi patronus primam partem suae orationis incipit a removendis quibusdam difficultatibus, iis rebus insistit, quas nemo serio suae causae opposuit. Quare hisce disquisitionibus facile consentio, neque in dubium voco, quae de factis in reliqua parte prima contendit. Quamvis enim in prima causae propositione haud sine fundamento opposita fuerit exceptio, nequaquam de omnibus constare per tabulas iudiciales, tamen ex novo processu Mechliniensi facta illa aut expresse aut tacite sunt comprobata, ut patet ex iis, quae in specie facti supra exposui. At ex his concessionibus et probationibus patronus in favorem suae causae nihil proficit.

Nam illico in probanda secunda parte suae orationis plane deficit. Ibidem enim totis viribus vult ostendere Reverendum Dnum Dhanis *caruisse delegatione speciali.* At haec assertio patroni innititur argumentis aut mere negativis, v.g. scripturam delegationis non reperiri, quae nullam omnino vim habent, aut si quid positivi insinuant, ipsis obstat totus ille cumulus praesumptionum, quae supra « de delegatione speciali » fuerunt expositae atque contrariis argumentis omnem probabilitatem aut sine dubio certitudinem adimunt. Quare ad declarandam nullitatem matrimonii ista argumeuta patroni sunt plane insufficientia et, firma manente delegatione speciali, solummodo ad superabundantiam etiam de delegatione generali inquirendum est, quam patronus actricis pariter impugnat.

Atque ab initio illud monendum est, quod clarissimus patronus passim loquatur de « *abusu Mechliniensi* » atque rem ita exhibet, quasi in *tota* dioecesi Mechliniensi parochi sese invicem generaliter delegent. Id quod falsum est, neque ex epistola Emi Archiepiscopi Mechliniensis eruitur. Certe Bruxellis et in suburbio huius civitatis atque in aliis quoque « *partibus* » dioecesis Mechliniensis viget praxis mutuarum delegationum at nequaquam in *universa* dioecesi Mechliniensi vastissima, *omnes* et *singuli* parochi sese mutuo

delegant. Atque haec monenda videbantur, ne ex ancipiti modo loquendi oriatur confusio, ad quam vitandam melius cum defensore vinculi S. C. C. agitur de *praxi Bruxellensis* de qua unice hoc loco inquiritur. Praeterea si patronus actricis magna eloquentia insurgit contra « abusum Mechliniensem » forte pacati lectores huius bellicosae disquisitionis aliquantulum subridebunt atque difficulter sibi persuadebunt, praxim, quae totam machinam patroni valorem vinculi matrimonialis impugnantis destruit atque defensori vinculi securum est propognaculum, esse verum atque proprie dictum « abusum ». Denique privata auctoritate praxis Bruxellensis, de qua S. O. nullum huc usque iudicium protulit, nota abusus non videtur inurenda, praesertim quia ista praxis a clericis spectatissimis est introducta atque Emus Praesul qui nunc archidioecesim Mechliniensem regit, speciali supplicatione a SSmo Domino petit, ut « abusus Mechliniensis » approbetur »

Argumenta, quibus deinde in specie clarissimus patronus praxim Bruxellensem impugnat, inprimis laborant illo gravissimo defectu, quod iisdem plane rationibus praxis Coloniensis etiam a S. C. C. approbata impugnari posset. S. C. C. praxim Coloniensem absque modificationibus *nequaquam* tanquam *invalidam* reprobavit, imo additis illis modificationibus Archiepiscopo Posnaniensi, item Archiepiscopo Cameracen si tanquam normam proposuit.

Praeterea alia argumenta, quae statim ab initio clarissimus patronus urget, manifesta laborant exaggeratione, quasi universa disciplina corrueret, si generales illae delegationes admitterentur. Quae argumenta patroni, si quid probant, solummodo illud efficiunt, ab excessivis deiegationibus esse abstinendum; at valorem praxis Bruxellensis non attingunt. Ubi enim habetur delegatio magis generalis, quam in illo casu,, quo arbitrio coniugum electio sacerdotis relinquitur, et tamen S. C. C. hanc delegationem *validam* habuit. Quare circumdetur delegatio Bruxellensis necessariis cautelis quoad convenientem et licitum usum, at ipsius va-

Iur utpote multo magis limitata quam delegatio, quae modo commemorata est, in dubium non vocetur.

Optimo consilio patronus dein insistit principio non tantum litteram, sed mentem legis Tridentinae esse attendendam. At huiusmodi principium nequaquam deducit ad conclusionem a patrono intentam. Nam principalis scopus Concilii Tridentini is fuit, ut actu publico constaret de matrimonio celebrato; at si actus ille publicus propter multas et implicatas quaestiones de domicilio, quae nostra aetate ob perpetuas transmigrationes augentur, facile et frequenter tanquam irritus impugnari posset, scopus ille Tridentinus cunsulendi securitati et valori matrimonii, publice celebrati, facile frustraretur. Ergo in magnis illis civitatibus optimo consilio ad mutuas delegationes confugitur, ne actus publice et notorie celebrati ob subtilitates quasdam de domicilio a populo non intellectas, ut haec ipsa causa et verba matris Ioannae demonstrant, cum gravi scandalo rescindantur.

Quod si Patronus miratur, quod in causa Coloniensi negatum sit, non illico omnia verba Benedicti XIV ad praxim Coloniensem posse transferri, non satis attendit, modum agendi polonicum, quem Benedictus XIV reprehendit, quoad effectus a praxi Coloniensi, imo etiam a Bruxellensi discrepasse. In Polonia enim, ut duo solummodo insinuem discrimina qualescumque sacerdotes sive ut tempore medii aevi dicebatur « stupidi quoque sacellani in castellis » et absque *ullis* bannis praemissis, ad assistentiam in matrimoniis delegabantur. Id quod nullo modo fit secundum praxim Bruxellensem et Coloniensem. Delegantur enim solummodo parochi, numero pauci et viri spectatissimi, quibus ad summum in casibus extraordinariis primus Vicarius sive Capellanus substituitur. Nam teste Feye 1. c. n. 297 : « Certe in Belgio, Vicarii parochiales, indigent facultate a parocho obtenta » idest vi sui muneris non omnes Vicarii parochiales indiscriminatim ad assistentiam in matrimoniis competentes sunt. Atque quemadmodum a Rdmo Domino Gasparri didici

etiam Parisiis in praxi illa facultas generalis assistendi tantum competit primo Vicario parochiali.

Praeterea etiam Bruxellis atque Coloniae nequaquam pro more polonico arbitrarie banna omittebantur. At quod maximi est momenti, praxis illa polonica, praesertim quoad effectus, toto coelo differt a praxi Bruxellensi et Coloniensi. Illa enim praxis polonica effecit, ut *frequenter* et *facile* matrimonia *contracta declararentur nulla.*

Id disertis verbis testatur Benedictus XIV Const. « Nimiam licentiam » 18 Maii 1743, § 5, quae ad Episcopos Poloniae data est. Quanti vero fuerunt illi abusus in Polonia facile desumitur ex alia « Admonitione ad Episcopos in regno Poloniae » ab eodem Benedicto XIV Const. « Matrimonii » 11 Apr. 1741 missa, ubi statim ab initio haec leguntur: « Etsi autem plurimum dolentes facile adducimur, ut credamus, huiusmodi dissolvendorum coniugiorum licentiam, propter quam non sine gravi bonorum offensione sive *vir unus,* sive *mulier una pluribus* vicissim adhuc *viventibus* sibi *antea copulatis coniugibus tertium (!)* aut *quartum (!) matrimonium contrahere* cernitur, a nimia Curiarum vestrarum libertate, quemadmodum alibi evenire accepimus, *ortum ducere;* tamen facere non possumus, quin iustissimas ad vos, Venerabiles Fratres, querelas nostras deferamus, atque insimul tantae licentiae refraenandae et intra praescriptas a Catholica Ecclesia coercendae, salutares leges modumque meditemur ».

Ubinam unquam *tales litterae Apostolicae* ad Archiepiscopum Coloniensem scriptae sunt, in cuius dioecesi praxis mutuarum delegationum a patrono directe impugnata iam a tempore immemoriali vigebat? Numquid Archiepiscopus Mechliniensis ad instar Episcoporum Poloniae « de abusu Mechliniensi » accepit '« Admonitionem » Sedis Apostolicae? Nunquam. Cuius silentii facile reddi potest ratio. Est enim *inauditum* in illis regionibus, quod quis ad *tertias* et *quartas* nuptias convolet, dissolutis facile prioribus coniugibus, propter « abusum Mechliniensem ». Patronus actricis ne unum

quidem poterit proferre exemplum, atque adeo proprio suo exemplo demonstrat, mutuam delegationem facili dissolutioni matrimoniorum esse obstaculum.

Quae patronus deinde profert de abusu Mechliniensi in tota dioecesi divulgato nituntur evidenter falso supposito iam supra refutato, quasi omnes et singuli parochi totius dioecesis sese mutuo delegassent. Neque maiorem vim habent alia argumenta ex Benedicto XIV allata. Verba enim Benedicti XIV desumpta sunt ex ipsius Const. « Nimiam licentiam » contra abusum verum Poloniae, qui omnino discrepat ab usu Mechliniensi, ubi nequaquam etiam ab Episcopis facile et frequenter *quilibet sacerdotes, omissis* quoque bannis, delegaban tur. Parochi autem Bruxellenses cum omnes bene norint conventionem factam et velint quam maxime curare valorem matrimoniorum certe unicuique matrimonio assistunt cum ea potestate, quam habent, sive propria sit, sive delegata.

Quod si dein patronus exinde arguit, quod delegatio tantum possit esse generalis *ratione rei,* non ratione *personarum,* statuit principium canonicum, ad suum scopum gratis confictum, quod neque in natura rei, neque in iure communi, neque in speciali iure matrimonii, neque in praxi S. C. C. neque in sententiis doctorum ullum habet fundamentumEt profecto iam supra allatum est caput iuris decretalium, quod plures iudices in eadem causa in solidum delegari possint, ita ut praeventioni sit locus. Porro S. C. C. tanquam validam admisit illam generalissimam delegationem, ratione personarum, quo ipsis coniugibus electio sacerdotis fuit permissa atque optimo iure defensor vinculi S. C. C. in suis animadversionibus provocat ad alias decisiones S. C. C. quibus huiusmodi nova et inaudita theoria patroni actricis penitus exploditur. Quae vero ex auctoribus afferuntur, omnino non sunt ad rem. Nam isti auctores afferunt ordinarios modos ad instar exemplorum, et ideo alios modos non excludunt. Ipse vero Feye, quem patronus inter fautores suae theoriae recenset, 1. c. n. 297, generales delegationes etiam

ratione personarum expresse tanquam validas habet, ita ut defensor vinculi Curiae Mechliniensis i. f. suarum animadversionum Rmum Dom. Feye iis adnumeret auctoribus, qui generalem delegationem ratione personarum ut validam ad-, mittunt, quamvis *nimiam generalitatem* haud probent.

Pergit patronus actricis delegationes illas generales ideo non esse admittendas, quia nitantur *temeraria* interpretatione Concilii Tridentini et introducant consuetudines, quibus iuxta Benedictum XIV salutarium legum ecclesiasticarum fundamenta labefactentur. At clarissimus patronus inprimis unam gravissimam rem omisit scilicet, has assertiones solidis argumentis probare. Porro huiusmodi assertiones iam in causa Coloniensi satis superque sunt refutatae, atque per decisionem in eadem causa datam penitus reprobatae; nam si quid valerent, etiam militarent contra illam decisionem Coloniensem. Id quod plane absonum est. Quae autem dicit de labefacta disciplina ecclesiastica per talem consuetudinem, incaute provocat ad Benedictum XIV. Is enim reprehendit abusus polonicos, qui duxerunt ad facilem et frequentem matrimoniorum *dissolutionem,* at clariss. patronus praecise intendit hanc matrimonii *dissolutionem,* in qua obtinenda per delegationem generalem impeditur. Consuetudo autem, quae conducit ad sustinendum *valorem* matrimoniorum a Benedicto XIV non recensetur inter consuetudines, quae disrumpant nervum ecclesiasticae disciplinae.

Non movetur patronus exemplis aliarum regionum, quae in causa Coloniensi fuerunt allegata, cum nihil facilius diffundatur quam errores, et exemplis illis vis probandi non insit. Patronus igitur actricis iterum aliter sese extricare nescit, nisi impugnando causam Coloniensem. At primum ipsius responsum ad exempla allata est desperatum effugium, quod in auctorem retorqueri potest. Sane errores et abusus facile divulgantur etiam in regionibus catholicis, ubi sunt pastores illitterati et negligentes, clerus male instructus et discolus, fideles ignari et corrupti. At vicissim ubi doctis-

simi et vigilantissimi Praesules dioeceses regunt, parochi bene instructi et zelantes curam exercent animarum, fideles rite edocti atque honesti abundant, profecto stat praesumptio, consuetudinem introductam esse legitimam et honestam, non erroneam et turpem. Iam nemo negare potest, in Archidioecesibus Coloniensi, Cameracensi, Mechliniensi, ubi praesertim huiusmodi praxis delegationum generalium vigebat, a longissimo tempore optimos semper extitisse Praesules, parochos, fideles. Ergo assertio illa, nihil facilius divulgari quam errores, in casu ineptis efiugiis eloquentiae forensis est adnumeranda.

Quodsi exemplis allatis patronus vim probandi negat, non multum immoror huic quaestioni, cum solida argumenta non afferat. Certe unum exemplum est indubitatum sci. vel ipsam S. C. C. in causa Coloniensi respondisse: non constare de nullitate matrimoniorum, quae iuxta praxim Coloniensem contrahuntur. Quae verba evidenter referuntur ad tempora *praeterita* atque ad *matrimonia iam contracta,* non ad *futura* matrimonia et novum modum a S. C. C. in « mente » additum.

Porro praxis Bruxellensis quoad substantiam omnino convenit cum praxi Coloniensi, antequam illa S. C. C. proponeretur; est enim delegatio generalis ratione personarum, -a quo patronus adeo abhorret atque praeterea ut constat ex novis actis Mechliniensibus a parochis Bruxellensibus, ultra •casus strictae necessitatis, non extendebatur. Ergo eadem quoque decisio in causa Bruxellensi danda est atque in causa Coloniensi sci. *non constare* de nullitate matrimoniorum, quae iuxta praxim Bruxellensem huc usque celebrata sunt et *consequenter in specie non constare de nullitate matrimonii Ioannae et Georgii.*

Insuper patronus illam commemorat obiectionem, quod in hac controversia de delegationibus formae quaestio fiat non substantiae ideoque in contractu iure naturae valido, formam posthabendam esse, nisi vitium luculentissime probetur. Profecto in casu nostro non agitur de qualicunque

forma, sed de forma substantiali contractus. Quae etsi solummodo quoad *partem* essentialem desit, nullum et irritum reddit contractum etiam matrimonialem. Qua in re nihil opponendum habeo clarissimo patrono. At ipse deficit in *probatione,* talem partem essentialem formae Tridentinae sci. praesentiam parochi proprii vel rite delegati in matrimonio Ioannae defuisse.

Nam ut probatum est, non defuit delegatio specialis, ima nec generalis, quae ad valorem matrimonii plane sufficiebat,

Minus autem clara atque accurata sunt, quae ipse patronus ad removendam difficultatem sibi factam proponit. Sane in coniugibus christianis non potest existere contractus matrimonialis, qui non simul sit sacramentum. At si eo progreditur, ut affirmet consensum *naturalem* deesse, si deficiat forma, haec non sunt accurata. Nam cum in Concilio Tridentino a viris gravissimis acriter impugnata esset potestas Ecclesiae statuendi formam quandam solemnitatis-substantialem in celebrando matrimonio christiano, ea inprimis difficultas mota est, quod Ecclesia careat directa et immediata potestate in actus humanos. Quae ratio videbatur non paucis adeo firma, ut putarent, Ecclesiam tantum posse irritare matrimonia inhabilitando personas contrahentes, non autem annullando immediate contractum matrimonialem. At dubitari nequit, quin Ecclesia utroque modo irritandi in forma substantiali statuenda uti *potuerit* et *de facto* in cap. Tametsi Concilii Trid. usa sit. Cfr. Sánchez, De matr. 1. III, disp. 4, n. 1, 2, 3, 5. Qui auctor difficultati motae recte respondet 1. c. n. 10, ad tert. arg.: « Quamvis enim Ecclesia *non* habeat potestatem, circa actus humanos, quantum ad *substantiam* actus eliciti, id est ad cogendam voluntatem ut velit vel nolit, habet tamen quantum ad illorum *legitimitatem,* cum possit ex iustis causis statuere, ut talis actus non sit *legitimus ac validus* Quare Ecclesia sua potestate efficere nequit, ut propter solum defectum formae, consensus naturalis, vere et proprie datus desit, sed tantum illud efficere valet, ut consensus naturalis

non sit iuridice *efficax* ad producendum vinculum matrimoniale. Distinctio igitur inter verum consensum naturalem, qui propter impedimentum iuris ecclesiastici effectum vinculi matrimonialis non producit, et consensum naturalem in se validum et simul efficacem atque legitimum est omnino retinenda, ut solidum habeatur fundamentum ad explicandam sanationem matrimonii in radice. Recte enim scribit Feye 1. c. n. 82: « Quando autem impedimentum est iuris ecclesiastici, nullum quidem effectum habet *consensus naturalis, dum praestatur,* sed *potest si perseveret,* effectum habere postea, quando per sanationem in radice tollitur impedimentum ». Cfr. quoque eundem Feye 1. c. n. 761, 766. Yerumtamen haec ad superabundantiam dicta sunt. Huiusmodi enim disquisitiones, ad quas patronus dilapsus est, non videntur spectare ad rem.

Deinde impugnat patronus argumenta, quae ex utilitate petita sunt, ad comprobandum usum delegationum generalium ratione personarum. Qua in re profecto imprimis audiendi sunt viri in arte periti i. e. in cura animarum magnarum illarum civitatum.

Sit praeclarissimus patronus actricis lumen et ornamentum advocatorum in Urbe, at in in hisce rebus ipsi propria experientia deest et obstat peremptorium iudicium trium Archiepiscoporum sci. Coloniensis, Cameracensis, Mechliniensis, quibus alii facile addi possent, obstat iudicium et praxis optimorum parochorum, votum et sententia praeclarissimorum canonistarum, qui in causa Coloniensi iam fuerunt allegati. Hinc dubium existere nequit, quin praesumptio validissima sit contra patronum. Cui rationi accedit, quod haec ipsa causa Ioannae ad oculos demonstret utilitatem huius praxis ad amputandas lites et frivolas impugnationes vinculi matrimonialis. Cur enim patronus tanto apparatu aggreditur delegationes generales in parochiis Bruxellensibus? Quia omnem ipsius intentionem, obtinendi dissolutionem matrimonii Ioannae, elidunt; lites amputant atque declarationes nullitatis nimis faciles impediunt.

Nam omnes illae difficiles quaestiones de domicilio vel quasi domicilio in magnis civitatibus ob frequentes transmigrationes in dies crescentes facile removentur, atque de matrimonii validitate, ex *publica* celebratione, sine difficultate constat. Quare mirum non est, quod pro America septentrionali S. C. Inq. 6 Maii 1886 rescripserit, habitationem per spatium saltem unius integri mensis sufficere, ut quis ibidem quasi domicilium in ordine ad matrimonium habere censeatur, « *quin inquisitio facienda sit de animo* ^'.permanendi per maiorem anni partem ». Factum enim habitationis est mere externum, publicum, facile demonstrandum ; at intentio illa multo difficilius probatur, et consequenter difficilius patet de quasi domicilio. Ita in nostro casu *factum* publicae celebrationis matrimonii facile constat, neque valor matrimonii pendet a difficilibus quaestionibus.

Quod si patronus praxim Bruxellensem impugnat, quod sese ad eos extendat, qui mala fide agant, non ad bona fide errantes, tota ipsius argumentatio laborat *errore facti.* Nam quemadmodum ex novis actis Mechliniensibus constat, praxis Bruxellensis sese etiam ad eos extendit, qui *bona fide errarunt,* ut supra iam demonstratum est per allegationem dispositionum testium.

Ut desperatam suam causam iuvet, patronus actricis tandem ad eam pervenit probationem, quod conditiones in causa Coloniensi requisitae desint in praxi Bruxellensi. Quae argumentatio patroni laborat duplici gravissimo vitio. Non enim satis attendit, decisionem Coloniensem *duplicem habere partem* sci. unam, quae refertur *ad praeteritum.,* alteram quae respicit tempus *futurum.* Iam in priore parte declaratum est, non constare de nullitate matrimoniorum, quae secundum antiquam illam praxim Aquisgranensem et Coloniensem fuerunt celebrata. At antiqua illa praxis Aquisgranensis et Coloniensis nequaquam habuit omnes illas conditiones, quae in secunda parte decisionis in causa Coloniensi datae ex mente Emorum Cardinalium S. C. C. adduntur; ideoque quoad substantiam fuit eadem atque praxis

Bruxellensis. Ergo eadem quoque danda est decisio quoad matrimonium Ioannae cum Georgio sci. non constare de nullitate. Nimis enim absurdum est, ut matrimonium anno 1884 celebratum in suburbio Bruxellensi ex delegatione generali ratione personarum a. 1895 a S. C. C. declaretur nullum et irritum, cum eadem S. C. C. a. 1893 declarasset *non constare de nullitate matrimoniorum,* quae in civitate Aquisgranensi i. e. in ipsis finibus Belgii sita, secundum eandem praxim et eodem iure Tridentino, ibidem vigente fuerunt contracta. .

Alter error in argumentatione patroni in hoc consistit, quod absque omni solido fundamento teneat, conditiones ab Emis Patribus in « mente » appositas pro *futuro* tempore, esse conditiones sine qua non requisitas ad *validam* celebrationem matrimoniorum secundum praxim Coloniensem sive « mentem » sese habere ad instar *clausulae irritantis.*

Vix credidissem, talem interpretationem illius « mentis » fieri posse, nisi propriis oculis eam vidissem. Quae interpretatio, ut iam patet ex praecedentibus nullius est momenti ad definiendam causam nullitatis matrimonii Ioannae a. 1884 celebrati : nam lex vel clausula irritans a. 1893 stabilita etiam generaliter pro tota Ecclesia, non potest afficere, ut matrimonium a. 1884 contractum, cum illa clausula nondum existeret, fieret invalidum.

Quod cum nimis evidens sit, non multis argumentis ex theoria de retroactiva vi legum est probandum.

Insuper suppositio patroni etiam pro futuro tempore est falsissima, si quis vel modice causam illam Coloniensem examinet. Tota enim decisio innititur distinctioni factae inter *validitatem* atque *liceitatem* et *convenientiam.* Quaestionem de validitate resolvit prior pars decisionis, quaestio de liceitate et convenientia in « mente » ordinatur.

Porro idem efficitur, si quis verba « mentis » expendant. Statim in exordio mentis dicitur : « Emo. Archiepiscopo Coloniensi scribatur, quod ad vitanda incommoda ex enuntiata praxi, *utcunque* oritura, *opportunum* foret in ea servari *mo-*

*dum* a consultore theologo traditum, sci. ut mutua illa generalis delegatio parochis non *ut permissa* etc. ». Quae verba v. g. « utcunque oritura » adeo sunt temperata, ut ne illiceitatem prioris praxis insinuent, sed hac *opportuna* occasione utuntur Emi. Patres, ut praxim illam in maiorem et perfectiorem ordinem redigant. Porro tantum sermo est de *permissione* in usu iuris, quod parochi per se valide exercere possunt.

Verbum « iniungendum » consultoris theologi ab Emis Patribus mutatum est in verbum benignius « optandum ». Clausula quaedam irritans in toto contextu non occurrit. At irritationes actuum sunt probandae, non tantum asserendae. Quare si iam pridem explorati iuris est, clausulam a S. C. C. in certis causis matrimonialibus appositam: vetito transitu ad alias nuptias absque licentia S. C. C, tantum esse simplicem prohibitionem, non praeceptum irritans, idem asserendum est de « mente » in casu nostro propter unam eandemque rationem; deest enim in utroque casu clausula irritans.

Praeterea liceat illam rationem subiungere. Emi. Patres dignati sunt approbare modum a consultore theologo propositum; hinc ille consultor theologus videtur esse interpres illius modi non plane spernendus. At ipse nunquam intentionem habuit illum modum proponendi ad instar clausulae irritantis. Hinc quamvis bene cognoverit formulas, quibus in iure canonico exprimitur nullitas actuum, ab illis magno cum studio abstinuit.

Nam tota ipsius intentio in modo proponendo eo ferebatur, ut a nimio rigore abstineretur et universum negotium convenienter ordinaretur. Maxime vero curavit, ut in modo adoptando non solum salva esset auctoritas Episcoporum, sed potius augeretur. Quare cum verba modi irritationem non contineant atque ab Emis. Patribus fuerint approbata et in casu allato potius emollita, etiam ex mente Eminentissimorum Patrum ille modus adiectus non habet vim clausulae irritantis.

Tandem aliquando patronus actricis eo progreditur, ut asserat etiam admisso usu Mechliniensi constare de nullitate matrimonii Ioannae, eo quod celebratio matrimonii etiam contra usum Mechliniensem facta sit. Quae assertio tota nititur suppositione praxim Bruxellensem sese non extendisse ad casum erroris, qui bona fide ex parte parochi intercessemi. At ista suppositio, ut evidenter constat ex novis actis Mechliniensibus, est falsissima ergo, everso fundamento, tota machina superaedificata corruit.

Quodsi patronus actricis vult insinuare Reverendum Dnum Dhanis non fuisse in errore, non ipsi contradico ; at non satis attendit, exinde duplicem sequi conclusionem sci. Reverendum Dnum Dhanis, aut iuxta ipsam praxim Bruxellensem illicite egisse, quod in sacerdote adeo probo et prudente plane absonum est, aut cum licentia *speciali* a Reverendo Dno Saegher viva voce data matrimonio Ioannae adstitisse, ut omnes praesumptiones supra allatae demonstrant.

Omnibus igitur documentis et factis et iuribus diligenter excussis, recte concludit defensor vinculi matrimonialis in Curia Mechliniensi : « *Dubium de valore matrimonii coniugum* Ioannae et Georgii *non est* fundatum et *si quis haberet illud ut fundatum,* manet tamen semper, *in dubio standum esse pro valore actus,* nullitatemque pronuntiari non posse, nisi adsit eiusdem moralis certitudo, *quae in casu certe* desideratur ».

Quare ad dubium concordatum : « *An constet de nullitate matrimonii in casu* », omnino respondendum esse censeo : « *Negative* ».

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

## Dubium

*An constet de matrimonii nullitate in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Decembris 1895 censuit respondere : *Negative.*

Ex quibus colliges : I. Mentem Tridentini *Seés, 24, cap. 1, de Reform,* eam fuisse ut consuleret validae celebrationi matrimoniorum, constituendo novam formam substantialem, per quam constaret publice et in foro externo de facto celebrationis matrimonii.

II. Eiusmodi publicam formam celebrationis constituit quia ex clandestinis matrimoniis, propter hominum nequitiam, ortum haberent gravia peccata; dum fieret, ut multi, relicta prima uxore, cum qua clam contraxerant, aliam palam ducerent, et cum ea in perpetuo adulterio viverent.

III. Quapropter si *publice* et in foro *externo constet* de facto celebrationis matrimonii, eius valorem facile non labefactari per subtilitates et argutias interesse habentium, ut nullum renuncie tur.

IV. Agenti contra matrimonii valorem onus incumbere adducendi certa et indubitata argumenta, quibus demonstretur, causam nullitatis adfuisse; ceu si parochus defuerit aut alius de eius mandato per delegatam iurisdictionem, actu celebrationis matrimonii.

V. In themate haud evictum fuisse quod Ecclesiae minister, matrimonio adsistens, iurisdictione careret per particularem aut generalem delegationem collata, in scriptis aut oretenus : ideoque responsum fuisse non constare de nullitate matrimonii.

VI. Moralem certitudinem, quae necessaria est, ut iudicium proferatur exurgere posse etiam ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, dummodo enascatur ex toto circumstantiarum complexu.

VII. Ius parochi, aut Ordinarii alium Sacerdotem sibi substituendi, saltem quoad valorem, relinquitur ex Tridentino terminis iuris communis; a quo nullum paratur obstaculum.

# ANIMADVERSIONES

## IN SUPPLICATIONEM EMI. ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSIS

## *De approbanda praxi delegationum generalium ibidem recepta.*

In praxi illarum delegationum generalium duae quaestiones sedulo videntur distinguendae, sci. *una,* quae refertur ad *formam* delegationes generales concedendi; *altera,* quae refertur ad *ambitum,* intra quem illae delegationes sint approbandae.

### I.

Forma delegationis generalis potest esse *duplex.*

*a)* Etenim delegatio huiusmodi proxime nititur *vera* et *proprie dicta conventione* parochorum, qua alios parochos *eorumque coadiutores ordinarios* delegant in casibus per formulam expressis atque huic conventioni accedit *approbatio* Ordinarii. Quae approbatio Ordinarii potest esse mera confirmatio *conventionis* in forma communi, neque per se ullam importat delegationem singulorum parochorum vel coadiutorum per Episcopum.

*b)* Altera forma delegationum generalium ita introduci potest, ut parochi eiusdem civitatis forte communi consilio supplicationem Ordinario loci porrigant, ut *ipse* omnes et singulos parochos eiusdem civitatis per *ordinationem* sive *legem* episcopalem *generaliter* deleget simulque facultatem concedat alium sacerdotem *subdelegan-^ di. Qua in ordinatione episcopali* accurate definiuntur casus, ad quos delegatio generalis parochorum sese extendit, sive totus illius ambitus bene circumscribitur.

*c)* Altera ista forma, ut patet, in causa Coloniensi a S. C, C. est adoptata atque sine dubio priori formae in praxi Mechliniensi receptae videtur omnino praeferenda.

*d)* Quare inprimis videtur illud statuendum, ut parochis etiam civitatum maiorum simpliciter *prohibeantur* mutuae et generales delegationes in ordine ad matrimonium *inconsulto Ordinario* loci atque sine expressa illius approbatione. Huiusmodi enim quaestio videtur esse veluti causa quaedam maior dioecesis ideoque absque interventione Episcopi privata auctoritate parochorum non est expedienda.

*e)* Quae prohibitio tameii nequaquam videtur danda per modum *legis irritantis,* sed simpliciter prohibentis.

Nam secus novum quoddam introduceretur impedimentum dirimens, sive lex Tridentina irritans contra clandestina matrimonia lata *extenderetur* ad casus, qui huc usque iure Tridentino quoad *valorem* actuum certe non fuerunt comprehensi, ut patet ex textu Tridentino atque ex decisionibus S. C. C. in caus. Coloniensi allatis, in quibus S. C. C. certas delegationes licitas non habuit, at irritas esse non declaravit.

Nostra aetate nulla videtur posse afferri ratio, cur a mitiori praxi ad maiorem rigorem transeatur. Certe in Concilio Vaticano omnia Episcoporum postulata eo dirigebantur, ut imminuerentur impedimenta matrimonii atque speciatim a compluribus Ep. propter difficultates modernas de domicilio saltem modificatio impedimenti clandestinitatis postulabatur.

Denique etiam illud videtur notandum, S. C. C. absque *speciali* approbatione SSmi Domini ad huiusmodi intepretationem *extensivam* Concilii Tridentini sive ad *novam* legem irritantem condendam non esse competentem. Scopus autem Concilii Tridentini extensionem omnino non exigit, quoniam semper per actum vere *publicum* facile constat de *facto* celebrationis matrimonii.

*f)* Praeterea ex sese *conventio* videtur esse minus conveniens forma ad introducendam illam delegationem. Nam ut constat ex causa Bruxellensi huiusmodi *conventiones* a parochis in praxi facile possunt restringi vel extendi, atque ita oritur iuris incertitudo summopere vitanda. Porro fieri potest, ut parochus novus delegationem illam non det aut pertinaciter limitet. Quo in casu iterum multa oriuntur incommoda atque non pauci casus incerti.

*g)* Quare delegatio per ordinationem Episcopi facta cum potestate subdelegandi est omnino praeferenda. Ita enim parochi delegantur *a iure* sive *ex lege;* sed *lex* est multo stabilior et certior quam *conventio.* Porro si Episcopus dat facultatem *subdelegandi* una ex parte parochi non inutiliter restringuntur ad suos coadiutores et ex altera parte delegatio ultra terminos necessitatis non extenditur. Nam etiam in Belgio ex communiter contingentibus *parochus* solet assistere matrimoniis atque *vicarii* parochiales tantum ex *speciali* delegatione parochi. Nulla apparet ratio, ob quam in laudabili praxi Belgica non nimium extendendi iura

Vicariorum parochialium aliquid immutetur.

II.

*a)* Quoad *ambitum* delegationis in dioecesi *Mechliniensi* approbandae, certe nihil obstat, quominus saltem eodem modo approbetur atque in archidioecesibus Coloniensi et Cameracensi. Nam saltem eaedem sunt rationes in favorem archidioecesis Mechliniensis.

*b)* At in supplicatione Emi Archiepiscopi Mechliniensis evidenter petitur approbatio delegationis generalis *ultra terminos* in causa Coloniensi admissos. Neque negari potest S. C. C. in archidioecesi Cameracensi, ubi similis praxis delegandi vigebat multo *magis extensa* quam Coloniae, decisionem in causa Coloniensi tanquam responsum transmisisse.

*c)* Verumtamen aeque certum est ex natura rei delegationem illam posse concedi ultra terminos in causa Coloniensi admissos, si specialia adiuncta id suadeant. Iam omnino admittendum est circumstantias in Belgio esse difficiliores, populum laborare confusione ex diversis illis domiciliis civilibus et canonicis, testibus Decanis et parochis Antverpiensibus et Bruxellensibus *quamplurima* matrimonia sine tali latiore delegatione aut invalide contrahuntur aut in forma canonica et in facie Ecclesiae omnino non contrahuntur.

*Conclusio*

Quare quoad *formam* etiam pro archidioecesi Mechliniensi videtur praeferenda forma Coloniensis sci. non per *conventionem* parochorum, sed per *ordinationem* Episcopi hoc negotium delegationum est definienda. Quoad *ambitum* delegationum, attentis specialibus circumstantiis videtur posse dari approbatio praxi Mechliniensi, dummodo ab Emo Archiepiscopo in sua ordinatione pro maioribus civitatibus tantum publicanda, ambitus delegationis iuxta supplicationis tenorem accurate circumscribatur, atque expresse parochis prohibeatur, ne ultra casus necessitatis, in ordinatione statutos arbitrarie et illicite delegationes extendant.

# EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

## NANCEYEN.

### EXEMPTIONIS

*Die 27 Martii 1896.*

COMPENDIUM FACTI. Ad reducendas ad rectum virtutis tramitem lapsas puellas et ad protegendas periclitantes, Rosa Virginia Pelletier, postea Soror Maria a S. Euphrasia, Congregationem Sororum cum votis simplicibus a Bono Pastore nuncupatam fundavit an. 1835 cum domo Matrice in civitate Andegavensi. Huiusmodi Institutum, dependens a Superiorissa generali, in praefata domo residente, et quod suas Constitutiones a S. Congñe EE. et Regul. approbatas habuit, brevi floruit et dilatatum est fere per totum orbem, opere et solertia praesertim piae Fundatricis, quae Generalem obtinuit Praefecturam usque ad annum 1868, quo diem ipsa vidit supremum.

Inter domos quae specialem sollicitudinem piae Institutricis promeruerunt, illa profecto accensenda est quae in civitate Nanceyensi usque ab an. 1835 erecta fuit. Haec enim, superata oppositione auctoritatis ecclesiasticae localis, quae ipsius dependentiam a domo-Matrice Andegavensi renuebat, et aliis passim enatis difficultatibus, ita Deo adiuvante prospere crevit, ut ultimis temporibus necesse fuerit aedificium novis constructionibus ampliare.

Haec nova opera actuali Episcopo Nanceyensi occasionem praebuerunt tria decreta contra sorores praedictas emanandi: in horum primo sub die 19 Feb. 1894, operum suspensione imposita, Episcopus iubebat sorores exhibere tum plantam graphicam novarum constructionum, tum libros rationum redituum domus et expensarum in iam factis operibus, exigens deinde syngrapham a Superiorissa locali subscriptam et Generalissae approbatione munitam, in qua designata esset

summa pecuniae a Conservatorio egressuris puellis cum supellectili tradendae : in aliis duobus decretis sub die 19 Martii successivi Episcopus, adhaerens Const. Greg. XV *Inscrutabili* an. 1622 et statutis dioecesanis circa Congregationes religiosas feminarum, adstringebat memoratam Superiorissam ad tradendos pro examine Commissioni, ab Episcopo deputatae libros administrationis, regesta, libros computorum, et insuper ad exhibendum intra 5 dies elenchum puellarum ingressarum et egressarum a die 1 Ian. 1893 et ad docendum quam pecuniae summam hae in suo egressu habuissent.

Contra huiusmodi Episcopi agendi rationem Sorores per suum Emum Protectorem ad S. Congregationem querelas detulerunt, asserentes quod Episcopus iam erat edoctus de novis constructionibus et expensis factis et quod finis huius postulationis seu vexationis erat novam Sororibus imponere obligationem ; nempe eas cogere ad determinatam pecuniae summam puellis poenitentibus, ab Instituto egressuris, relinquendam, quam obligationem absque gravi praeiudicio, imo ruina Congñis assumere nequibant.

Huiusmodi recursus pro informatione et voto ablegatus est Episcopo Nanceyensi, qui in Uteris responsi vis diei 31 Martii 1894 plura contra sorores adduxit et illud praecipue quod hae pecuniam Congñis dilapidarent, dum enim Superiorissa edixerat pro novis constructionibus summam libel. 160,000 sufficientem evadere, ex documentis scatebat de facto libel. 300,000 expensas fuisse; et interea, subdebat Episcopus in hisce Uteris, eleemosynae pauperibus denegantur, puellis egressuris nulla pecuniae summa datur pro honesta earum collocatione, et in Conservatorio potius quam pietati et morali puellarum educationi, tantum pecuniae comparandae intenditur.

Hisce Uteris acceptis et rebus sedulo pensatis S. Congregatio die 27 April. 1894 sequens edidit rescriptum: « *Scribatur Episcopo Nanceyen. ad mentem: mens est... Quoad onus Monialibus impositum administrationis libros Ordinario exhibendi, non posse enunciatas Moniales obstringi*

*ad huiusmodi libros exhibendos, ex eo quod singula Monasteria quolibet anno respectivarum domorum Superiorissae generali rationes reddunt, quae postquam ab Ordinario domus principis approbatae fuerint, statis temporibus a Constitutionibus praef xis ad S. C. Episc, et Regular, transmittuntur. Quo vero ad Superiorissae Monasterii Nanceyen. ac Superiorissae Provincialis remotionem, Episcopi votis annui non posse; cum enim agatur de re, quae internum regimen respicit, ad petitam remotionem procedi nequit, quin inquisitio formalis super earumdem agendi ratione praecedat. Nec aliter sentiendum esse de obligatione Monialibus imponenda, tradendi nempe cum supellectili aliquam pecuniae summam orphanis et aliis puellis e Monasterio egressuris ; agitur enim de onere ad quod obligari nequeunt; cum neque per Constitutiones, neque per consuetudinem teneantur. »*

Communicato relato rescripto Episcopus non acquievit, sed instetit, ut ad normam supra citatae Bullae Gregorianae et aliarum decisionum, iterum ad trutinam in Congñe generali revocarentur quaestiones per dictum rescriptum iam resolutae, ipsum praesertim impugnans circa denegatum ius sibi ostendendi libros administrationis ex parte sororum et novam introductam praxim quae plura inconvenientia parit : quoad assignationem seu dotationem puellis egressuris faciendam, Episcopus ait, nedum a principiis Christianae charitatis, sed ab ipsa iustitia id praecipi.

Hisce habitis observationibus, S. Congregatio censuit morem gerere Episcopi circa propositionem causae in generalibus comitiis per sequens rescriptum : « *Quod attinet exhibitionem librorum administrationis et rationum redditionem praxis haec est; ut scilicet quaelibet Superiorissa in singulis annis rationes respectivae domus non alii quam Superiorissae Generali reddere teneatur ; quae ab Ordinario domus principis approbatae cum fuerint, ad hanc S. C. EE. RR. quolibet triennio transmittendae sunt; quin huiusmodi praxim infirmare vel mutare valeant exempla et auctoritates*

*ab Amplitudine tua in contrarium adducta; haec siquidem, uti obiter legenti patent, Monasteria Monialium votorum solemnium respiciunt, quae authonoma sunt et ab invicem independentia ; non vero recentiora instituta, quae Superiorissam generalem et domum principem habent. Etenim quoad haec Instituta ea, quae S. C. per epistolam diei 6 Maii Amplitudini tuae significavit, praescripta sunt_____Ob rationes in praecedenti epistola allatas, S. C. admittere nequit principium, ab Amplitudine tua propugnatum, scilicet Moniales teneri or fanis aliisque puellis e pia domo egressuris, una cum suppellectili aliquam pecuniae summam titulo dotis suppeditare; admisso enim huiusmodi principio puellae omnes ius sibi arrogare praesumerent. Verumtamen si mox exposita non arrident, et Amplitudo tua in proposito persistit, per epistolam diei 8 Iunii expresso, ut nempe controversia in plenariis Emorum Patrum comitiis discutienda proponatur, grave ne sit S¡ C. hac super re certiorem reddere ».*

## Disceptatio Synoptica

EPISCOPI DEFENSIO. Episcopi patronus in tres partes suam orationem dispescit. In harum prima contendit Instituta votorum simplicium semper subiecta fuisse Episcopis loci in quo extabant, etiam quoad bonorum administrationem. Distinguit duas epochas, idest ante et post perturbationem gallicam : quoad primam adnotat, quod, ut ut per Constit. S. Pii V *Circa, Pastoralis* haec instituta evanescere debuissent, tamen de facto tolerata sunt, cum conditione tamen plenae dependentiae ab Episcopis localibus, etiam quoad internum regimen, ac si ageretur de institutis dioecesanis. Id scatere ait ex Instit. eccles. XXIX num. 13 Bened. XIV et ex percelebri eius Bulla *Quamvis Iusto,* ubi signanter quoad virgines Anglicanas institutum votorum simplicium docet quod - *sint iurisdictioni Ordinariae Episcoporum subditae, in quorum dioecesibus sunt.* - Has autem expressiones importare in Episcopo ius vigilantiae super adminisirationem bonorum nedum tradi a *Reinfestuel Ius canon. univ.*

*lib. III. tit. 36. § 5. et a Fagliano in cap. 4 de Relig, domib. § 31,* sed etiam erui sustinet ex eo quod Episcopus huiusmodi iure potiatur etiam quoad instituta a sua iurisdictione exempta ad disposita per *Conc. Trid. in sess. 22 cap. 9 de Ref or. et per Bullam Gregorianam Inscrutabili.*

Quin id repeti possit ex facto quod haec Instituta generalem Antistitam non haberent, nam, omissis aliis exemplis ad hoc refutandum patronus profert exemplum nuper relati Instituti Virginum Anglicanarum, quae quamvis haberent Superiorissam generalem, tamen, hoc non obstante, Pontifex expresse declarat in memorata Bulla, per hoc nullimode derogatum fuisse Episcoporum iurisdictioni in singulas domos.

Postea patronus digrediens ad secundam epocham nempe post perturbationem Gallicam, animadvertit S. Sedem semper caute et cum haesitatione processisse in approbatione Institutorum votorum simplicium, et in concessione Superiorissae generalis, et quando id peregit, continuo integrum voluisse ius Episcoporum localium circa vigilantiam in administratione bonorum Instituti et circa huius subiectionem eorum iurisdictioni.

Probat id auctoritate Lucidi *de visitatione SS. LL. vol. 2. cap. 5 art. 4 § 355 et 360* et varia adducit exempla ex quibus constat quod decretum laudis vel approbatio novi Instituti facta fuit cum clausula - *salva omnimoda iurisdictione Antistitum localium.* Haec clausula apposita fuit in approbatione Instituti Boni Pastoris et dein huius intrinseca constitutio a S. Sede assumpta et prolata fuit tamquam exemplar subiectionis locorum Ordinariis pro aliis Institutis, uti colligi dicit ex Bizzarri *Collect, pag. 776.* Quin imo, addit patronus, in nonnullorum Institutorum approbatione uti in illo filiarum S. Annae expresse additum fuit *per hoc nullimode derogatum fuisse tutelae quam ss. Canones tribuunt Episcopis super bonis temporalibus respectivarum domorum.*

Proinde concludit, principium a S. Sede admissum hoc

fuisse : nempe excludere Episcopum Domus Matricis a quacumque ingerentia in institutis aliarum dioecesum et illi solum servare ceu Delegato Apostolico praesidentiam in Capitulis generalibus.

Tandem ad evincendum, subiectionem respectivarum domorum Episcopis localibus quoad administrationem bonorum usque adhuc vigere, plurium canonistarum doctrinam refert *(Lucidi I. cit. art. 6 § 428-29; Santi Praelect. iur. can. ad tit. $6 Hb. HU De Angelis etc.)* contendens nullum exemplum adinveniri restrictionis auctoritatis Episcopalis localis circa dicta Instituta. E contra ex recenti approbatione cuiusdam Instituti et ex nuperrima decisione S. Congñis EE. et RR. a S. Pontifice approbata, principium dependentiae Institutorum votorum simplicium ab Ordinariis localibus omnino sancitum fuisse : hinc deducit praxim invocatam in relato Rescripto S. Congñis sub die 5 Maii 1894, ceu novam et nunc primitus introductam censendam esse proindeque reiiciendam.

In secunda parte suae allegationis Episcopi patronus ostendere sategit incommoda ex citato rescripto provenientia, et cautelas seu fraena in ipso statuta; interventus nempe Episcopi Domus-Matris et approbationis triennalis S. Congregationis evadere penitus insufficientia. Sane cum respectivae domus maxime sint dissitae et ab Episcopo domus-Matris et potiori iure a S. Congñe, haec distantia efficit ut irrepentes abusus in administratione, sive circa expensas ordinarias infra annum, sive circa extraordinarias, neque praeveniri neque detegi aut corrigi valeant, aut detectae sontes puniri: ad hoc enim obtinendum requireretur praesentia Episcopi Domus-Matris in respectivis institutis, quod cum impossibile evadat, necesse est ut tutela administrationis singularum domorum relinquatur Episcopis localibus.

Quin aliquid suffragetur quod Episcopus Domus-Matris praefatos abusus praecavere posset utendo opera Episcoporum localium ; reponit enim patronus, quod hoc sistema esset nimis longum et parum conveniens pro Episcopis, localibus ; et dein in citata hypothesi, vel Episcopus Domus-

Matris aliorum Episcoporum sententiam sequitur, et tunc idem est ac in manu ipsorum relinquere tutelam domorum, vel non sequitur, et tunc lites et discordias exoriri necesse est.

Tandem patronus refutat, nixus auctoritate Lucidi, supra relati, obiectionem, nempe quod dependentia singularum domorum ab Episcopis localibus in administratione bonorum evellat unitatem Instituti et enumerat iura quae secumfert ab eo defensa tutela episcopalis.

Ad tertiam et ultimam partem suae allegationis deveniens patronus propugnat, quod Institutum Boni Pastoris in civitate Nanceyensi tenetur puellas ab eo egressuras et honeste collocare et congruam suppellectilem cum determinata pecuniae summa eis tradere. Quoad primum dicit liquido scatere ex Constitutionibus Instituti ibi - *egredientes puellae vel tradentur in manibus parentum, vel honeste collocabuntur, vel matrimonio iungentur quando propitia sese obtulerit occasio.*

Qv\oad alterum patronus sustinet Institutum obligatum manere ad praestationem pecuniae cum congrua supellectili ex triplici titulo: I° ex titulo charitatis christianae,quae exigit ut egressis puellis in earum inopia succurratur; 2° ex titulo iusti salarii, quidquid enim Institutum Nanceyense lucratur, provenit ex labore puellarum hospitio receptarum; 3° ratione usus vigentis in Instituto iuxta confessionem Antistitae Generalis, a qua-certe eximi non potest Communitas Nanceyensis quae in splendida aedificia plus quam quinque centena libellarum millia sumptuose expendit.

IURA SORORUM BONI PASTORIS. EX adverso Sorores mordicus obsistunt partis contrariae praetentionibus, sustinentes neque subiectas esse Ordinario dioecesano quoad bonorum administrationem, neque teneri puellas in earum egressu honeste collocare eisque congruam supellectilem cum determinata pecuniae summa tradere.

jEt quoad primum ipsae respuunt aequivocationem, in quam dicunt incidisse adversae- partis patronum, applicando

Institutis votorum simplicium ea iuris capita, quae expresse statuta sunt pro Monialibus votorum solemnium et clausurae papali subiectis; quae differentia inter simplicem religiosam et Monialem est tam patula res, ut neque ipsum vulgus fugiat, quamvis iuris canonici ignarum. Et reapse, pergunt Sorores, si horum duorum entium natura perpendatur, cito apparet maxima inter se differentia. Moniales vi votorum solemnium stricte spectant ad statum religiosum, habent regulas Ordinum primitivorum, subduntur rigori ss. canonum circa proprietatis abdicationem et clausuram papalem et communicant, iuxta earum capacitatem, de privilegiis Ordinum religiosorum. E contra Sorores votorum simplicium, attenta horum non solemnitate reguntur *iure novo* per quod antiquus rigor ss. canonum temperatur ; hinc conservant dominium radicale bonorum, subduntur clausurae tantum episcopali et ordinario solum *passivae,* et habent generalitium regimen : et quamvis usque a medio saeculo habeant approbationem apostolicam in *forma* simpliciter *communi* et sint sub directa S. Sedis tutela, attenta tamen earum incompleta natura quoad statum religiosum, participare non valent de privilegiis a *iure* Ordinibus religiosis concessis.

Ex praemissis deducunt, textus iuris ex adverso allegatos, ad reclamandam vigilantiam in administratione bonorum, expresse emanatos pro Monialibus votorum solemnium, aptari non posse Institutis votorum simplicium quin incurratur in *iuris corruptelam.* Et quod reapse non aptantur Institutis votorum simplicium confirmant I°. Ex impossibilitate ex parte S. Sedis hos actus emanandi pro dictis Institutis; 2° ex causa finali quae has dispositiones determinavit ; et 3° ex incompatibilitate praescriptionum cum potestate dominativa horum Institutorum.

Expendentes primum Bullam Greg. *XV Inscrutabili* datam sub die 5 Feb. 1622 carpunt adversum patronum' deducentem ex facto quod in Ipsa nulla distinctio fit inter instituta primi generis et Communitatem votorum simplicium

cum Superiorissa generali, etiam huic applicari debere; huic distinctioni, reponunt Sorores, locus fieri nequibat ea simplici ratione, quod praefata Communitas tunc non aderat. Antiquior enim Institutio votorum simplicium est illa filiarum S. Vincentii de Paulis ab Episcopis approbata an. 1633 et a Clem. X. recognita an. 1668. Sed dato et non concesso quod huiusmodi Instituta, etiam tunc existèrent, praefata Bulla ipsis extendi non potest, quia Bulla loquens de uno Instituto, evidenter alterum diversae naturae excludebat et scitum quod *a diversis non fit illatio.*

Ulterius notant sorores, quod S. Sedes in approbatione Constitutionum Institutorum votorum simplicium, usque ad medietatem huius saeculi semper apponere consuevit clausulam - *Non intendimus tamen Conservatorium approbare* -. Iam vero teste Bened. XIV haec clausula semper refertur ad conservatorium vel Monasterium mulierum *sine clausura viventium;* hinc nisi per absurdum Bulla Gregoriana, cuius finis erat providere *custodiae diligentissimae* clausurae ad praescriptum Bonifacii VIII, Concilii Trid. et Constitut. S. Pii V. *Circa Pastoralis,* invocari potest pro Monasteriis mulierum sine clausura viventium.

Et quod Pontifex unice intenderet providere custodiae clausurae, et hinc solum de Monialibus loqueretur, liquet ex verbis initialibus Bullae *ut Virginum Deo sacrarum Monasteria diligenter custodiantur* - ex reformatione illarum dispositionum, quae ad clausuram referuntur, uti nempe circa Confessores, administrationem bonorum, electiones, ex insertione decretorum Concilii Trid. quoad Moniales, et denique ex praesentia Praelati Regularis in redditione rationum Administrationis Episcopis loci. Iam vero Sorores non fruuntur exemptione Regularium, non habent clausuram papalem, non Praelatos Regulares, et hinc ipsis praefata Bulla applicari nequit.

Neque valet regerere quod applicatio Bullae quoad redditionem rationum administrationis Episcopis localibus, sicut utilis evadit pro Monialibus, ita evaderet pro Sororibus;

nam cum hae post approbationem Episcopi domus-Matris, teneantur redditionem rationum earum administrationis ita approbatam exhibere S. Congregationi, si novae dein revisioni ordinariorum localium subicerentur, eveniente diversitate iudiciorum circa approbationem, nimis essent impeditae in administratione, et sic odiosum gravamen haberent.

Quare iure merito, concludunt Sorores, haec S. Congregatio Episcopo Naneeyensi rescripsit - *Hoc onus Sororibus imponi nequit* -. Secus enim revocandum fuisset *ius novum* pro Institutis votorum simplicium ; ad huius enim iuris tramitem, potestas dominativa seu administrandi bona temporalia, ex *natura rei* ad Communitatem spectans, est una ex functionibus vitalibus ipsius et per canonicam electionem ad formam Constitutionum transfertur in Superiorissam generalem, et haec potestas auferri nequit, quin natura Instituti destruatur. Hinc quamvis in Apostolica approbatione Constitutionum addatur - *salva Ordinariorum iurisdictione iuxta ss. canones* - per hoc non restringitur potestas Superiorissae generalis, siquidem potestas *iurisdictionalis* toto caelo differt *a dominativa*, cum illa circa spiritualia et haec circa temporalia seu administrationem bonorum versetur ; quod confirmatur ex declaratione S. Congregationis Concilii ubi verba Tridentini quoad Monasteria Monialium - *ab Episcopis tamquam Sanctae Sedis delegatis gubernantur* - ait esse intelligenda de regimine spirituali et non temporali. Hoc posito, Sorores pergunt, administratio bonorum in Institutis votorum simplicium competens potestati dominativae Superiorissae generalis necesse est ut libera sit et perfecta, secus finem suum non consequeretur. Sed si haec administratio subiiceretur praescriptionibus Bullae' *Inscrutabili* seu revisioni Episcoporum localium, potestas dominativa Superiorissae generalis pene evanesceret. 1. Quia tot administrationes ab ipsa independentes haberentur, quot essent domus Episcopis localibus subiectae, nempe 160 aut 180 super 200 fundationibus. 2° Quia Superiorissa impediretur disponere de bonis unius Communitatis favore alterius,

vel in bonum generale Instituti pro novis fundationibus; Episcopi enim locales possent iubere, ut reditus a respectiva Communitate non exeant.

Huc oratione perducta, Sorores dicunt, allegationem adversarii iam esse penitus refutatam, cum sit demolita basis, super qua fuit constructa, nempe applicatio Bullae *Inscrutabili;* attamen delibando alia iuris capita ex adverso deducta etiam his respondent.

Quoad Bullam *Quamvis Iusto,* etiam ex ipsa rubrica patere aiunt, emissam fuisse taxative pro Virginibus Anglicanis, et hinc applicari non posse Institutis votorum simplicium in genere. Et quamvis Lucidi in opere citato t. 2. p. 274 eam traducat tamquam fundamentum super quo alia Instituta - *totum aedificium religiosi regiminis possunt extruere,* tamen 1. c. p. 327 addit quod Pontifex S. M. Pius IX - *huic praescriptioni derogatum esse voluit* - et de facto S. O. a pluribus annis recessit ab imponendo supradictam dependentiam, quin imo in nupera approbatione per organum S. C. de Propaganda Fide data Constitutionibus Virginum Anglicanarum, definitive suppressa fuit illa omnimoda dependentia, quam nunc praetendit Episcopus Nanceyensis.

Quoad textus ex adverso prolatos Ciernentinae Const. *Quia contingit* Conc. Trid. cap. 8 sess. 22 et Fagnani in Cap. 4 de Reg. dom., observant quod hi textus taxative referuntur ad hospitalia et loca pia et probabiliter absolute applicari nequeunt ne ipsis quidem Regularibus, stante exceptione in praefata Clementina - *praemissa vero ad hospitalia militarium ordinum aut religiosorum extendi minime volumus.* Eodem calculo contendunt habendas esse decisiones SS. Congñum, quas adversarius profert, quia, ipso fatente, fundantur in Bulla *Inscrutabili,* quae iuxta superius exposita, Institutis votorum simplicium non est applicabilis. Tandem Sorores quoad auctoritates Doctorum exprobrant adversario, quod ipse aequi vocans in falsa applicatione pluries citatae Bullae, referat tantum sibi sententias faventes et sileat de contrariis suo themati.

Post haec Sorores gradum faciunt ad alteram quaestionem, et penitus reiectis accusationibus ex adverso contra ipsas motis, utpote fundatis in testibus vel suspectis, vel colludentibus proindeque nulla fide dignis, pro virili parte evincere obnituntur egredientes ex Instituto puellas, neque honeste collocare, neque eis suppellectilem cum determinata pecuniae summa subministrare teneri.

I°. Non adstringi, dicunt, titulo charitatis, quia charitatis officium ex earum Instituto est tantum in hospitando puellas, unde hospitio receptae puellae, *hospitatae* nuncupantur : ex hoc autem charitativo officio nulla alia obligatio gigni valet ; 'sicuti piae personae dantes eleemosynam cogi nequeunt post factam eleemosynam ad honeste collocandos pauperes, qui eam acceperunt, et sicuti hospitalia aegros convalescentes dimittentia, in eorum egressu ex valetudinario adstringi nequeunt ad eis pecuniam cum congrua suppellectili tradendam, vel ad honestam positionem procurandam.

Neque 2. dicunt, obligari possunt ex Constitutionibus sive antiquis, sive novis, quia hae circa hunc charitatis ordinem nihil praescribunt. Quin imo haec nova obligatio cum Instituti statu, quod anno 1893 recensebat plus quam 35885 personas et 182 Communitates distributas per totum fere orbem in 29 Provincias, prorsus evaderet incompossibilis : quamvis enim, attenta Moderatricum solertia in respectivis domibus reditus pro earum manuten tione sufficientes sint, tamen si etiam consulendum foret honestae collocationi receptarum puellarum in earum egressu, quae anno 1893 in hospitio 20,000 numerabantur, nemo non videt quod status oeconomicus Instituti, brevi ad ruinam vergeret.

His utrinque compendiatim relatis, enodanda proposita fuere sequentia

## Dubia

I. *An et quomodo Communitas Boni Pastoris Nanceyensis subiici debeat Ordinario Dioecesano quoad bonorum administrationem 't*

II. *An et quomodo Sorores Boni'Pastoris Instituti N^ranceyensis, teneantur honeste collocare hospitatas puellas in earum egressu ex Conservatorio, eisque cum supellectili congruam pecuniae summam tradere?*

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regular, re discussa sub die 27 Martii 1896 respondit:

Ad I. *Negative in omnibus.*

Ad IL *Non teneri.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. maximum discrimen intercedere inter Moniales votorum solemnium, et recentem institutionem Sororum votorum simplicium. Illae stricte pertinent ad statum religiosum, sunt subiectae rigori ss. canonum, tum circa abdicationem proprietatis, tum circa observantiam clausurae papalis ; efformant domos inter se autónomas et independentes, et participant pro sua capacitate de privilegiis Ordinum stricte regularium. E contra Sorores lato sensu pertinent ad statum religiosum, retinent radicale dominium bonorum, subduntur tantum clausurae episcopali et ordinario solum passivae, habent generalitium regimen, et per se non communicant de privilegiis Ordinum Regularium.

II. Hinc sequi, quod iuris dispositiones editae pro Institutis votorum solemnium, non semper accommodantur Institutis votorum simplicium, cum sint duo entia diversae naturae : iam vero Const. Greg. XV. *Inscrutabili,* sive ex tempore quo edita fuit, sive ex fine sibi proposito, sive ex citationibus in ea allegatis, evidenter emanata erat pro Monialibus tantum votorum solemnium, et nonnisi iniuria invocari poterat pro Instituto Boni Pastoris.

III. Posita natura diversa horum Institutorum, necesse est, ut etiam diverso iure regantur : proinde sicuti Moniales votorum solemnium subduntur rigori ss. canonum, ita pro Institutis votorum simplicium hoc rigore remisso, *novum ius* est introductum. Administratores bonorum. Monialium tenentur rationem reddere singulis annis Episcopis localibus cum interventu Praelati Regularis ; ex adverso respectiva Sororum Instituta exhibent rationem administrationis non

Episcopis localibus, sed Superiorissae generali, quae postea eam submittit pro approbatione Ordinario Domus Matricis, transmittendam de triennio ad triennium ad S. Sedem : et hoc descendit ex potestate dominativa, una ex functionibus potioribus horum Institutorum, reservata ob Generalitium, regimen praefatae Superiorissae; et sorores quamvis obnoxiae sint locorum Ordinariis quoad iurisdictionem, tamen sunt exemptae quoad bonorum administrationem, domorum gubernium, et internam directionem.

Hic abs re non erit nonnulla *(ex Bizzarri Collectanea in usum Secr. S. Congnis EE. et Reg. edit. 1863)* referre, quae *ius novum* sancivit circa exemptionem Institutorum votorum simplicium ab Ordinariorum iurisdictione, quoad bonorum ipsorum administrationem I°. Innoc. X. in Brevi *Commissi Nobis* sub die 30 Iulii 1647 pro presbyteris Doctrinae Christianae inter privilegia eis concessa, quorum communicationem obtinuit Congregatio SS. Redemptoris, statuit - *quoad bonorum temporalem administrationem, domorum, gubernium, Superiorum electiones* etc. quod *Ordinarii nidlatenus possint sese in iis ingerere aut executiones decretorum . . . nisi in casibus a iure permissis (opere cit. pag. 477).* Casus autem a iure permissi, ut ait praefatus auctor in notis, sunt designati a *Concil. Trid. sess. 6. de Re f or. cap. 7 sess. 7. de Reform, cap. 14. sess. 13 de Ref or. capp. 1. et 5 sess. 25 de Regular.*

*2°.* Bened. XIV in Brevi *Emanavit nuper* sub die 1758 confirmavit resolutionem editam a Commissione Cardinalium, a se deputata ad decidendas nonnullas controversias inter Archiepiscopum Limanum et Patres Congñis Oratorii dictae dioecesis ; et quoad administrationem bonorum confirmavit responsum ad 4. dubium. *An interiores oeconomiae Congnis quoad expensas et computa . . . sint subiectae directioni Episcopi:* ad 4. *Negative in omnibus (op. cit. pag. 481).*

3°. Leo XII Brevi *Cum sicut* diei 30 Iauuarii 1828 (op. cit. pag. 479 in notis) confirmavit resolutiones 'editas in *Messanen, iurisdictionis super domibus Oratorii* et hinc il-

Iam quoad administrationem bonorum ad 3. dubium - *An liceat Archiepiscopo recipere computa administrationis gestae pro aedificatione ecclesiae Ven. Cong. Oratorii, seu potius computa pro quacumque administratione reddenda sint eidem Congregationi in casu :* die 15 Dec. 1826 referente Emo Pacca, *negative in omnibus et amplius* (op. cit. pag. 53).

4°. Greg. XVI sub die 3 Maii 1839 exequi mandavit resolutionem editam in *Pinerolien. quoad exceptionem ab Ordinario* quoad 4. dubium - *An et quomodo Congregatio Oblatorum subiecta, sit iurisdictioni Ordinarii seu an et quomodo Episcopus, tamquam Delegatus S. Sedis, visitationem facere possit.* Die 26 Aprilis 1839 referente Emo Polidori *Affirmative quoad ecclesiam, negative quoad Collegiorum et disciplinae Congnis regimen et administrationem iuxta Const. Innoc.X editam pro Congne Doctrinae Christianae quae incipit* Commissi Nobis *30 Iulii 1647, salvo iure agendi auctoritate delegata iuxta SS. canones (op. cit. pag. 479).*

5°. Alexander VII Cons.fe *commissi nobis* 22 Feb. 1655 pro Lazaristis, Pius VI et Pius VII similibus decretis pro Congregationibus Passionis D. N. I. C. et SSmi Redemptoris, relictis his Institutis sub iurisdictione Ordinariorum, ea declararunt exempta quoad bonorum administrationem (op. cit. pag. 476-77).

Ex hucusque relatis apostolicis dispositionibus, quae potiora votorum simplicium instituta attingunt, ita concludit citatus auctor - *Haec normam praebere possunt, quoad iura Episcoporum in alia Instituta, seu Congnes non exemptas, ab Apostolica Sede approbatas, itisi aliter in respectivis Constitutionibus a S. Sede confirmatis praescriptum fuerit, (op. cit. pag. 482).*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ROMANA. Dubium quoad dies, quibus vetantur Missae in Oratoriis privatis.

Quum die 30 Ianuarii, anno elapso 1895, in conventu Academiae Liturgicae Romanae proposita fuisset quaestio super diebus, quibus non licet Missam celebrari in Oratoriis privatis, atque Academici ac Censores diversimode de ea sensissent, inspectis etiam Decretis ac praxi; hinc Rmus Moderator ipsius Academiae ad Sacram Rituum Congregationem, penes quam eadem quaestio alias agitata fuit, humillime accessit, suo et Academiae nomine postulans sequentis Dubii solutionem; nimirum quinam vere sint solemniores dies, in quibus pro omnibus, peculiare Indultum non habentibus, Missae sunt vetitae, in privatis Oratoriis ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, ac re ma; turo examine perpensa, rescribendum censuit : *Illi per se sunt solemniores in casu, qui describuntur in Caeremoniali Episcoporum Libr. II. Cap. XXXIV, N. 2 et de praecepto servantur.*

Atque ita rescripsit.

Die 10 Aprilis 1896.

CAL CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. R. C. *Secretarius.*

PLACENTINA in HISPANIA. Dubium quoad telam *Nipis* pro albis etc conficiendis.

Iosephus, Magister Scholarum Ecclesiae Chatedralis Placentinae in Hispania, iussit ex tela subtilissima vulgo Nipis, nitiditate tenacità teque linum aemulante et aequante (quamvis colore plerumque inferior sit lino acuratissime dealbato), albas confici. Attente tamen inspecto huius Sacrae Rituum Congregationis Decreto 15 Maii 1819, non est ausus eis uti, quia ex lino vel cannabe non essent confectae. Cum vero dicta tela longe pretiosior sit lino nec materia, ex qua conficitur, ex arboris fructibus, sicut gossypium, proveniat, sed ex ipsius plantae filis, ut linum; et aliunde in laudato huius Congregationis Decreto expresse prohibeatur tantummodo ex gossypio componi, dubitans, utrum ei liceat praedictis albis uti, Sacrorum Rituum Congregationi humiliter subiecit sequentium Dubiorum solutionem, nimirum:

I. Utrum ex tela sive panno, vulgo Nipis, possint confici Corporalia, Pallae, aut saltem Amictus et Mappae?

II. Quatenus negative ad Primum: utrum uti liceat iis confectis?

Et eadem Congregatio, exquisito etiam voto alterius e scientiarum naturalium peritis, reque mature perpensa, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, rescribendum censuit:

*Ad I Negative ad utramque partem.*

*Ad II Affirmative, tantum quoad Albas, Amictus et Mappas, usquedum consumentur.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 13 Augusti 1896.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

L. * S.

A. TRIPEPI *Secretarius.*

# EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM, quo specialiter damnatur n. 85 annalium loigniensium

*Feria IV. die 15 Aprilis 1896.*

Ad caeteros effrénés abusus, quibus damnatum iam conventiculum, apud paroeciam de Loigny in Dioecesi Carnutensi congregatum, proprias visiones, revelationes et prophetias, sed verissime incredibilia deliramenta, in vulgus iactare et praefracte defendere, nec veritati, nec honori sacrae hierarchiae debito parcendo, plures per annos perditissime consueverat, novissime accessit audax facinus, nec oculis credendum, sed numero octogesimo quinto ephemeridis, cui titulus *Les Annales de Loigny* contentum, confictorum, scilicet ex integro actorum, ac si" habita fuerint in consistoriis pontificiis diebus vigesimonono Novembris et secundo Decembris 1895 habitis. Eorum vero actorum summa nempe fuerit oraculum viva Summi Pontificis voce prolatum, quo praedicta ephemeris approbaretur; approbaretur insuper societas, illa quae sibi assumpsit nomen *Des Epouses du Sacré-Coeur de Jésus Pénitent,* eiusdemque societatis opera ; irritaretur etiam interdictio lata ab Ordinario Carnutensi in Mathildem Marchat, quae sibi nomen attribuit Maria lenuefae : restitueretur mulier illa ad sacra tamquam ex iustitia, et praetensae illius visiones uti divinae recognoscerentur.

Licet autem fideles per haec mendacia quominus decipiantur, tum per acta Ordinarii Carnutensis, ab hac Suprema Con-

gregatione probata et confirmata, tum maxime per decretum, quo mendax illa ac impudens libellorum seu annalium loigniensium series iam a die 27 Iunii 1894 proscripta fuit, satis consultum videri possit ; attamen super hac nova fraude decipiendis incautis visum est expedire, ut nova declaratione occurratur.

Sacra igitur haec Suprema S. O. contra haereticam pravitatem Congregatio, de expresso SSmi D. N. Leonis Papae XIII mandato, omnibus et singulis Christifidelibus declarat atque significat, acta consistorii pontificii in recensito libello relata connota omnino esse et commentitia ; atque pro confictis et commentitiis habenda esse praecipit et mandat.

Ad haec, proscriptionem annalium loigniensium, de qua supra, firmam manere; numerum eorundem annalium octogesimum quintum superius memoratum ementita consistoriorum acta cum pluribus aliis reprobatione dignis referentem, prohiberi et esse prohibitum; quaecumque hucusque sive ab Ordinario Carnutensi sive a Sancta Sede in pseudocommunitatem de Loigny decreta fuerunt, rata et firma haberi; mulierem de qua supra a sacramentorum susceptione manere interdictam, reservata Summo Pontifici, praeterquam in mortis articulo eam absolvendi, si poenituerit, potestate ; visiones, revelationes, prophetias loignienses falsas et confictas esse et pro falsis et confictis esse ab unoquoque habendas; fautores in eo mendacii opere, cuiuscumque sexus, conditionis et dignitatis, assentientes, adhaerentes, auxilium quomodocumque aut suffragium ferentes, absolutionis nisi resipuerint, aliorumque sacramentorum recipiendorum esse omnino incapaces.

Atque haec omnia praescriptis modis publicari mandavit.

L. ✠ S.

Ios. MANCINI
S. Rom. et Univ. Inquisitionis *Notarius.*

# EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die 17 Aprilis 1896.

*Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimo rum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, die 14 Iunii 1895, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:*

Eerri Enrico — *La Scuola Criminale positiva* —Conferenza. — Napoli, Enrico Detken Libraio Edit., piazza del Plebiscito 1885.

— *Sociologia Criminale* — Terza edizione completamente rifatta dei nuovi orizzonti del Diritto e della Procedura penale. — Fratelli Bocca Librai. Torino, via Carlo Alberto, 3. 1892.

— *V omicidio-suicidio* — Responsabilità giuridica — Quarta edizione ampliata con nuove aggiunte polemiche, e due tavole grafiche. Torino, Fratelli Bocca Editori, 1895.

— *La teoria dell' imputabilità e la negazione del libero arbitrio.* — Firenze 1878.

— *L'omicidio nelV antropologia criminale* (omicida nato, omicida pazzo) con atlante antropologico-statistico. — Torino, Fratelli Bocca Editori, 1895. — *Prohib. Decr. 6 Decernb. 1895.*

*Los Jesuítas de puertas adentro* — O un barrido hacia afuera, en la Compañia de Jesus. — Barcellona. Tipografìa de Louis Tasso. 1896.

*Culte privé des Mains Divines de Notre Sauveur.* — Decr. S. Off. Fer. IV, 6 Febr. 1896. — Quo prohibentur omnia scripta sive typis edita, sive non; in quibus speciales formulae novae devotionis, etiam sub praetextu quod sint privatae, erga SS. Manus D. N. I. C. quomodolibet proponantur et propagentur.

*Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.*

*Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

*Datum Romae die 19 Aprilis 1896.*

f SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI
EPISCOPUS TUSCULANUS PRAEFECTUS.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI, PROC. GEN. O. P. a Secretis.

Loco ^ Sigilli.

*Die 20 Aprilis 1895. Ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.*

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis Papae XIII ad Episcopos Hungariae.

Insignes Deo aeterno grates tota Hungaria singularibus cum laetitiis agendas iure vos optimo decrevistis. Deo quippe, statori providentissimo et conservatori regnorum, si qua unquam natio, vestra maxime referre debet vim magnam beneficiorum, non pauca iam saecula difficilesque per casus, acceptam : quibus recolendis celebrandisque beneficiis peraptum obvenit tempus, patriae vestrae natali felicissime redeunte. In eo namque estis ut annum numeretis millesimum ex quo maiores illi domicilia sedesque suas istis in regionibus collocaverunt, atque res coepit Hungarica. — Constituta sollemnia nihil dubitamus quin dignum plane exitum honestissimaeque fecundum utilitatis sint habitura. Neque enim esse ullus potest sincera caritate civis, quem non decora tangant communis patriae, et cui non acres admoveat imitandi stimulos avita rerum gestarum gloria publice revocata. Ad haec accessio nobilis fiet ex consentiente suffragio excultarum quotquot sunt gentium, quae gaudia vestra amice consociantes, regnum certe gratulabuntur aptis legibus institutisque conditum, civili prudentia et virtute bellica conservatam, multis egregie factis in hanc provectum diuturnitatem et amplitudinem. — Nobismetipsis tam iucunda accidit faustitas vestra quam quae iucundissima, nec quidquam optatius est quam vobiscum, Venerabiles Fratres, praesentes in populo vestro mente animoque versari. Facit hoc praecipue tum Nostra erga Hungariam catholicam peculiaris propensio et cura, tum vero ipsius in hanc Apostolicam Sedem atque in Nos plane studiosa voluntas, crebris significationibus declarata. Inter cetera, postremis hisce annis frequentes Húngaros Roma vidit, vobis rite ducentibus, ad sepulcra Apostolorum Principum venerabundos; vidimus Nos coram effusos, quum testimonia fidei, obsequii, amoris, communi popularium nomine, exhiberent pulcherrima. Nec defuit eis benevolentia Nostra et opportunae exhortationis alloquium, ut animos in officiis sanctae professionis confirmaremus: quamquam id consulto uberiusque praestitimus nationi universae, litteris ad vos semel atque iterum datis. Nunc autem, quandoquidem commeminisse iuvat qua verecundia et gratia clerus bonique omnes illa paterni animi argumenta acceperint, rursus ad vos,

interpres caritatis Nostrae, haec epistola adveniat; quae, favente Deo, saecularis celebritatis et laetitiam augeat et fructus multiplicet.

In tota rerum serie quarum apud vos commemoratio cultu magnifico apparatur, religionis catholicae ea omnino elucet atque eminet virtus, quae optima est incolumitatis publicae conciliatrix bonorumque omne genus parens vel fautrix in populis. Sane, quod prudentiores vestrarum rerum scriptores aiunt, occupatas istic regiones natio Hungarorum nec diu nec prospere tenuisset, nisi eam doctrina et gratia evangelica, iugo superstitionis exemptam, monendo ac mitigando, ad illa adduxisset, iura gentium vereri, laedere neminem, clementiam induere, colere studia pacis, principibus tamquam Deo subesse, fraternitatem domi iurisque exercere. — Admirabili modo, in GEIZA duce et in primoribus gentis, catholicae fidei apud vos consecrata sunt initia; agente in primis sancto episcopo ADALBERTO, viro apostolicis laboribus et martyrii denique laurea clarissimo. Quae quidem initia tanto praestantiora extiterunt, quanto et tempora et loca periculosius patebant funesto cum Ecclesia romana dissidio ab orientalibus erumpenti. Coepta patris instituit perfecitque STEPHANVS, christianus princeps spectatissimi exempli, divinae in vos benignitatis consiliis magno animi et operae ardore obsecutus. Qui merito gentis vestrae firmamentum praecipuum ac lumen ideo salutatur, quod eam, religionis verae beneficio, non modo ad sempiternae adeptionem salutis, summum bonorum omnium, instruxit, sed ceteris etiam expetendarum rerum praesidiis auxit et nobilita vit. Eo ipso principe, qui pietate excelsa sceptrum suum augustae Dei Matri et beatissimo Petro oblatum dedicatumque voluit, inita est inter romanos Pontifices et reges populumque Hungariae ilia studiorum officiorumque vicissitudo, quae a Nobis alias est collaudata. Eiusdem coniunctionis sacratum quasi vinculum ad perpetuitatem fuit corona regia, Christi Servatoris et Apostolorum iconibus distincta, quam Stephano Silvester II decessor Noster dono misit, quum regium ei attribuit nomen, quod apud vos *Christi fidem longe lateque diffuderit (i).* Illud autem est commemoratu dignum, quod simul Hungarorum comprobat in obsequio Petri constantiam, ut scilicet eadem corona varias gravesque temporum procellas salva pertulerit, pristino fulgens

(i) **Clemens** XIII P. **M. in alloc.** *Si qui militari,* **die i od. an.** MDCCLVIII.

honore, perinde semper habita religioseque custodita tamquam regni decus maximum et praesidium.

Eiusmodi auspiciis factum est, ut crescens opibus Hungaria easdem ingressa sit vias quibus populi incedebant christianae Europae adolescentis, et proprium generis ingenium, validum erectumque, eo felicius ad omnem virtutis humanitatisque appulerit laudem. Inde, praeter commoda et ornamenta cetera, haud exiguus provenit hominum numerus, qui sanctitate vitae, doctrina, litteris, artibus, gestis muneribus, semetipsos et patriam verissime illustrarunt. — Atque rem sane optimam ii moliuntur, qui, ut allatum est, talium religionis promeritorum selectam copiam, monumentis ex oblivione et silentio eductis, in lucem per sollemnia ipsa proferendam oculisque exponendam curant. Porro monumenta litterarum, quum vestra, tum ea quibus apostolica Nostra tabularla abundant, summa consensione illud testantur quod permagni interest, praesertim hoc tempore, reputare. Videlicet quales fuerint apud maiores vestros Ecclesiae partes in iure publico sive constituendo sive administrando: eius certe sapientia, disciplina, aequitas, cunctis ordinibus libentissimis, usquequaque influxit. — Civilis praeterea libertatis, pro qua populus vester nunquam destitit propugnare, Pontifices romani tutores vindicesque se, quodcumque illa in periculum ac discrimen vocata est, vel rogati vel ultro praebuerant. Id saepius olim accidit; tunc in primis quum impetus acerrimorum fidei sanctae hostium oportuit refutari. Qua in parte nemo quidem unus non consenserit, clades teterrimas, quae simul plerisque ex occidente populis imminebant, Hungarorum constantia invicta esse depulsas; nulli tamen obscurum est, ad eam eventuum felicitatem decessores Nostros contulisse multum, suppeditata pecunia, missis auxiliis, conciliatis foederibus, praesidio caelesti exorato. Id potissimum praestitit Innocentius XI; cuius perennai nomen, ab utroque clarum insigni facto, liberata nempe circumsedentibus infeste armis Vindobona, et Buda, urbe primaria vestra, post diutinam oppressionem magnifice vindicata. — Item Gregorio XIII immortale in gentem vestram stat meritum. Quum enim et istic, ob studia novarum rerum ex finitimis infusa populis, religio graviter laboraret, saluberrimum ille consilium, quod iam aliis pro nationibus sapienter liberaliterque perfecerat, idem pro Hungaria, tamquam *insigni fit amplo christiani orbis membro,* suscepit. Scilicet collegium vobis in Urbe condidit, quod deinde

Germanico adiungendum censuit, in quo delecti alumni ad doctrinas virtutesque sacerdotio dignas exquisitius instituti, operam ecclesiis vestris fructuosiorem aliquando navarent: id quod non intermissa ubertate evenit, multis etiam eductis qui episcopalem gradum magna laude parique Ecclesiae et civitatis decore tenuerunt.

Isthaec Nos similiaque beneficia quae continua Ecclesiae gratia sunt in genus vestrum profecta, libentes agnovimus non tam esse patriis consignata fastis, quam in animis civium alte manere insculpta. Instar omnium locuples testis est, inde a saeculo quinto decimo, Ioannes ille Hunyades, cuius consilium et fortitudinem nunquam Hungaria non efferet memor: is igitur grate diserteque affirmavit: *Haec patria, nisi stetisset fide, opibus, reor, non fuisset statura:* eodemque regni moderatore, ordines cuncti, communi ad Nicolaum V epistola, professi sunt: *Utcumque sumus, Apostolica maxime gratia enutriti eonsistimus.* Quibus testificationibus tantum abest ut consecutae aetates quidquam ademerint ponderis, ut non minimum potius addicesse, beneficiis auctis, videantur. — Emergitque in Hungaris, quemadmodum id semper magno opere enisi sint, praecipueque sibi duxerint gloriae, ut regnum suum Apostolicae Sedi, tamquam *peculiare et deditissimum,* quam maxime obstrictum tenerent. Huic rei complura quidem ex actis publicis suffragantur; vel litterae a regibus et optimatibus ad Pontifices romanos summa cum pietate perscriptae, vel exempla magnanimae strenuaeque virtutis, quae, ante etiam quam contra irruentes Mahometanorum copias contenderet, suppetias venit Ecclesiae, ad iura eius tutanda ulciscendasve perduellium iniurias. At, ne fusius ea persequamur, satis loquuntur quae multis modis intercessere officia regi Ludovico Magno cum Innocentio VI et Urbano V, plena fidei et observantiae, plena benevolentiae et laudis. Eaque sunt commemorabilia quae Mathias rex Paulo II rescripsit, adhortanti ut nomini catholico, ab Hussitis in Bohemia afflicto, ope valida sub veniret : *Ego me,* inquit, *sanctae romanae Ecclesiae et vestrae Beatitudini, una eum regno meo totum dedicavi. Nihil mihi tam arduum, nihil adeo periculosum Dei in terris Vicarius, immo Deus ipse iubere potest, quod suscipere non pium et salutare existimem, quod non intrepidus aggrediar, praesertim ubi de solidanda fide catholica et de eontundenda perfidia impiorum agitur.... Quibuscumque religionis ho-*

*stibus occurrere opus est, ecce Matthias simul et Hungaria.... Apostolicae Sedi et vestrae Beatitudini devoti manent, aeternumque manebunt.* Nec vero vel regis dictis vel Pontificis expectationi res defuit; manetque posteritati gravissimum documentum. — Huc praeterea spectant, tamquam fidelis admodum voluntatis praemia, eae commendationes non paucae nec mediocres, quibus ab hac Sede Apostolica dignatum est genus vestrum; singulares item honores ac privilegia, quae vestris regibus ab ipsa sunt impertita. Libet autem Nobis, praesentemque celebritatem omnino addecet, illustriorem quamdam paginam excitare ex amplo diplomate, quo Clemens XIII Mariae Theresiae, reginae Hungariae, eique in eodem regno successuris *appellationem Regis Apostolici,* privilegio vel consuetudine inductam, pro potestate confirmavit. Hoc igitur Pontificis praeconio, ut iam patres atque avi, nepotes ipsi fruantur: «.... Florentissimum Hungariae regnum, ad christianae ditionis et gloriae terminos proferendos, vel propter bellicosissimae gentis fortitudinem omnium aptissimum, vel propter locorum naturam opportunissimum adhuc quidem semper habitum est et fuit. Neque vero quisquam ignorat quam multa et quam egregia facinora pro tuenda propagandaque Iesu Christi religione gessit nobilissima Hungarorum gens; quam saepe manus conseruit cum teterrimis hostibus, iisdemque ad communem christianae reipublicae perniciem erumpentibus suo veluti corpore aditum interclusit, maximasque de illis victorias reportavit. Celebrantur ea quidem fama, clarissimisque prodita sunt monumentis litterarum. At silentio nullo modo praeterire possumus Stephanum illum sanctissimum fortissimumque Hungariae principem, cuius memoriam caelestibus honoribus consecratam atque in Sanctorum numero collocatam rite veneramur. Eius autem virtutis, sanctitatis, fortitudinis vestigia extant istis in locis ad laudem Hungarici nominis sempiternam. Neque eius pulcherrima exempla virtutum reliqui in regno successores non sunt perpetuis temporibus imitati. Quamobrem nemini mirum videri debet, si romani Pontificis Hungaricam nationem eiusdemque principes et reges, ob maxima et egregia illorum erga catholicam fidem et romanam Sedem merita, amplissimis semper laudibus ac privilegiis condecoraverint. Quale est illud in primis sane honorificum, quod ante reges, quando prodeunt in publicum, tamquam splendididissimum Apostolatus insigne, Crux praeferatur, idque

ut ostendatur Hungaricam nationem atque eius reges gloriari unice in Cruce D. N. Iesu Christi; atque in eo signo pro catholica fide et dimicare semper et vincere consuevisse» (1).

Iamvero, quamquam tam praeclaris hominum ac rerum recordationibus sollemnia commendari vestra magnisque laetitiae significationibus exornari perpulcrum est, res tamen ipsa suadet ut aliquid spectetur amplius, quod fluxum non sit idemque communi bono solida afferat incrementa. Caput est, ut se respiciat Hungaria: et conscientia nobilitatis religiosissimorum patrum impulsa, nec ignara temporum, ad proposita digna nitatur. Vos nimirum, cuiuscumque ordinis estis, appellat cohortatio Apostoli: *State in fide, viriliter agite et confortamini* (2): eique concinat sane oportet una mens omnium et vox: *Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem* (3); *Non inferamus crimen gloriae nostrae* (4). — Saeculi cursum universe conventibus' dolendum certe, Venerabiles Fratres, homines passim esse, eosque in sinu Ecclesiae nutritos, qui religionem catholicam neque opinione neque actione vitae proinde colant ac digna est, paremve propemodum faciant cuilibet religionis formae, atque etiam suspectam invisamque habeant. Vix autem attinet dicere quale illud sit, praestantissimam hanc patrum hereditatem degeneri sensu repudiare, et quam ingrati sit improvi dique animi beneficia eius, tum diu parta agnoscere nolle, tum in posterum expectanda negligere. Siquidem in sapientia institutisque catholicis virtus et efficientia inest, prout initio monuimus, mira prorsus et multiplex ad humanae societatis bonum; neque ea cum aetatibus exarescit, sed eadem semper et vivida, novis item temporibus, modo ne opprimatur, constanter est profutura. — Quod propius attingit populum vestrum, iam ei Nos de religione, per superiores litteras adsimilesque curas, satis consuluisse existimamus, aeque periculis denunciatis ab illa prohibendis, aeque adiumentis propositis quae ad eius libertatem dignitatemque aptius conducerent. Et quoniam a re religiosa res civilis dissociari nequit, huic etiam curationem opemque afferre, quod plane cohaeret cum Apostolico officio, vehementer studuimus. Nam quae Nobis visum est convenienter temporibus vestris identidem

(1) Epist. *Quum multa alia* die xix aug. an. MDCCLVIII.
(2) I. Cor. xvi, 13.
(3) Hebr. x, 23.
(4) I. Machab, ix, 10.

suadere et praescribere, ea non exiguam partem, ut probe meministis, publicae quoque saluti ac prosperitati vertebant. Quod si, hoc ipso in genere, coniuncta bonorum studia impensius quotidie consiliis monitisque Nostris sint responsura, quidni eam spem amplectantur quae ex hac saeculari memoria laetior efflorescit et quasi praelucet ad communium votorum exitum maturandum? Nemini sane civi optimo non id in votis fuerit, ut, sublatis dissentiendi causis, suus Ecclesiae ne abnuatur honos, ex quo pariter civitati luculentius niteat suus, in foedere ductique avitae religionis. Inde flet ut auctoritas potestatum, mutua ordinum officia, institutio adolescentiae, talia plura recte se tueantur in veritate, in iustitia, in caritate: his enim maxime fundamentis praesidiisque civitates nituntur ac vigent. — Quae complexio bonorum ut apud vos habeatur qualis clariore patrum memoria fuit, id certe valiturum non minime est, si pietatis affectio erga romanam Ecclesiam, novis veluti auspiciis, ab eorum exemplo incitamenta capiat. Opportune quidem in publicis gaudiis illud etiam indictum novimus, ut honoriflcentissimum Stephani diadema insuetâ pompa per urbem principem, ad *Sedem Comitiorum* dedicandam, certa die deferatur; nihil quippe cum gloria nationis regumque vestrorum tam est connexum, nihil cum recta civilis rei temperatione tam congruit, quam sacrum illud regiae potestatis insigne. At vero spe libet praesumere duplex praestabile emolumentum ex illa re facile oriturum. Alterum, ut in ordinibus atque in multitudine eo magis sacramentum firmetur obsequii fideique in augustam Domum Habsburgensem, quae idem diadema, ultro sibi a maioribus vestris delatum, ad felicitatem regni perpetuo gessit; alterum, quod est huius propositi, ut copulata recordatio intimae patrum cum Cathedra Petri necessitudinis, quae per ipsum pontificale donarium, rata sanctaque extitit, iisdem vinclis stabilitatem addat et robur.

Sciat autem gens Hungarorum illustris, omnino se posse ac debere auctoritati et gratiae confidere Sedis Apostolicae: quae nec immemor erit unquam rerum ab ipsa pro catholico nomine praeclare gestarum, et pristinum erga ipsam animum providentiae indulgentiaeque maternae retinet, retinebit. — Quantum est in Nobis, si quidquam adhuc vestra causa curavimus et effecimus, ea Deus perbenigne ad successum foveat, Nobisque consilio et ope sua sic adsit, ut liceat eo vel amplius rationibus vestris gratificari. Per hanc praesertim faustitatem respiciat Ille

praesentissimo numine Regem vestrum Apostolicum, ordines, clerum, populum universum; faciatque affluentes eorum copia bonorum, quae ipse nationibus regnisque promisit custodientibus iustitiam et pacem. Vos aeque respiciat omnes magna Domina vestra MARIA, unaque Stephanus et Adalbertus, iidem regni apostoli et patroni caelestes; quorum salutari tutela, ab avis et maioribus tantopere explorata, cumulatiore in dies fructu laetamini. — Singulare votum summa caritate adiicimus. Fiat nimirum ut cives omnes, quos unus eiusdem patriae commovet amor eademque publicae gratulationis causa fraterno more coniungit, eos una eademque fides in felici complexu Ecclesiae matris aliquando devinciat.

Vos autem, Venerabiles Fratres, omni vigilantia diligentiaque pergite, ut facitis, de populo vestro et de civitate mereri optime: auspicemque divinorum munerum et peculiaris benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem habete, quam singulis vobis cunctaeque Hungariae laetanti amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die i Maii anno MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri decimo nono.

LEO PP. XIII.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## POLICASTREN.

### IURIUM

*Die 7 Septembris **i 895.***

**Conc. Trid. Sess. 5 c. 1 De Ref.**

COMPENDIUM FACTI. In oppido - *Vibonati-* Dioecesis Policastren. Ecclesia Parochialis est *recertifia,* scilicet in suum clerum recenset omnes clericos, ortum et inibi domicilium habentes, qui proinde, ob servitium praestitum, quarundam distributionum participes fiunt ad instar collegiorum canonicalium. - At Gubernii Italici effugere non valuit leges eversivas, quibus suum patrimonium ad internecionem redactum fuit. - Industria et sollicitudine tum clericorum participantium, tum fidelium quia ex divenditis bonis aliquid emolumenti capi potuit ob carius vendita bona, a fisco modico pretio empta, aliqualis dos Ecclesiae iterum comparata fuit.

De huius summae erogatione, vi potestatis a S. Sede collata, Episcopus Policastrensis disposuit in Decreto 14 mensis Septembris 1886, haec inter alia decernens :

Ut redditus omnes tribuerentur celebrationi Missarum cum eleemosyna unius libellae cum dimidio, pro iis participantibus, qui Ecclesiae servitium praestiterint.

Pro absentibus vero, idest pro iis, qui servitium non praestiterunt, constituitur celebratio missarum lectarum, cum eleemosyna tamen unius libellae.

Inter alios clericos, Ecclesiae parochiali oppidi - *Vibonati-suum* nomen dederat sac. Raphael Fasanaro, praesentis instantiae actor adversus huius ecclesiae clerum eo consilio, ut sibi vindicet nonnulla iura ex cooptatione in dictum clerum .provenientia quaeque sibi iniuste refragata fuisse, contendit. - Controversiae occasio haec fuit. - Sac. Fasanaro die 13 Octobris, venia a suo Episcopo obtenta

Neapolim se contulit studiorum causa, ibique per quadriennium manens, scholas adiit quas *normales* vocant ut facultatem obtineret docendi pueros elementaría praecepta disciplinarum. At singulo quoque anno, tempore quo scholae vacant, in suo natali oppido est moratus, ut ipse testatur.

Studiorum feliciter emenso curriculo in patriam reversus Sac. Fasanaro, quum toto hoc tempore nihil obtinuerit ex reditibus suae Ecclesiae, tunc exquisivit a clero Ecclesiae Vibonatorum eum missarum numerum sibi tribuendum pro quatuor superioribus annis; scilicet nonnullas missas cum eleemosyna unius libellae pro tempore Neapoli transacto; alias cum eleemosyna maiori pro tempore vacationum, quo suae Ecclesiae inservit.

Quia pacifice res componi non valuit, instaurata iudiciali instantia apud Curiam Polycastren, die 12 Februarii 1894, haec prodiit sententia quae plura decidens quaestionum capita, quoad unum pertransiit in rem iudicatam, quod alia rite appellata modo discutienda proponitur.

Ordinarius, praemissis variis animadversionibus iuris et facti, decernebat: reiicimus primum caput supplicis libelli, declarantes nullum missarum numerum eidem pertinere pro tempore quo Neapoli vitam degit, studiorum causa; reiicimus secundum caput supplicis libelli declarantes nullum missarum numerum eidem pertinere, quolibet stipendio, pro brevi tempore in patria transacto, vacationum causa.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO SACERDOTIS FASANARO. Huius presbyteri procurator, ad refellendas has iudicis animadversiones, ostendit primum in quo cardo rei vertatur, in quo ratio decidendi consistat iuxta utrumque ius, S. Congregationis C. iurisprudentiam, et Collegii constitutionem. Clericus cuiuslibet ecclesiae receptitiae, qui discedit ab oppido, ubi est illa ecclesia, opinatur orator, est particeps massae communis, si domicilium ibi retineat. Huius distinctionis iustitiam, prosequitur, inficiari perridiculum esset, quemadmodum adimi

nequit cuilibet civi, causa studiorum absenti, ius civitatis suae ! Ad rem adducit auctoritates relatas a Rmo. P. D. Pallottini in opere *Collectio* etc. v. *Ecclesia Receptitia,* n. 2:

« Capitulum seu clerus cuiuslibet receptitiae ecclesiae tenetur ad participationem massae communis admittere presbyteros, qui ex parentibus civilibus procreati, ibi retinent domicilium, ceterisque pollent qualitatibus ad id ex statuto aut consuetudine Ecclesiae necessariis; ut si detrectet eiusmodi Presbyteros ad participationem admittere, iidem pro admissis habeantur, atque a die denegatae admissionis fructus omnes, quotidianas distributiones, ac alia quaecumque emolumenta lucrarentur, ad tradita per Barbos, *de Can. cap. 15, n. 11 et 12,* Card. De Luca *eod. tit. disc. 22, n. 4,* et firmavit Rota in Recen, *decis. 9 n. 10 et décision. 431 n. 27 p. 18, Imolen. Consortii 30 Aprilis 1708 § fui. coram Lancetta* et in *Maioricen. Colleg. 13 Martii 1708* § *Et sane coram Omanna,* in *Caputaquen. Participationis die 21 Novembris 1739* § *Duo ».*

Hisce praemissis, asserit advocatus, clientem, oppidi *Vibonati* civem, non mutasse domicilium, quum Neapoli, causa studiorum, ille moratus fuerit. Imperatores Diocletianus et Maximianus ita responderunt in lege VII tituli XXXIX lib. X Codicis : « Et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessuri, si nihil avocet : unde cum profectus est peregri-' nari videtur: quod si rediit, peregrinari iam destitit ». Et Imperator Alexander in II lege eiusdem tituli : « Nec ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decem annis transactis, eo loco sedes sibi constituerint ». Et Huth ad *lib. 1 Decret.* Greg. IX *tit. II. quaest. IV* docet: « Ad constituendum domicilium simpliciter tale, et sortiendum ratione domicilii forum, duo requiruntur, animus et factum, seu habitatio actualiter coepta cum proposito stabiliter manendi in tali loco ». Ideo concludit orator, in appellata sententia animadvertitur « dalla

cui partecipazione furono sempre esclusi quei sacerdoti, che se ne allontanarono, o per fermarsi in Napoli come Cappellani ed assistenti di parrocchie, ovvero per emigrare ».

Exinde deducit procurator, ad praetensam non licere confugere consuetudinem, quae fìngitur contra ius clientis, qui ortus ac semper mansit civis Vibonatensis. Imo iuxta oratorem hoc argumentum ostendit superfluam esse confutationem sententiae quoad veniam Episcopi, quae inefficax asseritur pro Rev. D. Raphaele Fasanaro, tamquam communis massae participe, ex eo quod ille discessus fuerit post 25 annorum aetatem, et non sacrarum scientiarum studio operam navaverit, sed studiis elementariis.

Reipsa animadvertendum erat, ait patronus, clientem litterarum studio operam dedisse exercendi causa nobile magistri munus, ad maiorem Dei gloriam, in aliqua vel clericorum vel laicorum schola; et nefas iudici erat de hoc silere, et loqui tantum de lucro captando; quemadmodum contumeliosum esset tribuere alicui finem percipiendi fructus ex certis ecclesiae bonis et omittere finem officii sacri ! Praeterea instat orator, Episcopum veniam posse protrahere pro clericis ultra 25 annorum aetatem, et litteras aliasque non sacras disciplinas addiscentibus, veluti apparet ex auctoritatibus in appellationis libello collectis.

Deinde patronus animadvertit, quaestionem iudicandam esse non iuxta praetensam consuetudinem, sed iuxta Decretum, permissione Summi Pontificis ab Episcopo Policastrensi die 14 mensis Septembris anni 1886 datum, cuius verba in primi articuli tertia parte haec sunt: reditus totos impendi debere in celebratione Missarum, cum eleemosyna libellae unius cum dimidio; idque pro participantibus, qui Ecclesiae servitio adfuerunt; pro absentibus vero, sive pro iis qui nullum Ecclesiae exhibuerint servitium, cum eleemosyna unius libellae.

Verum, subsumit orator, reapse in decreto diei 14 mensis Septembris anni 1886 expresse agi etiam de *absentibus* per hoc verbum *assenti.* Vehementer vero Defensor Iudicem

obiurgat recurrentem ad praetensam consuetudinem antiquam; quia ita iudex novam legem ab eodem Episcopo conditam evertere conatur; nam iuxta Collegii statutum ab Episcopo Policastrensi die 4 mensis Iulii anni 1892 approbatum, massae communis participes sunt etiam clerici legitima causa ab ojppido *Vibonati* absentes. Hic articulus, notat procurator quamlibet legitimam causam respicit; quamvis subsequens nonnullas causas enumeret *demonstrative*-modo. Nam aliter proprio superfluus et inutilis foret. Et pro clientis iure iuxta oratorem est legitima et maxime favorabilis studiorum causa agnita ab eodem Episcopo, qui clienti discessus veniam dedit.

Dein advertit patronus hic agi non de massa communi proprie dicta, quae a fisco direpta fuit; sed de massa communi improprie dicta, nempe de iure et onere Missarum, quae cum eleemosyna deprompta ex receptitiae ecclesiae reditibus celebrandae ubique sunt.

Postea descendens advocatus ad 2. caput, nempe : *An Rev. Raphael Fasanaro ius habuerit celebrandi Missas cum eleemosyna unius cum libellae dimidio, tempore quo Ecclesiae Vibonatensi inservit,* observat quod fingitur consuetudo, quae non extat, et asseritur tantum ab eo, qui simul est testis et adversarius, scilicet Vibonatensis ecclesiae Parochus. Sumitur argumentum ex quodam legis articulo, qui propositus fuit, ut nemo massae communis esset particeps si saltem per quatuor menses infra annum Ecclesiae non inservisset; sed hoc argumentum in adversarium reflectitur: nam ille articulus in legis textum relatus non fuit, et ideo legis vim habere nequit.

Quae patrono ita declaratoria videntur ad sententiam infìrmandam, ut ab EE. PP. petat, suum clientem absolvendum esse ab expensis iudicii, quas pro duobus tertiis partibus sustinere condemnatus fuit.

DEFENSIO CLERI. EX adverso cleri patronus, postquam ostenderit ecclesiam parochialem Vibonatorum adhuc esse receptitiam, proindeque veris beneficiis non coalescere, con-

cludit, iniuria contendere rev. Fasanaro, sacerdotes Cleri Vibonatensis iis uti posse privilegiis, quibus clerici utuntur, qui sunt beneficiis ecclesiasticis ornati. At sacerdotes Cleri Vibonatensis nullas habent praebendas ac beneficia: ergo, dum theologiam docent, aut eius studio incumbunt, proventus praebendarum et beneficiorum percipere non possunt. De illis autem emolumentis, quae sunt illorum propria, quaeque nec beneficiorum fructus sunt, nec occasione, ut ita dicam, beneficiorum ac praebendarum recipiuntur lex tacet omnino. Unde infert procurator, emolumenta illa, ius scilicet celebrandi ratam missarum partem, illis tribuitur, qui sacris ritibus, a dioecesanis synodis, atque a consuetudine Cleri Vibonatorum praescriptis, interfuerint, quique archipresbytero se adiutores praebuerint in animis curandis. Ergo qui abest, atque haec non agit, nullum ad missas illas retinet ius. - Neque suffragari licentiam abessendi ab Episcopo concessam contendit Orator, prouti decernit articulus 94 legis Cleri Vibonatensis.

Quia vero hoc cleri statutum editum fuit anno 1892, notat procurator, iam antiquiorem consuetudinem idem praescripsisse, prouti Curia Policastrensis testatur.

Sed etiam si hoc pro certo ponatur, quod falsum est, argumentatur patronus, emolumentis Ecclesiae innumeratae Vibonatensis leges aptari posse, quas sacri canones pro beneficiis praebendisque constituerunt, nec tamen, hoc posito, rev. Fasanaro ullum habet ius emolumenta illa petendi, pro tempore, quo causa studiorum neapolitano domicilio usus est. Privilegium enim fructus praebendarum lucrandi non omnibus conceditur, sed illis tantum, qui 25 annum non attigerint, quique studio theologiae aut sacrae scripturae aut canonici vel civilis iuris vacant per triennium tantum.

Hoc tamen mirandum est, iuxta patronum, quod révérend. Fasanaro has quidem extare leges non deneget ; sed iis effugere conetur, dicens eas leges canonicos respicere: ad participantes autem Ecclesiarum receptitiarum illas non

attinere. Quod ei facile assentitur patronus, aiens, in hoc tamen procul dubio errare rev. Fasanaro, sibique non constare, quod putet limitationibus quidem privilegii canonicos tantum gravari: privilegio autem ipso et Ecclesiarum receptitiarum sacerdotes iuvari. Hoc enim privilegium a lege positiva introductum est, ad limitandam legem naturalem, per quam quisquis aliquod emolumentum percipiat in retributionem officii, quod sit in certo quodam loco exercendum, in hoc ipso loco residere tenetur. Sed lex conferens privilegium loquuta est tantum de beneficiis et praebendis : proinde ea lex, non est Ecclesiis receptitiis innumeratis applicanda, in quibus beneficia ac praebendae non sunt. Quod si, instat orator, rev. Fasanaro velit omnino privilegium huiusmodi sibi vindicare, aequum est, ut eius quoque limitationibus, a iure statutis, se subiiciat.

Quum in iudicio primi gradus rev. Fasanaro innixus sit decreto, quod die 14 Septembris 1886 Episcopus Policastrensis apostolica auctoritate emanat it, advertit advocatus, quod in eo decreto pure et simpliciter augetur stipendium missarum, ac pro iis tantum, qui sacris caeremoniis in. Ecclesia Vibonatorum intersint. Uno in casu solummodo facultas permittitur iis, qui sacris ritibus non adsint, cum minore eleemosyna missas celebrandi, nimirum illis tantum sacerdotibus permittitur, quibus, postquam bona Ecclesiae Vibonatorum fisco addicta sunt, publice pensiones solvuntur : sed ex iis non est sacerdos Fasanaro. Ea igitur distinctio, notat patronus, missarum cum eleemosyna unius libellae et cum eleemosyna maiore in hoc tantum casu occurrit.

Quod si perperam rev. Fasanaro decreto usus est anni 1886, prosequitur Orator, nec fas quidem ei est uti articulis 87 et 94 legis cleri Vibonatensis, in quibus reditus omnes illius Ecclesiae in tres partes dividuntur, ita ut duae partes massam communem efficiant, pars reliqua distributiones. Etenim in lege illa ius ad massam communem tribuitur, tantum aegrotis, vel sacerdotibus, qui in seminario dioecesano adolescentes clericos instituant, quique aut iniu-

ste sint in carcere detenti, aut, iniuria vexati, coacti sint fugam capessere. Insuper ea lex condita est die 4 iulii anni 1892, atque ab eo die tantum vigere coepit. At sacerdos Fasanaro Vibonatis est profectus die 13 Octobris anni 1889, reversusque est mense iulio anni 1893. Ergo si etiam quid in ea lege deprehendi posset, quod illi faveat, hoc applicari nequiret, nisi ultimo tantum anno eius absentiae, concludit Orator.

Denique patronus disserit, utrum sacerdos Fasanaro aliquid iuris celebrandi vibonatenses missas sibi queat vindicare pro eo temporis spatio, quo, dum vacationes sunt, quotannis Vibonatos revertebatur. Quod perfracte negat patronus, asserens consuetudinem ecclesiae Vibonatorum non adverso favere, ut ipse contenderet, sed e contra ipsi e diametro contradicere. Contendit enim orator quod omnibus vibonatensibus sacerdotibus fas sit quando velint participationem inire, eamque pro lubitu deserere, sed ad commoditatem administrationis bonorum illius Ecclesiae, consuetudinem inductam esse, ne, quoad emolumentorum perceptionem, de brevioribus participationibus, brevioribusque absentiis ratio ulla haberetur, et ne quis ad participationem admitteretur, nisi *tres saltem in anno menses sacris ritibus interfuisset.* Hinc factum est, ut rev. Fasanaro anno 1889 hoc commodi perceperit, quod, etsi die 13 Octobris Vibonatos reliquerit, tamen ad participationem missarum ita fuerit admissus, velut si usque ad diem postremum decembris eiusdem anni Ecclesiae inserviisset. At singulis quatuor annis, qui sequuti sunt, nunquam tres integros menses Vibonatis adfuit. Namque anno 1890 quadraginta dies Vibonatis fuit; anno 1891 duodequadraginta; anno 1892 duos ferme menses; anno 1893 quatuor dies tantum, tempore bacchanalium; nam, absolutis studiis, domum reversus, ad participationem tamen eo anno rediit. Quapropter huiusmodi exigua temporis spatia nullum ad percipienda in Ecclesia Vibonatorum emolumenta, exceptis si quae adventitia per id temporis obvenerint, ius in eum conferre potuerunt, infert advocatus.

Hisce in utramque partem animadversis, proposita fue-•runt diluenda

## Dubia

I. *An sententia curiae policastr ensis, quoad capita, rite deducta, ad appellationis iudicium, sit confirmanda vel in~ firmanda in casu.*

Quatenus sit infirmanda :

II. *An Rev. Raphael Fasanaro ius habuerit celebrandi missas cum eleemosyna proveniente ex reditibus Ecclesiae receptitiae Vibonatensis, ab Octobri 1889 ad Iulium 1893;*

*Nempe* I° *quoad missas cum eleemosyna unius libellae, pro tempore, quo degit Neapoli;*

2° *quoad missas maioris eleemosynae, pro tempore, quo Vibonatis moratus est in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 7 Septembris 1895, censuit respondere: Ad I *Sententiam esse confirmandam* - Ad II *Provisum in primo.*

# FODIANA

CIRCA SANCTUARIUM VULGO DELL* INCORONATA

*Lie 14 Decembris 1895*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. Non longe a Fodiana civitate vetustum extat templum Beatae Mariae Virgini dicatum, vulgo dictum « *Santuario dell' Incoronata* » ad quod turmatim concurrunt peregrini a die Sabbati ultimi mensis - Aprilis, ad diem Dominicam primam mensis Iunii, ingentem vim oblationum et missarum quamplurimas eleemosynas offerentes. Praeterea dotem in fundis rusticis habuit praedivitem haec ecclesia, quae *Abbatia Consistorialis* erat, donec, ob eversionem rerum publicarum, sub fine elapsi saeculi et currentis initio, eius bona distracta, fuerunt prophanis usibus attributa. Demum in pristinum statum res ti tuto familiae

Borbonicae principatu ob leges concordatas cum Sancta Sede anno 1818 a ministris delegatis, ad easdem leges executioni demandandas, expeti tum fuit, ut dicta ecclesia cum suis bonis ad patrimonium consistoriale restitueretur. Verum interea reditus huius abbatiae concessi fuerant administratoribus domorum hospitalium civitatis Fodianae, ea lege, ut expensis cultus ipsi prospicerent, cum facultate erogandi superfluos reditus partim favore domus hospitalis pro infirmis eiusdem civitatis ; partim pro alendis puellis pauperibus, nec non feminis convertendis, in distinctos convictus adunatis. Quare enixius expostulatum fuit ne pauperes civitatis Fodianae huiusmodi subsidiis privarentur, et conventum fuit 1) ut viri religiosi, instituti a S. Ioanne *di Dio,* sibi assumerent regendum civitatis hospitale, 2) item sibi vindicarent reditus dictae ecclesiae abbatialis cum obligatione impertiendi redituum partem supradictis feminarum convictibus, 3) horum convictuum ad tutanda iura statutum fuit, ut Episcopus delegaret sacerdotem qui assidue in oblationes a peregrinis perceptas vigilaret, ne in iisdem dispartiendis, hi convictus damnum paterentur.

Ut locupletiores suppeterent reditus, tum pro expensis cultus sanctuarii, tum pro subsidiis piis locis erogandis, narrat Episcopus, conventum fuisse, ut a Sancta Sede expetere tur facultas reducendi *eleemosynas* missarum, quae in ipso sanctuario celebrari non possent, destinando partem eleemosynae residuam usui iam explicato. Nunc autem Ordinarius animadvertens quod missae cum eleemosyna parva difficile recitantur, potius efflagitat facultatem reducendi oblatarum missarum numerum tali ratione, ut duae partes ex toto reducerentur, alia tertia pars applicaretur cum eleemosyna libell. 1,25. Vis autem pecuniae duarum partium impenderetur in onerum satisfactione.

## Disceptatio Synoptica

Praemonitum fuit recolenda esse Bened. XIV verba in opere - *de Syn. Dioec. lib. 13 c. ultim. n. 29 . . .* - « cum

enim res est de Missis manualibus, pro quibus nempe celebrandis receptae sunt eleemosynae, si earum celebratio neglecta sit, locum obtinere non potest *reductio,* sed *condonatione* aut *compositione* opus est . . . » Rationem idem reddit in loco cit. n. 15 . . . . « Et quidem huiusmodi quoque condonationes sive remissiones ab aliquibus dicuntur reductiones Missarum ; sed minus recte et omnino improprie : cum hae praeteritum tempus solummodo respiciant ; verae autem et proprie dictae reductiones futuro tempori provideant. » Quamobrem alias S. C. Congregationem rescripsisse *ut celebrato maiori quo fieri potuit numero Missarum in Ecclesia Sanctae Mariae Incoronatae . . . . superextantes enunciatarum Missarum eleemosynas. . . erogari possint... ita tamen ut in loco publico et patenti, apponatur Tabella qua declaretur fidelibus praefata eleemosynarum erogatio.* Re quidem vera hic agitur de *mutatione* voluntatis quae cum decernatur antequam a fidelibus significetur, aequum erat de hac mutatione ipsos fideles docere. Alterum rescriptum ad hunc modum reducendi Missarum numerum se refert.

Merito quidem Ordinarius dolet effectus derivantes a reductione eleemosynae. Nimirum monet, se nonnisi aegro animo permittere, ut Missae cum hac paupérrima eleemosyna e sua Dioecesi emigrent, quum apud extraneos misérrimos sacerdotes earum applicatio in discrimine versetur ; et apud suos desint congruae Missarum eleemosynae.

Quare, ut pressius quid animadvertatur in Episcopi instantiam recolendum videtur, a nemine in dubium revocari Episcoporum potestatem determinandi ad certam quantitatem Missae eleemosynam, adeo ut. tenuiori oblata eleemosyna, sacerdotes ad eamdem recipiendam pro Missae applicatione adigi non debeant - ita Bened. XIV in op. *Be Syn. Bio ee. lib. 13, cap. 25, num. 28.* - Quae eleemosynae taxatio postea accommodetur, tum Missis perpetuis, tum manualibus, prouti tenuit S. C. C. in *Florentina - Reductionis onerum - 2. Augusti 1823,* in *Senogallien. - Reductionis*

*onerum - 28 Aprilis 1827 § Et,* et in *Anconitana - Reductionis Missarum - 26 Aprilis 1828 § Si.* - In themate porro aequissimum est Ordinarii propositum, efficiendi nempe ut Missarum eleemosynae congruae suppetant suis Sacerdotibus, et ipse directe invigilet in diligentem Missarum celebrationem. Hoc examussim respondet decretis Urbani VIII et Innocentii XII *De celebratione Missarum.*

Praeterea, in casu, est exquirendum quomodo prospici debeat superexcedenti Missarum manualium numero ; cui quaestioni ita satisfacit Bened. XIV in *loc. cit. num.* « Cum aliquando relatum sit eo usque excrevisse piorum offerentium liberalitatem ut nulla omnino ratione celebrari possent sacrificia pro quibus eleemosynas offerebant ; quae tamen si recusarentur exinde, ut minimum, consecuturas hominum offensiones et animarum discordias ; fidelium vero pietati ac religioni multum detractum iri ; his nihilominus parvipensis, illud semper inculcatum fuit ut omni studio ac sollicitudine assumptorum onerum implementum curaretur ; *adaugeretur cappellanorum numerus et si id fieri non posset, monerentur saltem pii offerentes, tot Missas celebratum iri, quot re ipsa, celebrari posse contingeret ; eos vero pro quibus celebrari nequivissent Missae quas sibi eleemosynam offerentes, deposcebant, futuros participes fructus Missarum, quae in Ecclesia pro benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut Missae per eos optatae in alia Ecclesia iuxta eorum intentionem celebrarentur, idque publico patentique loco appensa tabella, omnibus nuntiaretur.* » In hunc sensum ad unguem respondisse H. S. C. in Rescripto *diei 5 Iulii 1820* patet ex conceptis verbis « . . . *indulgeat, ut celebrato maiori quo fieri poterit, numero Missarum in Ecclesia Sanctae Mariae Incoronatae . . . superextantes enunciatarum Missarum eleemosynas . . . erogare possint et valeant iuxta petita; ita tamen ut in loco publico et patenti apponatur Tabella, qua declaretur fidelibus praefata eleemosynarum erogatio.* » Ne vero accidat, fideles retrahi ab huiusmodi oblationibus, videretur adlaborandum ut

Sanctuarii cultus augeretur et frequentiores Missae celebrarentur et solemniores functiones peragantur. In ipsa vero Tabella dilucide fideles docendi essent, sibi nihil detractum iri de spirituali fructu ob diversam eleemosynarum erogationem. Quare commode videretur praeterea posse decerni, ut singulo quoque anno in Sanctuario solemnis celebraretur Missa et Officium Defunctorum pro iis quorum eleemosyna illo anno erogari non potuerit in celebratione Missarum. Aliae piae sollicitudines Ordinario non videntur deesse quibus fideles alliciat eosque minime fraudet in sancto proposito.

Ex adverso sane denegari non debet, hoc esse in suprema Pontificis potestate Episcopo permittere ut certum Missarum manualium numerum non celebrari sinat erogando in alium scopum oblatam eleemosynam ; nam ea qua pollet plena dispensatione Christi et Sanctorum omnium meritorum, Pontifex decernit ut mutatae fidelium voluntati nihil desit illius spiritualis fructus sibi ipsis aut animabus piacularibus flammis addictis, applicandi.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum :

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Decembris 1895 censuit respondere: *Pro f acuítate reducendi Missas, iuxta petita ad quinquennium, ad effectum de quo in precibus, dummodo non fat ultra veram necessitatem, servata in reliquis forma rescripti diei 3 Iulii 1883, facto verbo cum S S aio.*

# SQUILLACEN.

## ERECTIONIS PAROECIAE

*Die 14 Decembris 1895.*

**Per summaria precum.**

COMPENDIUM FACTI. *Sub die 19 Maii 1888* haec controversia proposita fuit *in folio,* hac dubitandi formula « *An sit locus canonicae erectioni paroeciae in casu* » cui responsum datum fuit « *Affirmative, audito Capitulo et de consensu parochi, constituta stabili congrua infra triennium.* » Verum hoc Decretum adhuc praepeditum fuit quo minus executioni demandaretur nonnullis de causis ab Episcopo relatis. Quae quum pernoscendae sint, pro maturo edendo iudicio, iterum referuntur quae *iuris* et *facti* sunt in praesenti quaestione.

Anno 1886 labente, Episcopus Squillacensis (1), preces transmittens incolarum et municipum loci Mongiana, referebat, hunc pagum paullatim efformatum fuisse et crevisse iuxta ferrariam fabricam ibi a gubernio pro re militari a saeculo circiter erectam: numerare in praesentiarum 1200 incolas; sed parocho proprio carere. Usque ad ultimos hosce annos capellanus militum, qui a gubernio illuc mittebatur ad spiritualem curam gerendam operariorum officinae, simul ab Episcopo delegabatur ad parochiale ministerium suscipiendum erga circumstantem plebem. Sed suspensa ab actuali gubernio capellani provisione, illuc ab ordinario mitti consuevisse sacerdotem, qui ecclesiae curam haberet et populo sacramenta ministraret. Populum autem et municipes urgere, ut haec ecclesia erigatur in paroeciam et ipsi de perpetuo proprioque pastore provideantur. Sed obstare defectum congruae. Nihilominus, prosequebatur Episcopus magno cum gaudio referre oportet non deesse contributiones populi, etsi pauperrimi, et municipii favore parochi. Quinimo civile gubernium adpromittit stabilem contributionem, statim ac erecta fuerit paroecia,

(i) Recole Vol. XXI, 182.

Unde Ordinarius facultatem petebat paroeciam erigendi, hoc non obstante certae congruae defectu. Sed visum fuit in incertum rem non debere committi, et ideo rescriptum fuit: *Relatum.*

At hisce diebus municipii praesides, universumque consilium, imo et complures incolae ad S. O. C. denuo instantiam pro gratiae concessione fecerunt. Qua de re cum Episcopi votum expeterem, auditis interesse habentibus, ipse se retulit ad ea quae antea exhibuerat, et ultra nihil adiecit.

## Disceptatio Synoptica

Porro audiendus certe erat parochus illius territorii, in quo pagus Mongiana surrexit, quippe ex dismembratione detrimentum aliquod, saltem quoad extensionem iurisdictionis patietur. Id sane consentaneum aequitati fuisset, et regulae iuris *29 in VI* iuncta *Clem. 1 § ad haec De stat. monach,* cum DD. Reiffenstuel *ad lib. 8 tit. 12 n. 72* aliisque et ordinariae S. C. C. praxi.

Sed praeter hanc difficultatem contra gratiae concessionem militat quoque defectus certae congruae. Hac enim deficiente, parochiam non debere constitui, praeter ius positivum ipsa iustitia et aequitas naturalis absolute exigit. Qui enim altari inservit de altari vivere debet, et nemo militat suis stipendiis; sed quiquis ex opera quam navat honestam compensationem ex qua vivere possit, iustissime exquirit. Unde officia erigere aut ministros ad laborandum mittere absque convenienti certoque stipendio neque congruum, neque expediens est. Sicut etiam positive constituitur, in *cap. Extirpandae 39 De praebenda Conc. Trid. sess. 21 pag. 4* et in *Const. S. Pii V. Ad exequendum.*

Porro congrua curatis debita, generaliter loquendo, taxatur in scutis 100 non solum ab ipso Tridentino *sess. 24 cap. 13 De reform,* sed etiam a S. Pio V *cit. cons.* et Rota *par. 18 tom. 1 decis. 374 num. 1 Recent,* cum communi. At licet haec taxatio non sit absoluta, neque in hac materia certa regula assignari possit, sed iudicis arbitrium

potissimum praevaleat; attamen id quod lex et naturalis et positiva absolute vult, est, quod haec qualiscumque congrua sufficiens ad honeste vivendum et certa sit.

Porro in themate hoc reperiri non datur. Siquidem subsidium quod in praesentiarum municipium rectori tribuit, et tenue est, nempe 300 circiter libellarum, et incertum, nam illud facillime suspendere poterit aut forte etiam debebit eius loco subrogando subsidium quod ex administratione fundorum cultus obtinere sperat, erecta semel paroecia; nam municipium in arcta versatur conditione oeconomica.

Attamen non videntur peremptorii valoris esse obiectiones contra gratiae concessionem promotae. Non prima, circa defectum consensus parochi territorii ubi nova cura erigi postulatur. Etenim nihil detrimenti ex hoc facto sentire poterit territorii parochus : non detrimentum iurisdictionis; nam iurisdictionem in eo pago limitrophus parochus non videtur unquam exercuisse; cum usque in praesens capellanus militum, de mandato capellani maioris, regeret animas in officina ferraría degentes, et ex delegatione Episcopi familias circum iacentes; hodie vero rector ecclesiae illuc ab Episcopo directe mittitur. Non damnum materiale ; quia beneficium hoc parochiale nihil unquam contribuit, neque a principio cum ecclesia Mongiannensis est erecta, neque hodie cum in parochialem erigi postulatur.

Porro dismembratio, odiosa potissimum est, si fiat de beneficio seu de bonis beneficiariis; nam per hoc veteris beneficii status laeditur, et media honestae substentationis antiquo parocho minuuntur; sed divisio solius iurisdictionis seu territorii plerumque et in themate potissimum, nullimode laedit oeconomicum statum veteris beneficii, sed ad summum ambitionem offendere potest illius, cuius iurisdictio coarctatur.

Quod tamen respici non debet in comparatione cum bono animarum ex divisione iurisdictionis manante; neque applicari potest ad praesentem causam; quia iurisdictio iam de facto divisa, iuxta dicta superius, reperiebatur.

„Quod autem in dismembratione paroeciae sedulo distinguendi sint duo casus superius recensiti, divisionis nempe beneficii et territorii et prior sit potissimum odiosa, minus vero altera, eruitur ex Torricelli *De union, benef, qu.882 n. 2, cap. 33 De praebendi.* S. C. C. 23 Aug. 1755, Pallottini *t. 8 n. 33.* Garcia *12, 11, 113;* Leurenius *3, 909, 1* et apud Acta S. Sedis *t. 10 n. 269.*

Quapropter ex hisce omnibus omissio auditionis parochi territorii officere non videtur.

Sed neque incerta aut insufficiens oblata congrua absolute est aestimanda. Etenim licet congrua a Tridentino et *const. Ad Exequendum* taxata dicatur in 100 scutis; haec mensura certa non est. Imo in *const. Ad exequendum* verius ac praecisius praescribitur, ut congrua non debeat ordinario taxari maior scutis 100, nec minor scutis 50. Et in Tridentino congrua parochorum proprie non definitur; sed tantummodo vetatur ne pensionibus graventur paroeciae, quae summam ducatorum 100 non excedunt.

Quapropter congrua parochorum quota esse debeat, non est definitum; sed tantummodo lex vult, ut sit certa ac sufficiens, prout passim tenuit Rota, ceu videre est *part. 6¿ decis. 230, n. 2 Recent,* et DD. apud Ferraris *v. Congrua art. 2.*

At in themate quod congrua sit certa probatur ex citata resolutione municipali, ubi dicitur municipium vi regii decreti ad solvendum quotannis subsidium 400 circiter libellarum, partim pro ecclesiae Rectore adigi. Et dicet municipes hoc onus refundere curent in publicam administrationem fundorum cultus, attamen dubitandum non videtur quod municipii praestatio cesset, quia alia succédât.

Quod autem congrua sufficiens habeatur, hoc altero argumento confici posse videtur. Etenim licet non amplietur subsidium quod hodie tribuitur, nihilominus cum ex eo vixerit et adhuc vivat ecclesiae rector, vivere pariter posse parochum non est dubium. Eo vel magis quod speretur ex erectione paroeciae meliorem fieri posse oeconomicam ecclesiae eiusque curatoris conditionem.

Quia decreto rie Concilium Tridentinum *in Sess. 21 c. 4 de R.* statuit quod « in iis (paroeciis), in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus, Episcopi, iuxta formam Const. Alexandri III quae incipit -*Ad audientiam* - constituere possint. » - Proinde tantummodo negotium facessit stabilire congruam, quam Episcopum sive nunc per impositam alteri pinguiori beneficio pensionem, sive per alium praestationis modum, sperandum est posse constituere, si inniti valeat morali certitudini, Gubernium *datae promissioni* non esse derogaturum.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Decembris 1895, censuit respondere: *Quoad consensum parochi, attentis noviter deductis, recedendum a decisis; quoad reliqua ad mentem. Mens est ut scribatur Episcopo, ipsum posse devenire ad erectionem paroecia? ante constitutionem congruae: quae tamen erit constituenda inter triennium, facto verbo cum SSmo.*

---

## PARISIEN.

### NULLITATIS MATRIMONII

*Die 7 Septembris 1895.*

**Sess. 24 cap. 1 De ref. matr.**

COMPENDIUM FACTI. Margarita puella ingenuo animo ac conspicuo censu ornata, vix 17 aetatis annum attigerat, quum die *12 Februarii 1879 Parisiis* in Ecclesia *S. Augustini* matrimoniali foedere, iuxta tridentinas leges, Augusto 36 annos nato, iuncta est.

Hae nuptiae a sponsae matre quamplurimum optatae, haud successerunt, siquidem videtur Margarita nupsisse Augusto

metu reverentiali impulsa. Narrat enim Margarita a puerilibus annis gravem animi aversionem fovisse erga Augustum, qui eius paternam domum frequentare solebat. Quapropter hisce propositis a matre nuptiis, statim illas respuit, aperte significans, se animum gerere erga Augustum vehementer alienum.

At mater propositi tenax, prouti nonnulli testes fatentur, voluntatem filiae flectere volens, suasionibus, obsecrationibus, lacrimis, obiurgationibus Margaritam per plures menses obsedit. Ideoque puella, ut ipsa refert, persentiens se amplius matris voluntati obsistere non valere, quin eam gravissimo afficeret dolore, cessit quidem, sed omnino invita. Tunc nuptiae illico statutae fuerunt ac quam primum celebratae. Inito matrimonio, sponsa, si vera narrat, se devinctam viro putabat, solummodo specie tenus ob ecclesiasticum ritum, non autem reapse ex animi consensu.

Quare pluries derelinquere virum cogitavit, ac tandem, cum in dies mariti prodigalitas augeretur, ita ut fere totam eius dotem dissipaverit, post 8 cohabitationis annos illum deseruit ac Parisios apud parentes se recepit ; petens a tribunali civili bonorum separationem, quam facile obtinuit sub fine anni 1887.

Pluribus a separatione transactis annis, Margarita, uti narrat, domesticas aerumnas proprio confessario exponens, scivit ab ipso, matrimonium nullum esse, si consensus oretenus praestitus, metu reverentiali vitiatus esset.

Tunc Margarita mense Maio 1893 supplicem Emo Archiepiscopo Parisiensi obtulit libellum, ut suum matrimonium nullum declararetur. Eodem fere tempore Margarita causam divortii apud laicum tribunal intentavit contra Augustum, quo obtento, eidem, liberalitatis causa, ut ipsa iurat, donavit 100,000 libellas.

Curia Parisien., accepto libello, cito causam instruxit, excipiens iuratas actricis, viri ac plurium testium depositiones. Tandem Iudices delegati die 12 Iunii 1894, attento favorabili Theologi et Canonistae voto, declararunt nullum

et irritum matrimonium ex capite *vis et metus,* nempe ob metum reverentialem a matre iniuste incussum.

Vinculi defensor a sententia Curiae Parisien, ad S. Sedem appellavit.

## Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Margaritae patrocinatores duo in capita salebrosam thesim dispescunt, atque primo, metus reverentialis natura exposita, probant in casu matrimonium irritari.

Generale principium est, aiunt ipsi, quod « metus gravis alicuius mali naturalis, incussus a causa libera, iniuste et directe ad consensum matrimonialem extorquendum irritat matrimonium. »

Metus reverentialis autem, pergunt oratores, dicitur a *reverentia,* qua nos aliquem nostrum superiorem prosequimur: sed haec est notio etymologica, quae nullam praesefert difficultatem. Si notionem realem inquiramus, inveniemus doctores circa eam non convenire, licet eorum dissensus, mere theoreticus, ad praxim usque non descendat. Plerique enim Doctores censent metum reverentialem esse metum *offensae* vel *displicentiae superioris;* nempe nos ex metu reverentiali agere quando 'ne displicentiam et offensam irrogemus superiori, quem amore et honore prosequimur, morem ei gerimus, et aliquid facimus quod ipse desiderat, aliquid omittimus quod ipse non vult : quod tamen nec fecissemus nec omisissemus nobismetipsis relicti. Haec est notio metus reverentialis magis recepta apud Canonistas; ita Reiffenstuel *lib. 1 Decret, tit. XL, De iis quae vi met iisve causa fiunt, num. 94.* Alii auctores e contra animadvertentes metum esse : « instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio » sustinent metum non dari, nisi quando ob malum imminens nobis /nente trepidamus, ideoque, ad illud malum imminens nobis declinandum, aliquid facimus vel omittimus. Sed offensa vel displicentia superioris, in se considerata, non est malum imminens inferiori, et ideo ex sola offensa vel displi-

ceri tía superioris metus non datur. Ita Pontius, *De matrimonio, lib. IV, cap. V.* D'Annibale, *Summula etc, vol. 1, § 438, not. 14* et alii plures.

Expositis Doctorum placitis circa naturam metus reverentialis, patroni tres animadversiones faciunt. *Primo ;* ultro admittunt non haberi metum reverentialem, saltem purum, si verbera intercesserint aut minae : nam in casu habetur metus ortus ex verberibus aut minis, qui est ordinarius et vulgaris; deinde habetur metus ortus ex reverentia, qui est et appellatur reverentialis. *Secundo,* putant generare metum reverentialem etiam solam offensam seu displicentiam superioris in se consideratam ; nam ipsa offensa seu displicentia personae, quam amore et reverentia prosequimur, est malum nobis, seu nobis displicet, si amor ac reverentia realis est. *Tertio,* tandem animadvertunt hanc opinionum discrepantiam circa naturam metus reverentialis esse potius theoreticam quam practicam ; nam ex offensa et displicentia illata superiori naturaliter et prope necessario oritur eius indignatio erga nos, asperitas vultus, exprobratio, mala tractatio, aut talium probabilis aestimatio, preces importunae etc.

Ex his omnibus concludere posse autumant oratores, nos agere ex metu reverentiali, quando aliquid quod nobis non arridet facimus aut omittimus ad evitandam superioris offensam seu displicentiam et subsequentem eiusdem indignationem cum indignationis signis.

Affirmant postea advocati, matrem esse recensendam inter illos superiores, qui auctoritate sui faciunt metum reverentialem ; uti tradunt DD. Ad rem S. Alphonsus, *Theol. Moral, lib. VI, n. 1056:* « Metus reverentialis est ille quo quis veretur resistere ei, cui subiicitur, nempe patri, matri, avo, socero, marito, regi, domino, praelato, tutori et curatori, » et Sánchez *lib. IV, disp. VI, n. 24. «* Quamvis non ita facile praesumatur hic metus respectu matris ; at ubi mater esset crudelis et austera, solitaque minas exequi, sufficiens est metus reverentialis matris, sicut et patris ».

Tali modo exposita metus reverentialis natura, patroni

contendunt, metum reverentialem matrimonium irritare, uti omnes magnae notae DD. tradunt.

Agmen aperit Sánchez, qui postquam docuisset solum metum reverentialem (nempe metus solius offensae vel displicentiae superioris) non sufficere ad irritandum matrimonium, in *lib. IV, disp. VI, n. 14, De matrimonio,* haec habet : « Infertur, si filia matrimonium contrahat, non praecedentibus minis, solum eo timore ne patris indignationem incurrat, esse validum ; non enim hic metus censetur cadens in constantem virum... Hoc tamen moderarer ut intelligatur quando indignatio illa patris vel viri non diu perdurabit, sed spes est futurae reconciliationis : si enim timeret probabiliter diuturnam fore indignationem, et semper se habituram patrem aut virum valde infestum et indignatum, obiecturumque passim illam inobedientiam, crediderim esse timorem cadentem in virum constantem. Quis enim vir constans et prudens non reputabit grave malum semper coram oculis habere infensum patrem aut virum aut alium a quo pendet, et cum quo semper versaturus est? »

S. Alphonsus - *Theol. Moral, lib. VI, 1056,* proposito dubio : *An metus reverentialis sufficiat ad invalidandum matrimonium,* respondit : « Ad dubium autem deveniendo, prima sententia, quam tenent... dicit purum metum reverentialem, si est principalis causa matrimonii, illud irritare. Secunda vero sententia communis et recepta, quam tenent . . . dicit non sufficere puram reverentiam, sed requiri ut adiungantur aut verbera aut minae, aut timor alicuius gravis mali, puta odii, diuturnae indignationis etc. ».

Schmalzgrueber, *lib. 1 Decretalium,, tit. XL, n. 5:* « Dicendum metum reverentialem solum non censeri iustum et sufficientem ad irritandos vel rescindendos actus eo factos, nisi concurrentibus aliis adminiculis, qualia sunt asperitas vultus, indignatio, mala tractatio, preces importunae et repetitae etc. »

Reiffenstuel in *lib. I Decret., tit. XL, n. 95* statuit hanc propositionem : « Etsi sola reverentia erga parentes aliosque

maiores, seu metus reverentialis, ex se solo non sufficiat ad irritandum v. g. matrimonium a filiis celebratum, vel rescindendum alium contractum, secus tamen est dicendum, quando simul accesserunt saevitiae, vel graves minae parentum aut maiorum respectu filiorum seu subditorum, nisi obtemperaverint, vel saltem preces importunae et instantissimae ». Deinde probat primam propositionis partem de sola reverentia non sufficienti ; deinde alteram de sola reverentia sufficienti, addita saevitia vel gravibus minis parentum ; tandem tertiam de reverentia sufficienti, additis precibus parentum importunis et instantissimis, ita evincit : « Tertia tandem pars, loquens de importunis precibus (per has intelligendo non quascumque preces, sed eas solum quae sunt instantissimae saepiusque repetitae) simulque coniunctis metu reverentiali, probatur ex eo. Siquidem ex una parte eiusmodi importuni tas parentum vel maiorum iterum iterumque petentium, valde urget, vexat, quin et subiectos quandoque opprimit, prout desumitur ex *Iudic. cap. XVI,* ubi tale quid etiam ipsimet fortissimo Sam soni contigisse legitur. Unde in *extravasanti Execrabilis* Ioannis XXII § 1 notatur quod quandoque aliqua a Romanis Pontificibus improbitas importuna petentium, non tam obtinuisse quam extorsisse noscuntur etc. Ubi Glossa verbo *quam extorsisse* inquit: « Scilicet ab invito per talem importunitatem ». Ex altera vero parte reverentia maioribus debita timorque ipsos offendendi haud leviter instat. Ergo non immerito ambae huiusmodi causae insimul coniunctae censentur efficere metum cadentem in virum constantem ». Ita etiam Engel in *lib. I Decretalium tit. 1,* § F, *n. 4,* Clericatus, *De matrimonio decis. 37. n. 24,* D'Annibale, *Summula vol. I,* § *138, not. 14,* Gasparri, *Tractatus canonicus de matr. n. 8lo,* etc.

Ad secundum demonstrationis caput accedentes oratores evincere autumant Margaritam Augusto nupsisse ex metu reverentiali, nuptias irritante.

Primo ipsi animadvertunt, actricem religione et animi nobilitate ab omnibus commendari : eius depositionem sim-

plicitate eloquii, congruentia adiunctorum, animi lenitate, quodam sinceritatis sapore, veritatem redolere et illi concordare, quoad substantiam, quae affirmant eius mater, dominus de Belvalle, aliique testes, inter quos sunt venerandae matronae, viri aetate ac conditione spectabiles, de factis propriis deponentes, ita ut quaevis collusionis suspicio omnino exulet.

Hoc posito, ex dictis superius apparet, aiunt atricis defensores, ad evincendam huius matrimonii nullitatem ex metu reverentiali, sufficere haec quatuor demonstrare : 1. Margaritam, matrimonium cum Augusto semper odio habuisse ; 2. Matrem firmiter et perseveranter illud voluisse; 3. Ipsam, ad extorquendum filiae consensum, adhibuisse persuasiones ac preces importunas, instantes, instantissimas, usam esse verbis contumeliosis, se exhibuisse superciliosam nec placide loquentem ; 4. Tandem Margaritam consensum libere non praebuisse, sed matris imperiosae et in suo proposito firmissimae voluntatem subiisse, quia puella admodum timida, obsequentissima, et praevidens maternas obsessiones diu aut semper esse duraturas, non valuit resistere. Breviter de singulis.

Quod Margarita, dicunt eius patroni, hoc matrimonium odio habuerit ex actis usque ad evidentiam evincitur. Sed si Margarita, notant oratores, huic matrimonio intime repugnabat, mater illud exoptabat intuitu filiae felicitatis aliarumque familiae circumstantiarum consideratione.

Matrem ad extorquendum Margaritae consensum adhibuisse preces importunas, instantes, instantissimas, verba contumeliosa, se exhibuisse superciliosam nec placide loquentem, pariter certum esse contendunt advocati.

Tandem, urgent nullitatis coniugii propugnatores, Margaritam matrimonium subiisse, ut matri morem gereret, quia resistere nolebat puella timidissima, obsequentissima et praevidens haec diu aut semper esse duratura. Enimvero Margarita annum 14 aetatis agebat quando matrimonium eidem propositum fuit ; annum 16 quando matrimonium fuit cele-

bratum. Erat timida et obsequentissima erga parentes, uti testificantur quamplures.

Haec puella, observant oratores, adeo timida et obsequens erga matrem, praevidens matrem perstituram esse in exigendo matrimonio, nuptias subiit ne matrem offenderet, neve eidem displiceret.

Ex demonstratis, sustinent advocati, patere matrimonium fuisse revera contractum ex metu reverentiali, cum iis circumstantiis, quae metum reddunt impedimentum dirimens matrimonium. Atque hoc apodicticum argumentum confirmant ex his quae omnes testes affirmant, scilicet, matrem coegisse filiam ad hoc matrimonium; nec filiam fuisse unquam has nuptias inituram sine hac materna coactione.

Allata argumenta volunt advocati invicte confirmari, si pacata mente circumstantiae praecedentes, concomitantes, subsequentes matrimonium attendantur. Ante matrimonium enim Margarita dedit non dubia signa suae aversionis contra Augustum.

In ipsa caeremonia celebrationis matrimonii, observant patroni, signa extraordinaria moestitiae et contrarietatis non defuisse. Neque post matrimonium, dicunt Margaritae oratores, haec contrarietatis signa cessavisse.

ANIMADVERSIONES VINDICIS SACRI VINCULI. Vinculi autem defensor ex adverso animadvertere incipit, quomodo ne unus quidem testium a studio partis immunis sit, et a iudice solummodo, ex actricis parte, testes excussi sint. Quapropter, iis in adiunctis, veritas ex proprio fonte quasi aqua non erumpit, sed vinculi defensor coactus est eam colligere ex illis narratiunculis adversus matrimonium, impenso compositis studio, a quibus illae tantum veritates se produnt, quae nulla prorsus ratione celari possunt, aut praeter, imo contra testium intentionem, furtive ab ipsorum ore excidunt.

Certum ante omnia est, ait defensor, matrimonium inter Margaritam et Augustum, initum esse ritu solemni atque magna comitante caterva, et tum Margaritam in aetate septemdecim annorum fuisse iam constitutam, ac ad delibe-

randum duos annos, antequam matrimonium celebraretur, habuisse.

Quae descendat ex incontroverso huiusmodi facto iuris consequentia, notat orator, nos docet S. Rota, in *decis. 149. § 1* coram Ratto : « Cum agatur de matrimonio contracto coram parocho et duobus testibus iuxta formam praescriptam a sacro Concilio tridentino in *sess. 24 De reform, matrim, cap. 1,* et in ipso celebrationis actu intervenerit liber consensus utriusque contrahentis, omnis praesumptio militare debet pro validitate eiusdem matrimonii, nullaque ratio habenda est de oppositis exceptionibus, quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces, ut incontinenti et concludentissime, evincant praetensam nullitatem, sive ex defectu liberi consensus, sive ex alia irritanti causa promanantem ».

Recolit etiam defensor, quod *Instructio a S. C. S. B,. U. Inquisii, die 20 Iunii 1883 edita in artic. tert. de impedim. vis et metus, § 39* praecipit : « In hac re iudex sciat, matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint. Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat ».

Orator, ulterius progrediens observat, quomodo expletis nuptiis Margarita voluptuario itineri una cum viro se committit atque coniugali per octo annos indulget genio. Et si elapsis octo ab hymenaeo annis Margarita a viro discessit, non iam discessit, quia cessaverat causa praetensi metus, nempe mater elata erat ; nam mater vivebat et vivit : imo praesentem litem ipsa fovit. Absque ambagibus Margarita profitetur : « Je l'ai laissé (Augustum) enfin parce qu'il devenait de plus en plus désagréable. Il avait mangé ma fortune ». En causae ob quas Margarita viro valedixit: « Parce qu'il devenait désagréable et avait mangé sa fortune ». Ubinam igitur est decantatus metus reverentialis, exclamat vin-

culi tutor? Reverentialis metus, qui ceteroquin minime in rerum natura existit, prosequitur ipse, tum temporis neque in Margaritae cogitatione existebat. Omnibus enim notum est laicos iudices matrimonia absque scrupulis cassare, quae irrita quacumque ex causa suspicari possunt. Eapropter Margarita, ab anno 1886, cum a viro discessit, irritum apud saecularem magistratum proclamasset matrimonium, si reverentialem metum in medium afferre potuisset. Ast Margarita ne quidem matrimonium cassare cogitavit, sed bonorum separationem petiit. Ab anno 1887 ventum est ad annum 1893; interea Margarita Augusto elargita est ingentem pecuniae summam libellarum 100,000 ac die 17 Maii 1893 Margarita Emo Parisiorum Archiepiscopo supplicem libellum porrexit, ut suum matrimonium, metu reverentiali contractum, nullum atque irritum declararetur.

Obiicit ulterius sacramenti tutor, in praesenti metum reverentialem genericis tantummodo verbis coram iudice assertum esse.

Annae Schneider testimonium defensori suspectum est, quia ipsa est acatholica et nescitur an loquatur de scientia propria vel de auditu alieno. Praeterea, prosequitur orator, incussio metus, « fermer la bouche » est quid facti. Facta itaque Anna in medium afferat : referat quid praestiterit, quid mater egerit, ut filiae os occluderet: edat diverbia Margaritam inter eiusque matrem, nec non inter Margaritae parentes : in confessis namque est Margaritae patri, Augustum haud fuisse bene visum. Anna testes, si qui, praeter ipsam aderant, indicet, tempora, loca aliasque huiusmodi circumstantias designet. Usque dum Anna contenta est asserere « la mère fermait la bouche à sa fille » eius narratiuncula spernenda est.

Metus sive communis sive reverentialis, urget ligaminis propugnator, non concipitur absque factis verberum, saevitiarum vel minarum, si sit communis, importunarum vero precum ac suasionum, si reverentialis. Praesenti autem in causa, nemo vidit Margaritae matrem filiam importune ob-

secrantem aut suadentem. Ideoque si concederetur constare in casu de metu reverentiali, nil facilius esset quam metum probare.

Ut metus, ait orator, sive communis, sive reverentialis gravis censeatur proindeque matrimonium dirimat, quinque fulciri debet conditionibus, quas probe refert Sabellius *summ, divers, tract. § Metus n. 3 :* « Prima ut malum quod timetur sit grave ; Secunda ut aestimatio mali sit fortis, idest ut timens non vane aut leviter credat malum illud sibi imminere, sed probabiliter ; Tertia ut metum incutiens potens sit minas exequi, cum non sit viri constantis ac fortis quibuscunque minis terreri ac trepidare ubi non est timor; Quarta ut sit solitus exequi minas ; secus si sit homo iactabundus et facilem iram deponens ; Quinta ut timens non possit facile occurrere malis, quae sibi timet imminere ; quia si posset alia ratione mederi, non est iustus metus ». Et Schmalzgrueber *Ius. can. part. 5, tit. 40, n. 3,* scribit : « Ex quo sequitur quod omnis ille metus, qui his quinque conditionibus instructus non est, non sit gravis metus respectu illum patientis ».

Comparat nunc defensor, in casu metum reverentialem, cum recensitis quinque conditionibus, et relate ad primam; sustinet nullum grave malum Margaritae imminere, si nuptias recusasset, ac de facto nullum ipsa reformidabat malum, sed Augusto denupsit, ut matri rem gratam faceret. Certe Maria Magdalena actricis soror, cum ab ipsa quaesisset : « Pourquoi le (Augustum) prende-tu ? » Margarita, respondit : « C'est seulement pour être agréable à ma mère ». Concinit Margarita Filippi, quae iurat : « C'est pour plaire à sa mère, qui tenait à ce mariage, qu'elle s'est laissée entraîner à l'accepter ».

Nec dubitandum est, notat sacramenti tutor, quin prima ista conditio gravis mali aeque obtineat in metu reverentiali. Metus enim quocumque tandem nomine censeatur a Paulo in *I. 1 § 1 ff. quod metus causa* definitur : « Instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio » : quae quidem

mentis trepidatio sine gravi impendenti malo concipi nequit. Quapropter Sánchez *de matr. lib. 4, disp. 6, n. 14* resolvit: « Si filia matrimonium contrahat non praecedentibus minis, solum eo timore ne patris indignationem incurrat, esse validum; non enim metus censetur cadens in virum... Hoc tamen moderarer, ut intelligatur quando indignatio illa patris non diu perdurabit, sed spes est futurae reconciliationis: si enim timeret probabiliter diuturnam futuram fore indignationem et semper se habituram patrem... valde infestum et indignatum, obiecturumque passim illam inobedientiam crediderint esse timorem cadentem in virum constantem. Quis enim vir constans et prudens non reputabit grave malum semper coram oculis habere infensum patrem. . . . cum quo semper versaturus est? »

At praesenti in causa, inquit orator, neque diuturna, neque brevis fuit matris indignatio, sed exulat omnino ; quinimo mater ultra solitum filiae indulgebat. Ad rem Maria Milliasson: « Madame n'a pas exercé une pression de violence sur sa fille ; elle a plutôt flatté sa fille et a cherché à la convaincre qu'elle serait heureuse de ce mariage ». Et Comitissa Berthier : « La mère qui gâtait toujours sa fille, la gâtait davantage encore pendant ce temps la, pour forcer son assentiment ».

Altera conditio est ut non vane aut leviter grave malum quis credat sibi imminere, sed probabiliter. At nullam prorsus Margaritae fuisse rationem timendi in confessis est, ait matrimonii propugnator.

Nec magis casui, prosequitur defensor, quadrat tertia conditio, quae exigit ut metum incutiens potens sit minas exequi. Quid enim mali filiae mater inferre poterat, cum pater viveret, qui huiusmodi nuptias minime in votis habebat?

Multo minus, sustinet matrimonii assertor, adimpleri quartam conditionem, quae postulat ut metus incutiens sit solitus minas exequi. Nullus invenitur testis qui matrem quandoque viderit filiae infensam, indignatam, superciliosam, obiicientem passim ei inobedientiam illam.

Quinta demum conditio est ut timens non possit facile occurrere malis, quae sibi timet imminere. In themate autem, neque ultima ista conditio verificatur. Integrum profecto erat Margaritae rem pandere Augusto, qui profitetur: « Je ne l'eus pas épousé, si j'avais pu subçonnner de sa part une aversion à mon égard, ou même une pression quelconque ».

Sed, exclamat vinculi propugnator, omnia extraordinaria, prodigiosa atque secum pugnantia praesenti in causa sunt. Nam; etsi matrimonii tractatus duos annos perduraverint, etsi omnes e familia ac pater praesertim parati essent Margaritae opem ferre, si Augusto, se nubere nolle manifestasset; Margarita tamen nemini nec patri id manifestavit.

Die tamen, 11 Ianuarii 1894, prosequitur indissolubilitatis assertor, urgente Iudice ut rationem redderet libellarum 100,000, quas Margarita antequam sententiam divortii obtineret Augusto promisit, eaque obtenta persolvit, respondet : « Au moment où il a *été* question de demander le divorce, Mr. Auguste a fait remarquer qu'il allait se trouver dans une situation difficile, fausse, puisqu'il ne pouvait plus compter sur la situation et c'est alors que nous avons cru devoir lui offrir la somme de cent mille francs ».

Non liberalitatis causa, sed ex contractu oneroso, pro* viribus contendit orator, Margaritam Augusto ingentem summam solvisse. In probatis namque est, summam tenuiorem Augusto primum oblatam fuisse, at Augustum summam libell. 100,000 inferiorem accepto habere noluisse : quod non liberalitatem, sed contractum onerosum manifeste demonstrat. O nimis bona Margarita, exclamat defensor ! Nonne ab anno 1886 Augusto valedixisti, et bonorum separationem assecuta es? Sex vel septem post annos, cum Augustus absque tua pecunia vivere assuetus est, misericordia commoveris? et 100,000 libell. Augusto, summam tenuiorem respuenti, elargiris ?

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

## Dubium

*An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. C. re disceptata sub die 7 Septembris 1895 censuit respondere: *Ex deductis non constare de nullitate matrimonii.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Deficiente formali probatione veri metus reverentialis, matrimonium in themate permanere in sua vi et robore.

IL Praesumptionem militare pro validitate matrimonii, quoties ad formam Tridentini celebratum fuerit coram parocho et duobus testibus, et in ipso actu celebrationis intervenerit liber consensus utriusque contrahentis.

III. Exceptiones oppositas contra validitatem matrimonii, rite celebrati, pro nihilo habendas esse, nisi fuerint adeo perstringentes et efficaces ut incontinenti evincant praetensam nullitatem, sive ex defectu liberi consensus, sive ex alia irritante causa promanantem.

IV. Matrimonium esse per se quoddam factum solemne, et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes illius nullitatem apprime demonstraverint.

# EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

## S. DEODATI

### FACULTATIS AUDIENDI CONFESSIONES ET PRAEDICANDI

*Die 13 Februarii 1896*

COMPENDIUM FACTI. Decreto diei 28 Iunii 1891 Episcopus S. Deodati nominabat ad paroeciam S. Apri in Mattineuria suae dioecesis parochum sacerdotem Marchai. Verum Canonici Regulares Lateranenses rati, hoc decretum suorum iu-

rium laesivum derivantium ex conventione inita inter Episcopum et Ordinem praelatorum Regularium an. 1878 et a S. Congr. EE. et RR. approbata eodem anno, per suum Abbatem Generalem recursum ad eandem S. Congr. obtulerunt, et quaestione discussa in Generalibus Comitiis diei 9 Martii 1894 sub dubio - *An decretum Episcopale diei 18 Iunii 1891 sustineatur in casu* - Emi Patres rescripserunt: *Negative* (1). Quae decisio confirmata fuit etiam in Congr. Plenaria diei 24 Augusti eiusdem anni.

Hac edita decisione, Abbas Generalis Canonicorum Reg. Lateranensium illico instetit apud Episcopum circa modum practicum ipsam exequendi, interim petens ut Canonici Regulares Lateranenses in Mattineuria existentes ad facultatem confessiones audiendi et praedicandi rehabilitaren tur.

Cum petitioni obstitisset Episcopus Abbas Generalis rem exposuit S. Cong. per oblatum libellum, in quo dum declarabat, pro nunc nuntium mittere possessioni paroeciae de Mattineuria stante obice ex parte Gubernii et Municipii localis, urgebat tamen petitam redintegrationem facultatis qua, ipse aiebat, sui religiosi iniuste privati erant.

E contra Episcopus in suis uteris responsi vis S. Congregationi sub die 25 Martii 1895, praemisso quod reservatio regressus ex parte religiosorum ad paroeciam de Mattineuria erat modus perpetrandi in ipsa perturbationem acriter, contendebat expostulatam redintegrationem neque *in iure* neque *in facto* admitti posse. Non *in iure* quia facultas concessa Canonicis Regularibus Lateranensibus excipiendi confessiones et praedicandi fuit dependenter a munere parochiali, cum data fuerit nullo praevio examine et per simplicem approbationem ad paroeciam ; ideoque praefato munere cessante, etiam adnexa facultas cessavit. *Non in facto,* quia si canonici Regulares Lateranenses rehabilitarentur, totis viribus eniterentur ad recuperandam paroeciam conciliando favorem aversi sibi populi et ita scandala et iurgia exoriri possunt stante Municipii et Gubernii oppositione.

(1) Haec causa relata et tractata fuit Vol. XXVI pag. 624.

## Disceptatio Synoptica

OBSERVATIONES EX OFFICIO. Rmus Advocatus Summista animad ver tebat, in linea iuris statutum esse tamquam generale principium, Ordinarium non posse indistinctim omnibus religiosis suae dioecesis vel omnibus religiosis alicuius Instituti facultatem denegare excipiendi confessiones et praedicandi in dioecesi : ita tradit *Card. de Luca de Iurisdict, dis. 32 n. 10. Et ideo quemadmodum si Episcopus omnibus religiosis denegar et facultatem audiendi Confessiones vel praedicandi, possent ipsi iuste conqueri, atque mediante, recursu ad Superiores illum cogere ad huiusmodi facultatem eis tribuendam, eoe deductis per Companit.;* ita *Giraldi Ius Ponti f. par. 1. lib. 1 Decretal, tit. 31 de officio iudicis Or*-dinarii* et signanter Lucidi de Visitatione SS. LL. vol. 2. cap. 4. § 4. *Nec possunt Episcopi, inconsulta Sede Apostolica, omnibus simul unius Conventus confessariis, iam a se vel a suis praedecessoribus approbatis adimere facultatem audiendi confessiones, licet ex rationabili causa aliquos suspendere eis liceat ex citata Constitut. Superna Clementis Papae X.*

Ad argumentum autem ab Episcopo S. Deodati productum, quod haec facultas cum esset subordinata exercitio muneris paroecialis, *ipso facto* cessaverit per muneris paroecialis amissionem, Rmus Summista reponebat, quod Canonici Regulares Lateranenses a paroecia exturbati fuere per factum iniustum et violentum, uti patet ex supra relata S. Congr. decisione, quae iussit Regulares praefatos in iura paroecialia esse restituendos : proindeque allegatum factum utpote iniustum et violentum non potuit gignere privationem facultatis excipiendi confessiones et praedicandi.

Quoad vero rationem facti, ab Episcopo allegatam, nempe quod concessa dicta facultate, canonici regulares Lateranenses, *curam per aversum populi animum amissam, recuperare ambientes, variis blanditiis favorem plebis Matti-*

*neuriae sibi conciliare adnitentur, dum Administrator Saecularis nihil reliquum habebit, ut hunc favorem sibi retineat;* etiamsi hoc admittatur, utrum sit motivum sufficiens pro deneganda petita redintegratione, id pro solutione remittebat iudicio et prudentiae Emorum Patrum.

Hisce discussis ad propositum

## Dubium

*An Episcopus S. Deodati teneatur redintegrare in facultate excipiendi confessiones et praedicandi in sua dioecesi Canonicos Regid ares Dater anen ses, Maltineuriae degentes in casu ì*

RESOLUTIO. Sacra Cong. Epis, et Reg. quaestione disceptata sub die 13 Feb. 1896, rescribere censuit, *Affirmative.*

EX DICTIS COLLIGES I. Semel concessa ab Episcopo facultate excipiendi confessiones vel praedicandi, haec pro lubitu revocari non potest, quia haec privatio cum sit poena, proportionatam exigit causam. Iam vero in casu pro revocanda dicta facultate a canonicis Regularibus Lateranensibus nulla alia ratio suppetebat, quam factum expoliationis violentae a paroecia de Mattineuria, quae haud erat legitima.

II. Quamvis Episcopus ex iusta causa possit non concedere facultatem audiendi confessiones vel concessam auferre religiosis in individuo iuxta Conc. Trid. *sess. 23 de Reform, cap. 15.* tamen quando agitur de omnibus religiosis conglobatim, vel unius conventus, id peragere nequit inconsulta S. Sede, ob periculum scandali uti etiam praeter supra allegata eruitur ex seq. decreto S. Cong. Epis, et Regul. sub die 20 Nov. 1615. *Quamvis pluries et saepius, inhaerendo apostolicis constitutionibus decreverit et declaraverit, ordinarios locorum non j.osse nec debere facultatem audiendi sacramentales confessiones omnibus simul unius conventus regularibus adimere, ipsa Sac. Cong. inconsulta et ademptam restituere iusserit . ... . S. Cong. Patres rati vix fieri posse, ut haec sine scandalo magnaque animarum*

*pernicie contingant, re mature perpensa ad omnem scandali materiem submovendam . . statuunt ac decernunt Archiepiscopos, Episcopos... confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventas Regularibus Confessariis, eadem S. Cong. inconsulta, nullo pacto adimere posse.*

# EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE SSmi D. N. Leonis XIII quo plura inducentur privilegia peregrinantibus ad sancta Palestinae loca.

Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigiis insistentes, qui iugiter pias ad sancta Palaestinae loca Christianorum peregrinationes commendarunt atque indulgentiis iuverunt, iam inde ab anno MDCCCLXXXII peregrinationes expiatorias cura patrum Augustinianorum ab Assumptione suscipiendas, et meritis laudum praeconiis prosequuti sumus, et per litteras Nostras die VI martii mensis datas, spiritualibus quibusdam peculiaribus gratiis decoravimus. Expectationi autem Nostrae plane respondit eventus. Sequentibus enim annis erga purpurata Divino Sanguine loca, fidelium studium in Gallia potissimum excitatum atque auctum; Episcopi, Sacerdotes, laici, plura Christianorum millia dictis peregrinationibus nomen dare properarunt; horum exemplis Christi fideles in Oriente degentes in fide sunt confirmati : denique mirabilis huiusmodi Orientalium cum Occidentalibus consensus suavi animum Nostrum laetitia replevit, et in spem optimam erexit. Et sane auctore et auspice dilecto filio Francisco Picard, Praeposito generali Augustinianorum ab Assumptione, qui quindecim annorum spatio expiatoriis hisce peregrinationibus egregia quidem laude praefuit, erectum est Hierosolymae hospitium Nostrae Dominae sacra et civili auctoritate probatum, pro peregrinis excipiendis, aperta ibidem pia domus studiorum pro religiosis ab Assumptione : habitus Eucharisticus Conventus pluribus adstantibus Patriarchis et Antistitibus, tum latini ritus, tum orientalis, positusque auspicatissima illa occasione primus lapis Ecclesiae Nostrae Dominae Galliarum per Cardinalem Apostolicae Sedis legatum ; tandem illud

templum modo absolutum et structura praenobile sedes est, tum operis piacularium precum peregrinationum memoratarum, tum piae Associationis, canonice ibi institutae pro suffragiis rite ferendis animabus fidelium defunctorum ex Ecclesiis tum Orientis, cum Occidentis, quae purgatorio in igne detineantur. Iamvero quum ipse Praepositus Generalis Augustinianorum ab Assumptione enixas Nobis humiliter preces adhibuerit et Indulgentias, singulis annis, vi supradictarum litterarum Nostrarum, iis peregrinationibus concessas in perpetuum elargiri nonnullaque addere privilegia de benignitate apostolica velimus, Nos ut tam, frugiferae pietatis opera maiora, favente Domino, suscipiant incrementa, et praesertim preces quae dictorum Operum cura pro Ecclesiarum Unione ad Deum iuxta mentem Nostram effunduntur uberiori fiant cum animarum fructu, piis his votis annuendum propensa voluntate existimavimus. Itaque tam religiosos patres ab Assumptione, quibus earumdem peregrinationum regimen est demandatum, quam fideles qui in exercitium pietatis, obedientiae, mortificationis, et abnegationis sui ipsius, simulque in spiritu charitatis et precum, idem iter suscipiant, peculiari benevolentia complecti volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica nostra auctoritate praesentium tenore, ad nutum Sedis Apostolicae, haec quae infrascripta sunt concedimus atque indulgemus. Nimirum omnibus et singulis fidelibus qui nunc et in posterum quolibet anno expiatoriam huiusmodi peregrinationem susceperint, et in ipso itineris ingressu Moderatori pro tempore debitam obedientiam professi sint, plenariam concedimus indulgentiam pro die discessus, ac pro die ab unoquoque eligendo durante peregrinatione : dummodo rite confessi sacraque Communione refecti aliquamdiu iuxta Romani Pontificis mentem orent pro extirpatione haeresum, sanctaeque Ecclesiae necessitatibus et exaltatione. Has vero conditiones adiectas volumus aliis omnibus plenariis indulgentiis infra concedendis, quas universas in suffragium etiam converti posse permittimus fidelium omnium, qui pie ex hac vita excesserunt. Illis autem qui domi detenti per alios a se missos, vel per eleemosynas, vel in alio modo suffragati fuerunt cuilibet e peregrinantibus memoratis, et illis etiam qui

spiritu iuncti cum peregrinationibus sibi indicant aliquem mortificationis aut pietatis actum quotidie exercendum, tempore quo respectiva peregrinatio perduraverit, nempe abstinentiam aliquam, Missae auditionem, exercitium Viae Crucis, recitationem Rosarii, vel septem psalmorum poenitentialium, aut alicuius e parvis Officiis approbatis, plenariam Indulgentiam concedimus lucrandam ad libitum uno e diebus festis, durante respectivae peregrinationis spatio occurrentibus. Quo vero consultum sit earumdem peregrinationum tempori, concedimus ut quotidie in navi, servatis servandis, sacrum fieri possit, et sacra petentibus communio distribui. Potestatem pariter facimus Moderatori pro tempore cuiusque peregrinationis in posterum peragendae et aliquot sacerdotibus ad confessiones approbatis, ab eodem designandis, excipiendi peregrinantium confessiones. Pro mulieribus tamen, excepto aegra rum decumbentium casu, volumus adhiberi ut in exedris, apto in loco ponendam cratem, quae sacerdotem a poenitente seiungat. Et ne peregrinantes careant beneficio exercitii Viae Crucis tum in navi, tum ubi illa non habeatur canonice erecta, concedimus ut ipsi lucrari valeant indulgentias omnes eidem exercitio adnexas, si illud obeant coram praelata vectibili Cruce. Cum vero ad loca sancta pervenerint indulgemus ut peregrinantes apud unumquodque Sanctuarium quod visitaverint, eas omnes indulgentias assequi valeant quas lucraturi forent si praecipuo eiusdem Sanctuarii festo interessent. Quod si alicuius ex iis Sanctuariis angustiae nec universos fortasse admittant peregrinos, nec sinant sacerdotes omnes peregrinantes ibi Sacrum facere, decernimus ut respectivae peregrinationis Moderator rem agat cum Patriarcha Hierosolymitano, cui, dummodo locorum mores, et incolarum ingenium istaec citra ullam offensionem perfici patiantur, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi facultatem committimus, impertiendi veniam ex qua Missae sub aperto coelo ibi fieri servatis servandis queant, et sacra peregrinis Eucharistia diriberi, ita ut per haec indulgentiae visitationi illius sanctuarii adnexae perinde acquirantur, ac si Sanctuarium fuisset reapse visitatum- Tandem, de Apostolicae similiter potestatis Nostrae plenitudine praesentium vi, itemque in perpetuum, in Sanctuarium quod ante memoravimus, Hierosolymae erectum, Nostrae Dominae Galliarum, indulgentiam plenariam transierimus Virginis Sepulchro adnexam, quod a Schismaticis detinetur et gravi absque discri-

mine a piis peregrinantibus visitari nequit. Haec concedimus atque indulgemus decernentes praesentes Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit in omnibus plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die XVIII aprilis MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

C. CARD. DE. RUGGIERO

L. * S.

# EX 3. CONGREGATIONE RITUUM

NEAPOLITANA Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Mariae Crucifixae a Vulneribus D. N. I. C. Ordinis Minorum Excalceatorum strictioris observantiae S. Petri de Alcantara Neapolitanae provinciae.

## SUPER DUBIO

*An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?*

Auctore Deo obtigit providenter, ut, infestis plane virtuti temporibus, eximio religioni adiumento esset, et, quamvis tenui atque obscuro genere Neapoli edita an. MDCGLXXXII, ob pietatis tamen praestantiam omnium in se admirationem converteret Ven. Maria Crucifixa, Apostolo peculiarem in modum obsecuta, ut unice *quae Dei sunt virgo eogitaret.* Rebus enim, iam inde ab aetatis

exortu, innocenter gestis sancta passim appellabatur, utque septennium iniit, illi charitatis spiritui arctissime adhaesit, quo quidquid virtutem saperet protinus assequi et in eius exercitio consistere mirum quantum adlaboraret. Quamquam autem in coenobium sese recipere solemnique claustri lege adstringi non potuit, in eo cui se devoverat sanctimoniae gradu cum absolutis vitam exemplaribus componere studuit; quodque sibi in desideriis iamdudum fuerat, Christo auspicante et suasore, tertii Alcantarensium coetus ratione officiisque susceptis usque adeo inclaruit, ut eosdem ingressa mores eandemque fere disciplinam constanter prosecuta, ad b. Mariae Annae a Iesu et satius s. Franciscae a Quinque Vulneribus praeclariora exempla prae ceteris exprimenda, aemulae imitationis operam assiduo contulerit. Idcirco virtutum omnium, ac potissimum penitae animi demissionis, angelici morum candoris, sibique ab incunabulis socii in Iesum, quem suum vocabat delicium, amoris incensi tantam laudem portendit, quanta ingentem, quoad in terris ageret, sibi apud omnes famam compararet. Quod eiusmodi evasit, ut cives vel plurimi longe conspicua dignitate illam invisere, et sacrorum Antistites quique praesertim sacerdotes ab exomologesibus erant, illam percontari sibi honori et solatio ducerent; Neapolitana in universum civitas ad eam continenter afflueret, consiliorum opem rogatura in dubiis quibus laboraret ad discrimina praesertim deprecanda; et Mariam Cruciflxam unusquisque inclamaret immortale *lumen* promeritam, cuius *fructus est in omni bonitate et iustitia et veritate.* Immo quomodo in virtutum facultate eniteret, argumento fuit singulari, quod, rebus publicis in Europa restitutis, insignem saepenumero existimationem testatus, sacro etiam reliquiarum dono eam augere non dubitaverit Pius VII Pontifex Maximus post suum a quinquennali exilio in urbem reditum, quem fusis ad Deum feliciter votis ipsa maturasse non immerito putabatur. Qua enim praestabat sanctimonia, huic fidem cumulare cummaxime videbantur caelestia charismata, prodigia ad eius preces effecta, et impleta vaticinia, quibus, afflante Numine, quod *infirma mundi eligit ut fortia quaeque confundat,* futura praenuntiare soleret. Quanta vero, dum vita suppeteret, commendatione pietatis erat instructa, eadem quin ad sepulcrum interciderei, altius radicibus actis, potiores a funere vires sumpsisse indubia testimonia declarant, postquam annos nata quatuor et quadraginta, decimo septimo calendas ianuarias,

mundi pertaesa et supernis cupide intenta, propitia charitatis qua penitus absumebatur victima pientissimo exitu in Christo quievit. Magno omnium desiderio elatam, transactae integerrimae aetatis florem vel nulla labe notatum coelo intulisse, et quos fido olim in terris complectebatur amore, his, angelis additam, sancta a Deo munera exorare non desiisse mira quaedam eloqui ferebantur. Atque vividiore in dies recordatione procul dubio permoti, paucis annis ab eius obitu elapsis, instauratas Dei famulae laudes impensius recolere et beatificationis causam penes Apostolicam Sedem dicere, ne in ancipiti sileret aut obiectis carperetur, praesules gentesque nunquam praetermiserunt. Quocirca ceteris, Romae, Neapoli, Theani et Beneventi, ad iuris apicem conquisitis copioseque compertis, testium auctoritate eademque eximia satis perpensa, et difficultatibus, quaecumque eae demum essent, penitus amotis, S. R. C. examen de Mariae Ciflxae virtutibus, quae heroicum culmen essent adeptae, conficiendum suscepit. Proinde triplex de re tanti momenti disceptatio instituta. Primo quidem actum in coetu antepraeparatorio ad aedes indicto cl. m. Cardinalis Antonii Pan ebianco, huiusce causae Relatoris, quinto calendas iulias an. MDCCCLXXXII; dein in congregatione praeparatoria ad Apostolicum Palatium Vaticanum coacta nonis iuliis an. MDCCCXCI; ac tandem apud Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII in generali conventu, sexto idus martias hoc labente anno MDCCCXCVI, in quo, vice Rmi Cardinalis Raphaelis Monaco La Valletta Cardinali Panebianco e vivis erepto in Causae Ponentem suffecta, Rmus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella S. R. C. Praefectus dubium instituit: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum ; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servae Dei Mariae Crucifixae, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Atque omnia quae Rîîii Cardinales ceterique Patres S. R. C. Consultores suffragia prodiderunt percepit Beatissimus Pater, libenterque agnovit *admiraridum omnium virtutum specimen et exemplar in venerabili humilique ancilla Maria Crueifixa Deum exhibuisse. Confidere autem* ait, *huiusmodi exemplar, si tempore calamitoso quo ipsa vixit, tam multis extitit salutare, eo magis, acédente praesertim patrocinio eius caelesti, miserrimae nostrae aetati fore opportunum.* Sed quamvis *bene de causa ominaretur, interea* ta-

men *decretorium iudicium suo tempore, auspicante Deo, proferendum* Sibi *reservavit.*

Hodierno vero laetissimo die, per solemnia Christi Ascensionis in caelum, ipso sane adspirante, ut causa haec, supremo adiecto Auctoritatis Apostolicae testimonio, ad optatum fastigium feliciori gressu adveheretur, iure firmandum censuit Mariae Crucifixae decus, quae pro rei catholicae causa novam Christi gloriam in Ecclesiae et Pii VII triumpho vel sua vita emere optaverat. Quapropter Sacris in proprio Sacello operatis, hanc Vaticanam aulam Pontifex Sanctissimus accessit, solioque assidens ad se acciri mandavit Riïium Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella, S. R. C. Praefectum, una cum R. P. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munus gerente, meque infrascripto Secretario; iisque adstantibus, erecto animo esse voluit clerum populumque Neapolitanum, eorumque iteratas enixasque preces impleturus rite edixit: *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servae Dei Mariae Crueifixae a Vulneribus D. N. I. C, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Praeterea hoc Decretum evulgari et in acta S. R. C. referri iussit, pridie idus maias an. MDCCCXCVI.

C CARD. ALOISI-MASELLA 5. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

ROMANA seu Praenestina et Tridentina beatificationis et canonizationis venerabilis Servi Dei Stephani Bellesini Ordinis Eremitarum S. Augustini Parochi in oppido Genestano.

## SUPER DUBIO

*An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?*

Qui christianae perfectionis ardor Ven. Stephanum Bellesini, ut *conformis fleret imaginis Filii Dei,* iam usque ab ineunte aetate singulariter ceperat, idem sane, quin minueretur intercessu

temporis, virum obitis in exemplum muneribus probatissimum, maiori in dies studio, ad vitae exitum est prosecutus. Iure igitur factum, ut innumeras easque egregias virtutes ab ipso excultas concordibus omne genus suffragiis populi cumulaverint, non solum Tridenti ubi hanc lucem hausit, traductâque nitide pueritia humanisque abdicatis sese Christo asseclam statuit dare; et Bononiae, ubi, votis inter Augustinianos iam rite conceptis, integra profecto laude in litteris versabatur: verum etiam Romae, quam in urbem instaurata Europae pace se recepit, sibique concreditis Ordinis tyronibus quum doctrinae tum sanctitatis magister praeluxit; et Genestani praesertim, quod oppidum, ad arduum curionis officium evectus cum sex supra quinquaginta annos excessisset, mirum in modum illustravit. Immo Acton et Corsi Patres Cardinales, haud pauci sacrorum Antistites, aliique quorum est ceteris exemplo antecedere, Beilesini solebant Angelum nominatim compellare, et moribus sibi adiunctis alterum Aloisium Gonzagam aut Philippum Nerium; innocentiae fama, longe a multis, ceu solem ab astris, excellentem; martyrem charitate adactum, cum praestantioribus conferendum; et virtutis potius prodigium quam decus. Praeterea tantum omnium in se obsequium concitavit, ut accesserint quoque adversariorum testimonia, qui licet alii aliis nequiores, animis tamen ad unum adductis in eandem sententiam, Stephanum *bene omnia fecisse* apprime loquebantur; nihil quod a Dei optatis vel parumper abesset, esse molitum; amore in alios ita elatum, ut nihil supra, iustitiam in cunctos, qua valeret cura, sollerter invexisse. Denique quotquot eius consuetudine, postremos potissimum undecim annos, uterentur, constantiam utrique clero ad imitandum memorant, qua, *forma gregis^ ex animo et omnibus omnia* effectus, non modo ludis docendi aere suo institutis, et adolescentibus ad religiosam perfectionem informatis, sed populis etiam, laboribus continenter exhaustis, ad fidem incensis, praeter ceteros enituit. Quo enim devexa iam aetate fractisque viribus debilior, eo acrioribus cordis stimulis actus nunquam muneris contentionem remisit athleta Christi fortissimus; et robur ab ipso discrimine adeptus, ad meliora ut potis erat summopere intendit, magnique nihil duxit praeter Dei gloriam et animorum salutem provehendam. Ut autem societatis bono consuleret et iniurias Ecclesiae illatas arceret, nil vita aerumnis exacta et scelestorum odio commoveri, adhibitasque in se minas spernere suevit, *dis-*

*solvi cupiens et esse cum Christo;* atque unum interea sibi in deliciis habere, ut caelestes flammas aliorum etiam pectoribus cummaxime inderei, illis merito accensendus, quos Gregorius cognomine Magnus *Seraphim* vocabat, *quorum cor in ignem conversum lucet et urit,* quosque sapientia perinde ac pietate usos, *neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia potuit separare a charitate Dei.* Haec vero omnia suprema sane commendatione complevit qui, ad civium incolumitatem, vitam quodammodo in agone profundere non renuit. Nam Genestani, dum lethaliter infectis diu noctuque sedulus adesset, lue ipse correptus, summumque boni pastoris praemium assequutus, anima pro ovibus posita, nobilissimam mortem oppetiit ipso die quo de Virginis Deiparae Dñae Nostrae lustratione solemnia instituuntur, quarto nonas februarias a. MDCCCXL. — Quapropter, ut sui memoriam, quum mortalem aetatem degeret, in omni sanctimoniae genere alte ille impresserat, ita mirum nemini, si, statim atque placidissimo fine ad caelestes abiit, potiorem in dies omnium fuisse sententiam monumenta testentur de beatorum honoribus ei comparandis, cuius vita sanctissime acta supernis abunde charismatis multisque, ut feruntur, ad sacros eius cineres patratis a Deo prodigiis, veluti consecrari videbatur: quique ad se solatorem suumque tumulum confugientibus nova adauctus corona facilius prospiceret, Ecclesiaeque iura, hac temporum vicissitudine, in dignitatem vindicaret. Itaque tribus vix annis a supremo die obitus elapsis, inita iugiter quaestione, ad S. R. C. causa eius est deducta; adornatisque pluries summa qua par erat iudicii severitate perquisitionibus, tabulisele confectis et ceteris omnibus ad iuris normas rite absolutis, ad virtutum examen, quae universa admiratione cohonestatae heroicum attingerent fastigium, perbrevi deventum est. Quod ut ab obiectis satis copioseque expediretur, triplici hac de re disceptatione est peractum: nimirum in comitiis antepraeparatoriis tertio calendas ianuarias an. MDCCCXC, apud Rmum Cardinalem Raphaelem Monaco La Valletta, cui munus causae referendae a Pontifice Maximo erat delatum; in praeparatoriis ad Apostolicum Palatium Vaticanum advocatis sexto calendas maias anno MDCCCXCIV; ac demum in generalibus ibidem habitis coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII pridie idus novembres an. MDCCGXCV; quo postremo in coetu Rmus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanensis, loco Riîii Cardinalis

Monaco La Valletta, dubium ad discutiendum retulit: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum; nec non de Cardinalibus Prudentia,- Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur Ì* Omnesque qui aderant Rmi Cardinales et Patres Consultores suffragia singuli edidere. Sanctitas vero Sua, quamvis adhuc superni luminis subsidium rogatura mentem patefacere distulerit, innuit tamen *revera Ven. Bellesinium, cuius causa agebatur, communi omnium sententia utrique clero praecelluisse omnis virtutis exemplar insigne. Quapropter ex intima, quae sibi inesset, persuasione, et ex perspectis aliorum responsis* cepit *auspicium fore ut opportuno tempore decretorum iudicium iuxta communia vota* Sibi *proferre contingeret.*

Die autem adveniente, quem faustissimo Christi in coelum ascendentis triumpho festum recolimus, illis, qui in pervigili parochi munere naviter obeundo se probarunt, adscribere heroem optavit, cuius industria, animis virtuti Ecclesiaeque revocatis, Iesu Christi triumphos omni conatu renovare sategerat. Atque Augustinensium enixe ad unum adprecantium vota solaturus, Pater Beatissimus omni solutum dubio animum pronumque persensit ad sententiam, qua ceteros ad eximii viri vestigia alacrius persequenda inflammaret eiusque virtutes meritis formatas laudibus proponeret, in quas peropportune cuncti ac speciatim curiones intuerentur. Idcirco Sacro religiosissime peracto, ad hanc Vaticanam aulam adiit, solioque pontificio insidens ad se accersi iussit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum, et Lucidum Mariam Parrocchi, nec non R. P. Gustavum Persiani, Sanctae Fidei Promotoris munere fungentem, meque simul infrascriptum Secretarium: iisque adstantibus solemniter pronunciavit: *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, earumque adnexis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Quod Decretum in vulgus edi et in S. R. C. acta referri praecepit, pridie idus maias an. MDCCCXCVI.

CAL CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. ii S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. R. C. *Secretarius.*

DUBIUM; quaeritur an Regulares, qui occasione praedicationis, apud diversas Ecclesias celebrant, obligationi subiiciantur celebrandi iuxta Kalendarium Ecclesiae, in qua celebrant.

Quamplures Regulares, ratione suae vocationis et praedicationis, quotannis per Quadragesimam totam, per menses maii et octobris et per alia quoque tempora Sacrum peragunt extra suas Ecclesias ; eaque de causa obtinuerunt ab Apostolica Sede privilegium celebrandi Missam iuxta kalendarium proprii Ordinis, quando color concordat cum colore Officii Ecclesiae in qua celebrant. Praeterea iidem Regulares habent privilegium, iuxta quod concessio illis per Apostolicam Sedem semel facta, iam amplius non debet revocata censeri, nisi de praedicta concessione fiat mentio specialis, vel saltem habeatur clausula revocatoria privilegii, etiam speciali mentione digni. Hinc quaesitum est: *Utrum Regulares, de quibus in casu, comprehendantur sub decreto Sacrorum Rituum Congregationis die 9 Decembris 1895 edito ?*

Sacra autem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, respondendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 8 Februarii 1896.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. % S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

RESCRIPTUM, quo Patribus Franciscanis Ecclesias asslsienses petentibus, peregrinationis causa, indulgetur celebrare missam votivam de s. Francisco in Sacello Portiunculae etc.

Hodiernus Pater praepositus moderandae Provinciae Seraphicae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, votis obsecundans tam ipsius Provinciae Alumnorum, quam Sacerdotum ad celebres Assisienses Ecclesias piae peregrinationis causa undique confluentium, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis precibus privilegium eiflagitavit, quo in Sacello Portiunculae nec non in altero, olim cubiculo, ubi sanctus Patriarcha obdormivit in Domino, Missam votivam de eodem sancto Confessore propriam cuilibet Sacerdoti liceat celebrare, etiamsi Officium ritus duplicis occurrat.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petitum Missae votivae privilegium in utroque enuntiatio Sacello celebrandae benigne indulsit, exceptis Duplicibus primae et secundae classis, Festisque de praecepto servandis, nec non Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Martii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

SENOGALLIEN. Dubium quoad imaginem defuncti exponendam in tumulo, dum eiusdem exequiae fiunt.

Rector cuiusdam Ecclesiae Parochialis intra fines Dioeceseos Senogalliensis, de consensu sui Ordinarii, sequens Dubium enodandum Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit, nimirum : An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiae fiunt, tam praesente, quam absente cadavere, exponi valeat eiusdem defuncti imago ; et quatenus negative, an saltem tolerari possit huiusmodi usus, ubi viget.

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad Dubium : *Negative quoad primam partem; et quoad alteram : Curandum ut eliminetur abusus.*

Atque ita rescripsit. Die 30 Aprilis 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI -S. *R. C. Secretarius.*

AMALPHITANA. Dubium quoad officia votiva, semel in mense concessa.

Rmus Dnus Henricus de Dominicis, Archiepiscopus Amalphitanus, ad instantiam Redactoris Kalendarii Archidioeceseos sibi concreditae, Sacram Rituum Congregationem pro insequentium Dubiorum solutione humillime rogavit; nimirum:

I. An Officia votiva, semel in mense concessa, peragi queant infra Octavas non Privilegia tas ; et quatenus negative : An expetendum sit Indultum ?

II. Utrum omitti possit Officium *ad libitum,* ut recitetur Officium votivum semel in mense concessum ; et quatenus affirmative: Utrum Officium *ad libitum* omissum transferri valeat in alium diem ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, respondendum censuit :

Ad I. *Negative ad primam partem: Non -expedire ad secundam.*

Ad II. *Affirmative ad primam quaestionem: Negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S,

A. TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

ORDINIS MINORUM. Dubium quoad privilegium, olim concessum Hispanis, canendi missas iuxta Ecclesiae Toletanae formam.

Rmus P. Commissarius Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci in Hispania a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem supplicibus votis postulavit ; scilicet :

An per recentiores eiusdem Sacrae Rituum Congregationis praescriptiones et declarationes abrogatum fuerit privilegium Hispanis concessum a s. m. Pio Papa V, per Breve 17 Decembris 1570 « Ad hoc nos Deus », quo in iis partibus Missae solemnes, quae canuntur, statuitur et praecipitur ut *eae iuxta Ecclesiae Toletanae formam in Hispaniarum Regnis ab antiquissimo tempore receptam, deeantentur ?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate expensis, rescribendum censuit: *Negative; et Detur Decretum die 7 Iulii 1894 editum.*

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

GERUNDEN. Dubia quoad administrationem sacramentorum communionis et extremae unctionis Monialibus cisterciensibus et quoad translationem earumdem cadaverum.

Sacerdos Michael Camos, Confessarius et Capellanus Monialium Cisterciensium Monasterii *de Chatinis* Civitatis et Dioeceseos Gerundensis, sequentium Dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime flagitavit: Quum iuxta Rituale Cisterciense, Communio et Extrema Unctio administrandae sint infirmis cum alba et stola et pro ipsarum Communione afferri debeant in Calice tot Particulae, quot sunt infirmae communicandae, ac praeberi ultimae communicatae, aut proiici in ignem, vinum et aqua ablutionis Calicis, quaeritur :

I. Utrum, quando Sacerdos saecularis administrat praefatis Monialibus Sacramenta, teneatur servare Rituale Cisterciense, an potius uti debeat Rituali Romano?

IL Si servandum sit Rituale Cisterciense, permittiturne saltem adhiberi superpelliceum loco albae et pro Communione loco Calicis, Pixidem cum pluribus Particulis, iuxta Ritum Romanum ?

III. Utrum in translatione cadaverum Monialium e loco superiore Monasterii ad Chorum inferiorem, et in earum exequiis, exclusa Missa Conventuali, servari possit Rituale et Missale Romanum, iuxta consuetudinem vigentem ?

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisito voto alterius ex Consultoribus ipsius Sacrae Congregationis, propositis Dubiis respondendum censuit :

Ad I. *Sacerdos saecularis, de quo in casu, debet uti Rituali Romano.*

Ad II. *Provisum in Primo.*

Ad III. *Affirmative, dummodo lex clausurae in eiusmodi translationibus non violetur.*

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

URBIS. Dubia quoad officia votiva.

Nonnulli Calendariorum redactores a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem supplicibus votis effiagitarunt, nimirum:

L An in Officiis votivis, inter se concurrentibus, Vesperae dividi semper debeant iuxta peculiarem Rubricam, vel considerari potius debeat ratio dignitatis iuxta decretum *Evulgato* die 14 Augusti 1894? (1)

II. An privilegium, quod Rubricae Generales Breviarii tribuunt Octavis Festorum Domini et Deiparae, ut nempe illae cedant tantum in concursu duplicibus secundae classis, istae vero solis duplicibus maioribus, intelligendum sit de solis octavis ad Festa primaria pertinentibus, an de octavis quibuscumque?

III. Dies octavi Festorum primariorum, Archangelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, et Ss. Apostolorum, suntne iudicandi digniores in ordine ad praelationem, in concursu cum aliis duplicibus minoribus?

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. *Affirmative* quoad primam partem, *Negative* quoad secundam.

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. œ S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

VALVEN. et SULMONEN. Dubium quoad coronas mortuarias suspendendas, ut maneant in parietibus Ecclesiae.

Rmus Dnus Tobias Patroni Episcopus Vaivén, et Sulmonen. timens ne, sub specie pietatis erga defunctos, sensim subrepant abusus decorem Domus Dei temerantes, a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime postulavit, nimirum :

An deceat in parietibus Ecclesiae vel publici Oratorii suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant?

(1) Habes decretum hoc Vol. XXVII, 188.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit: *Negative.*

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. *R. C. Secretarius.*

RUTHENEN. Decernitur respondere debere Kalendario loci, non vero celebrantis, missas celebratas in cappellis Episcoporum, Seminariorum etc.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Christianus Ernestus Bourret, Episcopus Ruthenen. Sacram Rituum Congregationem pro sequentis Dubii solutione enixe rogavit, nimirum :

Utrum, post Decretum generale die 9 Decembris 1895 editum *Be Missa conformi Officio Ecclesiae vel Oratorii publici* (1), Calendario loci, an vero Celebrantis respondere debeant Missae, quae celebrantur in Capellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque maturo examine perpensa, proposito Dubio respondendum censuit : Dummodo agatur de Capella principali, quae instar Oratorii publici, ad effectum memorati Decreti, habenda est, *Affirmative* ad I, *Negative* ad IL

Atque ita rescripsit, die 22 Maii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

(1) Adest decretum hoc pag. 438 huius Voluminis.

# EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad nomen proprium retinendum in catalogis Sectarum etc.
Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Satolli Delegato Apostolico in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis

*Die 19 Ianuarii 1896.*

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

Quaesitum fuit an, remota quavis alia earumdem sectarum participatione, hoc saltem liceat, nomen proprium in sociorum catalogis retinere, necnon in praefatae taxae vel aeris alieni solutione stato tempore perseverare. Quod dubium sane gravissimum cum Sanctissimus Dominus Noster Sacrae huic Supremae Congregationi commiserit enucleandum, eadem Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit: *Generatim loquendo non licere; et ad mentem.*

Mens est quod ea res tolerari possit sequentibus conditionibus et adiunctis simul in casu concurrentibus, scilicet:

I. *Si bona fide sectae primitus nomen dederint, antequam sibi innotuisset, societatem fuisse damnatam.*

II. *Si absit scandalum, vel opportuna removeatur declaratione, id a se fieri, ne ius ad emolumenta vel beneficium temporis in aere alieno solvendo amittat a quavis interim sectae communione et a quovis interventu, etiam materiali ut praemittitur, abstinendo.*

III. *Si grave damnum sibi aut familiae in renunciatione obveniat.*

IV. *Tandem ut non adsit vel homini illi, vel familiae eius periculum perversionis ex parte sectariorum spectato praecipue casu vel infirmitatis vel mortis, neve similiter adsit periculum funeris peragendi, a ritibus catholicis alieni.*

Quae cum Sanctissimo Domino Papae Leoni XIII relata fuerint in totum approbata et confirmata fuerunt. Verum cum de re gravissima atque periculorum et difficultatum plena agatur, quae plurimas non modo dioceseos sed et provincias ecclesiasticas respicit, idem SSmus N. iussit ut uniformis regulae servandae causa, casibus particularibus Eminentia Tua et in Apostolica delegatione successores providere possint.

R. Card. MONACO

# APPENDIX VI.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 21 Sept. 1842 — Vic. Ap. C he n-s i.
Dubium quoad damnum illatum delubris ethnicorum.

**Utrum Christifidelis qui sciens et volens delubri muros, ianuas, implementa diruit et perdit, atque ab ethnicis ea de causa capitur, debeat vel possit damnum sarcire, saltem ex alio titulo?**

**R. Teneri ad restitutionem, titulo iustitiae.**

S. C. S. Officii 24 Aug. 1778.
Responsa data circa quemdam contractum.

**Responsa heic relata transmissa sunt ad Vic. Ap. Sutchuen die 8 Sept. 1779. — Vic. AP. SUTCHUEN. — Est mos in Sutchuen agros aut domos in pignus accipiendi, data rei domino summa pecuniae maiori vel minori, habita ratione redituum agri aut utilitatis domus, ea conditione ut, expleto oppignoraiionis termino, qui vulgo plurium annorum est, rei dominus reddat mutuatori integram pecuniam quam accepit, et ad id coram iudice cogi potest, mutuator vero rem oppigneratam restituat domino, sibique retineat fructus integros, quos durante contractu percepit, etiamsi valore superent laborem, industriam et expensas quae contulit in excolendo agro. Pariter, si de domo agitur, nihil deducit ex summa pecuniae ipsi restituenda, pro solvendo pretio utilitatis, quam ex domo percepit. Interea rei oppigneratae dominus solvit tributa, et alia publica onera in se suscepit.**

**Contractus huiusmodi, sublato titulo lucri cessantis aut damni emergentis, certe usurarius est; verum iam a longo tempore factum est ut dictus contractus inter christianos et infideles obtinuerit, imo et toleratur a missionariis, quibus in mentem non venerat suspicari iniustitiam contractus tam universaliter recepti et legum auctoritate muniti, quique, nullis praecedentibus Vicariis Apostolicis, saltem quod scirent, declamantibus, fere inter mediam partem christianorum publice in usu erat. Nunc, re maturius expensa, vitium detectum est, et statim christianis prohibitum ne postea talem auderent contractum inire.**

At vero circa executionem prohibitionis non minima exarsit ex parte christianorum reclamano, iiec etiam inter missionarios circa modum prohibendi perfecta consensio est, atque eo res devenit ut existimaverint aliqui contractum huiusmodi esse ab omni usurae labe immunem. Sed nunc hac de re nulla inter nos amplius movetur controversia, licet forsan inter christianos sint qui, his principiis imbuti, mandatis obtemperare detrectant. Quod igitur difficultatem facessit, ad duo puncta reducitur : Primum est, num christiani, aut etiam pagani qui fidem' amplectuntur, obligandi sint ad restitutionem fructuum, quos, durante bona fide consequenter ad hunc contractum antea perceperunt? — Secundum est, num, habita ratione indolis huius gentis, quae divitiis tota inhiat et nunquam saturatur, tutius sit et animae salubrius absolute et sine ulla modificatione contractum prohibere, vel mutare hunc in censum realem, qui de facto non obtinet inter Sinenses, sed qui non difficulter introducetur, vel alio modo licito ex quo lucrum possint reportare christiani, quique propter hanc causam facilius apud ipsos obtinebit. — Circa primam difficultatem, ratio quae nobis videtur eos excusare ab onere restituendi, est quia, ordinarie loquendo, non videntur inde facti ditiores. Pauperes enim, qui sic titulo oppignerationis tenent agros, ordinarie nullam aliam pecuniam habent ad sustentandam vitam quam eam qua utuntur ad oppignerandum, unde determinantur primario ad contractum aliquem quaestuosum ineundum. Oppignerationis vero contractum inierunt, quia legitimum bona fide iudicarunt, alias certo moraliter aeque quaestuosum inituri. Sic et divites bonae fidei, qui voluerunt pariter pecunia uti ad quaestum legitimum faciendum, propter ipsorum bonam fidem et intentionem determinatam pecunia licite uti ad lucrandum, potestne dici quod lucrum ipsis cessaverit, ex eo quod non alterum inierint contractum aeque quaestuosum, quem certe iniissent si oppignerationi non fuisset locus? — Circa secundam difficultatem, moraliter impossibile est plerosque cogere ad mercaturam faciendam: unde, si tollatur absolute et sine modificatione dictus contractus, vel cogentur mori fame, vel territoria titulo locationis tenere. — Verum 1. in plerisque locationibus idem vitium deprehenditur ac in oppigneratione ; dominus enim territorii exigit a locatariis summam pecuniae sub praetextu assecurationis fructuum, quos debet restituere locatarius, et, propter istam summam, quae postea integra restituitur, eximitur colonus a restituenda aliqua fructuum parte, a qua non eximeretur, si deesset huiusmodi pecunia pro assecuratione; unde videtur lucrum percipere tunc solum vi mutui. — % Multi erunt, et forsan media pars, quae non poterit agros inve-

nire unice ad locandum; pecuniae enim summa quae datur in mera locatione longe minor est eâ, quae datur in oppigneratione: unde, cum domini agrorum in disponendis agris vel domibus pecuniae potissimum inhient, merae locationi non consentiens — His consideratis, potestne mutari contractus hoc modo? *nempe:* i. Fiet alienatio summae capitalis, ita ut nunquam poterit cogi dominus agrorum aut domus ad restituendam hanc pecuniae summam, nisi quando voluerit repetere agros aut domum, et nullum assignabitur tempus repetendi agros aut domum, sed voluntas proprii domini sola erit regula. 2. Propter alienationem hanc deductis expensis, industria et laboribus, poterit insuper colonus exigere quindecim pro centum: lex enim Regni ordinarie lucrum determinat triginta pro centum. 3. Si adhuc sit residuum, colonus restituet proprio domino; idem erit iudicium de domo. — Unde enixe supplico ut S. Cong. dignetur definire: 1. Contractum oppignerationis supra expositum usurarium esse. 2. Statuere num, rebus positis ut sunt, obligandi sint ad restitutionem christiani proselyti, aut ipsorum heredes, si antea bona fide contractum inierint.

3. Determinare, num census realis, prout modo propositus est, licitus sit et expediens, aut saltem quonam altero modo meliori prohibendus sit contractus iste oppignerationis.

R. Ad i. Secundum ea quae proponuntur est commendanda et confirmanda prohibitio iam facta a Vic. Ap. Sutchuensi contractus oppignerationis, qui prout exponitur, est illicitus.

Ad 2. Nulla quoad hoc dubium capi potuit resolutio, cum singuli casus ex peculiaribus rerum ac temporum circumstantiis, atque ex contractuum particularibus conditionibus definiri debeant. Tria rationum momenta perpendit Vicarius Apostolicus, quae christianos qui huiusmodi contractus inierunt, aut eorum heredes, a restitutione excusant. Primum est bona fides cum qua contractum oppignerationis, inscii omnino quod esset illicitus, perfecerunt; alterum, quod ex huiusmodi contractibus facti non sunt locupletiores; tertium denique bona mens atque intentio, qua sinenses determinantur primario ad contractum aliquem quaestuosum ineundum, ita tamen ut, si scivissent oppignerationem huiusmodi vetitam esse, alterum potius contractum elegissent aeque quaestuosum. Attamen non ita firma ac solida visa sunt haec rationum momenta, ut absolute pronuntiari possit, neminem ex christianis, qui pecuniam suam in exposito oppignerationis contractu fenori dedit, a restitutione excusari posse; nam bona fides, in iis quae iure divino naturali prohibentur (quemadmodum usuram certum est prohiberi), non semper excusat. At praeterea bona fides atque invincibilis

**ignorantia excusare fortasse quandoque poterit contrahentes! a peccato, non autem a restitutione alienae pecuniae ex iniusta acceptione perceptae: quod autem non sint facti locupletiores, haud passim et indiscriminatim affirmari potest. Neque enim is ditior dumtaxat effectus est, qui ex aliena pecunia agros, fundos, aliaque huiusmodi comparavit, quae prius non habebat ; contingere siquidem quandoque solet ut, licet quispiam locupletatus non fuerit aliqua bonorum accessione, attamen, vel lautius vivendo, vel rei suae parcendo, cum aliena pecunia se et familiam sustentaverit. Quisque vero facile percipit ditiorem hunc esse factum haud quidem alienis bonis, sed suis parcendo iisque propriam substantiam amplificando. Tandem quod ad intentionem ac mentem contrahentium spectat, quamvis recto animo eos in iis contractibus ineundis comparatos esse velimus, attamen, praeter intentionem, multae aliae a theologis exiguntur conditiones, ut vel contractus ab omni usurae labe sit expers, vel contrahentes ab omni restitutionis onere iudicentur immunes. Neque eliam, in casu de quo agimus, illud est praetereundum, quod, cum sinenses divitiis inhient, quemadmodum Vicarius Ap. in suis litteris declaravit, difficile sane est ut illi ad ineundum oppignérationis contractum eo animo ac mente accedant ut, si contractus aliquis aequior aut minus quaestuosus suppeteret, hunc potius inire mallent quam alterum oppignérationis, magis quaestuosum sed usurae labe conspersum. In tantis itaque difficultatibus, cum neque mores gentis, neque contractus conditiones, neque rerum ac temporum circumstantiae, neque regionis leges atque consuetudines Romae perspectae sint, nihil statuere voluit Sanctitas Sua pro generali huius dubii resolutione, sed id totum missionariorum iudicio, prudentiae ac doctrinae commisit, ut hi, consultis probatis theologis, in singularibus casibus quidquid expediens visum fuerit, divino etiam lumine implorato, iudicent ac definiant. Attamen iussit, ut prae oculis semper habeant quae ab hac Sede Apostolica circa usuram sancita sunt. tam in Litteris s. m. Benedicti XIV, quae incip.** *Vix pervenit* **anno 1745, quam in Instructione transmissa anno 1749 Missionariis Capuccinis Tuneti.**

**Ad 3. Contractum venditionis cum pacto redimendi licitum esse si fiat iuxta aequalitatis regulas a doctoribus traditas. Alios vero contractus a Vicario Ap. propositos, nec probari, nec reprobari posse, tum quia non solet Apostolica Sedes ullum contractum singularem populis proponere ad quaestum faciendum, tum etiam quia liciti ac innocui contractus quibusdam quandoque conditionibus inficiuntur, ut nullo modo permitti possint. Sequenda igitur a missionariis esse principia ac**

**regulas a s. m. Benedicto XIV traditas in superius laudatis Litteris *Vix pervenit,* atque etiam in Instructione diei 17 aprilis 1740 iussu eiusdem Pontificis exarata, pro responsione ad postulata Capücinor. Tuneti degentium.**

Inst. S. C. S. Officii 4 et 18 Martii 1784. — Ad Vic. Apost. Constantinop. Responsa circa contractus quosdam, qui usurae labe infecti censentur.

**R. P. D. Ioseph Antonius Frachia Archiepiscopus Theodosiopolitanus et Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus multas exposuit S. Congregationi de Propaganda Fide corruptelas circa contractus quosdam in eadem Constantinopolitana urbe celebratos, quo, ab usurae labe excusari posse minime arbitrantur. Cum itaque eiusdem Vicarii expositio a S. Congregatione de Propaganda Fide ad alteram S. Officii transmissa fuerit, ut melius atque sincerius quaestionibus a Vicario praedicto propositis satisfieret, sequentia dubia excerpta sunt.**

**1. Utrum propter deficientiam publicorum Montium, vel propter difficultatem creandi census, aliosque licitos contractus ineundi, aut etiam ad removendum detrimentum artificibus et mercatoribus obventurum, liceat cuique dare pecuniam suam mutuo cum actuario cuilibet, etiamsi nullus adsit damni emergentis et lucri cessantis titulus.**

2. **Utrum propter idem motivum absque iusto titulo liceat praedictum mutuum saltem viduis, pupillis, patribus-familias, aliisque personis, quae mutuo dant pecunias, non ad augendas proprias substantias, sed ad consulendum suis egestatibus, ad providendum familiae indigentiis propter varios eventus occurrentibus; quoniam si a mutuo abstinerent, vel familiae desunt honesta, aut necessaria, vel coguntur capitale consumere, et ad egestatem reduci.**

**3. An capsae nationum, vel communitatis mercatorum possint in urbe Constantinopolitana considerari pro montibus publicis, ita ut licite illis mutuo pecuniae dari possint, cum pacto auctarii septem vel octo pro centum, ut fert consuetudo, et quamvis deficiat titulus lucri cessantis, aut damni emergentis?**

**4. Cum Costantinopoli non infrequentes sint casus incendiorum, pestis, calumniarum, vulgo** *avanie,* **quae aliquando a mutuatariis patiuntur cum gravi eorum damno, quaeritur: Utrum propter periculum, cui in praedictis casibus sors mutuorum exponitur, licitum sit propter pecuniam mutuo datam aliquid ultra sortem exigere?**

5. Utrum actuarium ex mutuo, propter exposita pericula a mutuante pactum, exigi licite possint, quando mutuatarius in assecurationem sortis mutui pignus aequivalens vel excedens mutuanti tradit. Ratio dubitandi est, quia non restituente mutuatario sortem mutui tempore praefinito, pignus vendi non potest a mutuante, ut suam ex ipso pecuniam recuperet. Ideoque vel mutuans expectare debet restitutionem sortis, quando mutuatario placuerit, vel cum gravibus expensis debet mutuans ante tribunalia regionis cogere mutuatarium ad pignus vendendum, ut sibi sors mutui restituatur. Aliquando eliam accidit, raro tamen, quod pignus a mutuante ad securitatem sortis acceptum, penitus amittatur, quia tertia persona ante tribunalia constare facit, quod pignus a mutuante detentum non erat mutuatarii, sed suum, illudque sibi per iudicem vindicet.

**6.** Utrum licitum sit absque titulo damni emergentis, et lucri cessantis, mutuum dare cum auctario quatuor vel quinque pro centum Communitatibus Religiosorum, quae, exceptis periculis pestis, terraemotus, et aliqua ex parte incendiorum, ab aliis periculis sunt fere immunes, et sors mutui securior apparet apud easdem Communitates, quam penes alios incolas eiusdem civitatis.

7. Utrum Communitati Religiosae, quae mutuum accipit cum auctario quatuor vel quinque pro centum, liceat easdem pecunias mutuo acceptas alicui alteri personae mutuare cum auctuario decem per centum.

**8.** Utrum sacerdotes *ad titulum missionis* ordinati possint conferre pecunias in societatem negotiationis, et ita accipere partem lucri ex negotiatione procedentem, vel determinatam vel eventualem. Ratio dubitandi est, quia cum beneficio, vel patrimonio careant, non sunt sufficienter provisi pro sua substentatione, vel pro casibus infirmitatis, pestis, incendii, senectutis, in quibus eleemosynis Missarum non multum vel nihil sibi providere possunt.

Itaque cum haec omnia suprascripta dubia praeviis theologorum consultationibus in Congregationibus Supremae Generalis Inquisitionis habitis, coram SSmo diebus 4, **11** et **18** Martii diligentissime perpensa, atque examinata fuerint: Sanctitas Sua, auditis Emorum DD. Cardinalium suffragiis, decrevit respondendum :

Quoad **1.** et 2. dubium, nemini, nec etiam viduis, pupillis, et patribus-familias ad consulendum indigentiis ob defectum publicorum montium, aut attenta difficultate creandi census, aliosve lícitos contractus ineundi, aut intuitu detrimenti obventuri artificibus et mercatoribus, licere, nisi aliunde adsit iustus titulus damni emergentis, et

lucri cessantis, mutuo dare pecuniam, adiecto pacto aliquid ultra sortem recipiendi.

3. Quamvis secundum ea, quae proponebantur, vel minus videbantur, quam quod capsae nationum vel communitatis mercatorum reputari possent pro montibus publicis ita, ut pro pecunia in illis mutuo collocata absque iusto titulo damni emergentis, vel lucri cessantis, aliquid ultra sortem recipi posset; attamen nihil hac de re sancire voluit Sanctitas Sua, sed prius a Vicario Apostolico exquiri iussit 1. An aliquo, et quo potissimum contractus titulo pecunia iisdem capsis nationum aut communitatis mercatorum mutuo tradatur. — 2. An illae habeant certos reditus, quos in huiusmodi contractibus vendant in commodum eorum, qui pecuniam mutuarunt. — 3. An aliqua publica auctoritate hae capsae nationum seu communitatum mercatorum constitutae sint. Cum his postulatis a Vicario Ap. dilucide satisfactum fuerit, tunc dabitur proposito dubio aptior, et certa resolutio.

Ad 4. 5. et 6. dubium. Quamvis distincte proponebantur, una tamen omnibus addenda est responsio, quae ut magis pateat, sequenti instructione comprehenditur. Itaque illud in primis est exploratum etc.

Ex his autem unusquisque videt, quanto minus liceat a Communitatibus Regularium aliquid recipere ultra sortem absque iusto titulo damni emergentis et lucri cessantis, ob solum periculum obventurum ex publicis infortunas pestis, incendiorum, et terraemotus, cum iuxta facti speciem, in dubio VI propositam, immunes illae plerumque sint ab aliis supra recensitis periculis, et tutius apud ipsas, quam apud alios istius urbis incolas pecunia mutuo collocetur.

Ad 7. Non licere Communitatibus Regularium pecuniam receptam cum onere persolvendi quatuor aut quinque in singula centena, maiori conventa usura, aliis dare.

Ad 8. Huic etiam dubio iussit Sanctitas Sua per instructionem respondi debere. Tota quaestio in eo versatur, an sacerdotibus *ad titulum missionis* ordinatis qui patrimonio ac beneficio carent, atque Missarum eleemosynis parum aut nihil sibi comparare possunt, permitti queat, ut licita atque honesta aliqua negotiatione suae consulant substentationi. Distinguere autem oportet utrum sacerdotes isti ea nunc inopia premantur, cui ni consulatur, cum sui caracteris dedecore victum sibi mendicare cogantur; an potius providentes futuris casibus infirmitatis, senectutis, atque etiam pestis, incendiorum, ac terraemotus, quibus urbs ista frequenter obnoxia est, lucrum aliquod sibi ex negotiatione comparare velint, ut opportuna hac cautione futuram ege-

**statem devitent. Quoad sacerdotes praesenti inopia laborantes, in promptu est decretum S. Congregationis de Propaganda Fide diei 23 Novembris an. 1665 quod hic adiunctum transmittitur:** (1) **quoad alios vero, futuris sed tamen probabilibus suis necessitatibus providere cupientes, prostat etiam epistola encyclica s. m. Clementis PP. XIII. diei 17 Septembris an. 1759. quae incipit** *Cum primum,* **in qua, et praesertim in** *§§. Si autem ecclesiasticorum quispiam* **etc.** *Deinde pro eo* **etc.** *Caeterum facultas* **etc. quidquid ad rem opportunum est sanctissime decernitur. Huius etiam epistolae exemplum hic adiungitur. Ex his autem Apostolicae Sedis sanctionibus, si regulas, instituta atque etiam indulgentiam in iis expressam Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus exacte ac diligenter exequatur, facile ipsi erit omne dubium dissolvere, et pauperum sacerdotum indigentiis vel statim consulere, vel in posterum occurrere. Nam si urgeat praesens inopia, ex laudato decreto an. 1665 poterit tolerare negotiationem aliquam a sacerdotibus fieri, iis tamen sub conditionibus, quae in eodem decreto adiiciuntur. Si vero futuris necessitatibus dumtaxat est providendum, ea facultate utatur, quam Clemens PP.** XIII. **Episcopis extra Italiam concessit, et dispensationem sacerdotibus indulgeat, ut sua industria possint sibi subsidia quaerere ad vitandam egestatem, iuxta tamen eas conditiones et regulas, quasi idem Pontifex in ea Epistola praescripsit.**

(I) En decretum « Toleratur ad sustentationem propriam dumtaxat; modo tamen contractus sit ex sua natura licitus, et tantum solummodo impendant, quantum honestum patrimonium constituat».

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi Domini nostri Leonis divina providentia Papae XIII ad Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum ordinarios De unitate Ecclesiae.

Satis cognitum vobis est, cogitationum et curarum Nostrarum partem non exiguam illuc esse conversam, ut ad *ovile* in potestate positum summi pastoris animarum Iesu Christi revocare devios conemur. Intento hac in re animo, non parum conducere salutari consilio propositoque arbitrati sumus, Ecclesiae effigiem ac velut lineamenta describi: in quibus praecipua consideratione dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne veritatis invictaeque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit. Multum in intuentium animis nativa Ecclesiae pulchritudo speciesque posse debet: neque abest a veri similitudine, tolli eius contemplatione posse inscientiam; sanari opiniones falsas praeiudicatasque, maxime apud eos qui non sua ipsorum culpa in errore versentur: quin imo excitari etiam in hominibus posse Ecclesiae amorem utique similem caritati, qua Iesus Christus eam sibi sponsam, divino cruore redemptam, opta vit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea* (1). Reversuris ad amantissimam parentem, aut non probe cognitam adhuc, aut iniuria desertam, si reditum stare oporteat non sanguine quidem, quo tamen pretio est Iesu Christo quaesita, sed labore aliquo molestiaque multo ad perpetiendum leviore, saltem perspicuum erit non voluntate humana id onus homini, sed iussu nutuque divino impositum, ob eamque rem, opitulante gratia caelesti, facile veritatem experiendo intelligent divinae eius sententiae: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve* (2). Quamobrem spe maxima in *Patre luminum* reposita, unde *omne datum optimum et omne donum perfectum* descendit (3), ab eo scilicet, *qui incrementum dat* (4) unus, enixe petimus, ut Nobis vim persuadendi impertire benigne velit.

Etsi Deus, quaecumque a naturis creatis efficiuntur, omnia ipse efficere sua solius virtute potest, nihilominus tamen ad iuvandos homines ipsis uti hominibus, ex benigno providentiae

(1) Ephes. V, 25.
(2) Matth. XI, 30.
(3) Ep. Iac. I, 17.
(4) I. Corinto. III, 6.

consilio, maluit: et quemadmodum in rerum genere naturalium perfectionem debitam, ita in iis, quae modum naturae transibunt, sanctitatem homini ac salutem non nisi hominum opera ministerioque impertire consuevit. Sed perspicuum est, nihil inter homines communicari, nisi per externas res quae sensibus percipiantur, posse. Hac de caussa humanam naturam assumpsit Dei Filius, *qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (1): atque ita, in terris agens, doctrinam suam suarumque praecepta legum hominibus, colloquendo, tradidit.

Cum divinum munus eius perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes: cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, praecepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent: hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam. — Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita: quae quidem, si extremum illud quod vult, caussaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis:* si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu auditoque signa: idque illi munus non aliter executi quam dictis factisque, quae utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (2). Ac fides ipsa, scilicet assensio primae supremaeque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet: *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem* (3). Simili modo nihil est homini gratia caelesti, quae gignit sanctitudinem, interius: sed externa sunt ordinaria ac praecipua participandae instrumenta gratiae: sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nominatim lectis, certorum ope rituum, administrantur. Iussit Iesus Christus Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edo-

(1) Philippens. II, 6-7.

(2) Roman. X, 17.

(5) Ib. 10.

cerent ac **Tegerent:** iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati obedienter subessent. Verum isthaec in christiana republica iurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne incohari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de caussis Ecclesiam cum *corpus,* tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacrae litterae nominant: *Vos autem estis corpus Christi* (1). Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Iesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet.

Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali praeditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est,, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiniani ac Nestoriáni faciunt; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitae: sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit. Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et

(1) I. Corinth. XII, 27.

constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeternitate temporum : ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennità tem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo spatio definitus: quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visibilium et invisibilium coniunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia. Quare Chrysostomus: *Ab Ecclesia ne abstineas : nihil enim fortius Ecclesia. Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia. Caelo excelsior et terra latior est illa. Numquam senescit, sed semper viget. Quamobrem eius firmitatem stabilitatemque demonstrans, Scriptura montem illam vocat* (1). Augustinus vero: *Putant* (gentiles) *religionem nominis christiani ad certum tempus in hoc saeculo victuram, et postea non futuram. Permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit ; hoc est quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Bei, id est Christi corpus in terris* (2). Idemque alibi: *Nutabit Ecclesia, si nutav erit fundamentum: sed unde nutabit Christus?.... Non ñútante Christo, non inclinabitur in saeculum saeculi. Ubi sunt qui dicunt, periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?* (3)

His velut fundamentis utendum veritatem quaerenti. Scilicet Ecclesiam instituit formavitque Christus Dominus: propterea natura illius cum quaeritur cuiusmodi sit, caput est nosse quid Christus voluerit quidque reapse effecerit. Ad hanc regulam exigenda maxime Ecclesiae unitas est, de qua visum est, communis utilitatis caussa, nonnihil his litteris attingere.

Profecto unam esse Iesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento ac multiplici sacrarum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut contradicere christianus nemo ausit. Verum in diiudicanda statuendaque natura unitatis, multos varius error de via deflectit. Ecclesiae quidem non solum ortus, sed tota constitutio ad rerum voluntate libera effectarum pertinet genus: quocirca ad id quod revera gestum est, iudicatio est omnis revocanda, exquirendumque non sane quo pacto una esse Ecclesia queat, sed quo unam esse is voluit, qui condidit.

(1) Hom. *De capto Eutropio,* n. 6.
(2) *In Psal. LXXI,* n. 8.
(3) *Enarratio in Psal. CHI,* sermo II, n. 5.

Iamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam Iesus Christus non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Ecclesiam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam.... Eeelesiam* in symbolo fidei profitemur. *In unius naturae sortem cooptatur Ecclesia quae est una, quam conantur haereses in multas discindere. Et essentia ergo et opinione, et principio et excellentia unicam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam. . . . Ceterum Ecclesiae quoque eminentia, sicut principium eonstructionis, est ex unitate, omnia alia super ans, et nihil habens sibi simile vel aequale* (1). Sane Iesus Christus de aedificio eiusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi unam quam appellat *suam: aedificabo Ecclesiam meam.* Quaecumque, praeter hanc, cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita, Ecclesia Christi vera esse non potest. Quod eminet etiam magis, si divini auctoris propositum consideretur. Quid enim in condita condendave Ecclesia petiit, quid voluit Christus Dominus? Hoc scilicet; munus idem, idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (2). Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum* (3). Iamvero Christi muneris est vindicare ab interitu ad salutem *quod perierat,* hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino hominum, nullo locorum temporumve discrimine, universum genus: venit *Filius hominis... ut salvetur mundus per ipsum* (4). *Nee enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (5). Itaque partam per Iesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret.

(1) Clemens Alexandrinus, *Stromatum* lib. VII, cap. 17.
(2) Ioan. XX, 21.
(3) Ioan. XVII, 18.
(4) Ioan. III, 17.
(5) Act. IV, 12.

Hoc ipsum de Ecclesia una, quotquot essent ubique et quovis tempore mortales complexum, vidit ac praesigniflcavit Isaias, cum, futura prospicienti, obiecta species montis est, celsitudinis exsuperantia conspicui, qui imaginem *Domus Domini,* videlicet Ecclesiae, expressam gerebat : *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium* (1). Atqui *unus* iste mons est, in vertice montium locatus : *una* domus Domini ad quam *omnes gentes* vivendi normam petiturae aliquando confluerent: *Et fluent ad eam omnes gentes... et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius* (2). Quem locum cum Optatus Milevitanus attingeret, *Scriptum est,* inquit, *in Isaia propheta: ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem. Non ergo in illo monte Sion Isaias aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem romanum caput tulit sub toto caelo... Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus, quae est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica* (3). Augustinus vero: *Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt.... Me autem, mons non sic, quia implevit universam faciem terrae: et de illo dicitur: paratus in cacumine montium* (4). Illud accedit, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput coniungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit: cui quidem naturali conglutinatione inhaeret naturale caput. Sicut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum, quod obtulit ad cruciatus et necem, ut liberationis humanae pretium exsolveret, sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cuius ipsius opera facit sanctitatis salutisque aeternae homines compotes : *Ipsum* (Christum) *dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius* (5). Dispersa membra atque seiuncta non possunt eodem cum capite, unum simul effectum corpus, cohaerere. Atqui Paulus, *Omnia autem,* inquit, *membra corporis cum sint multa unum tamen corpus sunt: ita et Christus* (6). Propterea corpus istud

(1) Isaias II, 2.
(2) Ib. 2-3.
(3) *De Schism. Donatisi,* lib. III, n. 2.
(4) *In Epist. Ioan.,* tract. I, n. 13.
(3) Ephes. I, 22-23.
(6) 1. Corinto. XII, 12.

mysticum *compactum* ait esse *et connexum. Caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri* (1). Quamobrem dispersa a membris ceteris siqua membra vagantur, cum eodem atque unico capite conglutinata esse nequeunt: *Unus Deus est, et Christus unus, et una Ecclesia eius et fides una et plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum diseidio compaginis separari* (2). Quo melius Ecclesiam effingat unicam, similitudinem animati corporis informat, cuius non aliter victura membra sunt, nisi colligata cum capite, vim ad se vitalem ex capite ipso traducant: seiuncta, necesse est emori: *Non potest* (Ecclesia).... *divulsis lacerataне visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit* (3). Mortuum vero corpus quid habet cum vivo similitudinis? *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius* (4). Aliud igitur simile Christo incohetur caput, alius Christus, si praeter eam, quae corpus eius est, fìngi Ecclesiam alteram libeat. *Videte quid eaveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes: numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat: praecisum amittit vitam. Sie et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit: praecisus, haereticus factus est: membrum amputatum non sequitur spiritus* (5). Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua: quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et praescriptione Christi Domini, relictoque salutis itinere, ad interitum digrediuntur. *Quisquis ab Ecclesia, segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia, qui reliquit Ecclesiam Christi . . . Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem* (6).

(1) Ephes. IV, 15-16.
(2) S. Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate,* n. 23.
(3) Id loc. cir.
(4) Ephes. V, 29-30.
(5) S. Augustinus, sermo CCLXVII, n. 4.
(6) S. Cyprianus, *De cath. Eccl. Unitate,* n. 6.

At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam:* videlicet eiusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum effìcerent : *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae* (1). Voluntatem hac de re suam Iesus Christus sanxit, propinqua iam morte, augusteque consecravit, ita Patrem adprecatus: *Noti pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me... ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint consummati in unum* (2). Imo tam intime nexam iussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut coniunctionem, cum Patre suam ratione aliqua imitaretur : *Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te* (3). Tantae autem inter homines ac tam absolutae concordiae necessarium fundamentum est convenientia coniunctioque mentium : ex quo conspiratio voluntatum atque agendorum similitudo natura gignitur. Quamobrem, pro sui divinitate consilii, *unitatem fidei* in Ecclesia sua iussit esse : quae quidem virtus primum est in vinculis iis quae hominem iungunt Deo, et inde nomen *fideles* accepimus. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (4): videlicet sicut unus Dominus, et baptisma unum, ita omnium christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet. Itaque Paulus Apostolus christianos, ut idem sentiant omnes, effugiantque opinionum dissidia non rogat tantum, sed flagitat ac plane obsecrat: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia* (5). Quae loca sane non indigent interprete: satis enim per se loquuntur ipsa. Ceteroqui unam esse fidem debere, qui se profitentur christianos, vulgo assentiuntur. Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere quae sit istius species et forma unitatis. Quod ipsum, ut supra fecimus in caussa simili, non opinatione aut coniectura est, sed scientia rei gestae iudicandum: quaerendo scilicet statuendoque qualem in fide unitatem Iesus Christus esse praeceperit.

(1) Ephes. IV, 4.
(2) Ioan. XVII, 20-21-25.
(3) Ib. 21.
(4) Ephes.IV, 5.
(5) I. Corinto. I, 10,

Iesu Christi doctrina caelestis, tametsi magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio, ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incideret atque inter se differentes interpretationes: idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinae, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur: hinc controversiae, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsa vidit proxima originibus aetas. De haereticis illud scribit Irenaeus: *Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt* (1). Atque Augustinus: *Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene* (2). Ad coniugandas igitur mentes, ad efficiendam tuendarnque concordiam sententiarum, ut ut extarent divinae litterae, omnino erat alio quodam *principio* opus. Id exigit divina sapientia: neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandae unitatis rationem quamdam idoneam providisset: quod et sacrae litterae perspicue, ut mox dicturi sumus, significant. Certe infinita Dei potentia nulli est vineta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo, dispiciendum, quodnam ex omnibus, quae essent in potestate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia.

Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Iesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat: erudire verbo multitudinem ad caelestia insistit, omninoque iubet ut sibi fides docenti adiungatur, hinc praemiis, illinc poenis propositis sempiternis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi* (3). *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent* (4). .Si *autem facio* (opera), *et si mihi non vultis credere, operibus credite* (5). Quaecumque praecipit, eadem omnia auctoritate prae"

(1) Lib. III, cap. 12, n. 12..
(2) *In Evang. Ioan.*, tract. XVIII, cap. 5, n. 1.
(3) Ioan. X, 37.
(4) Ioan. XV, 24.
(5) Ioan. X, 38.

cipit: in exigendo mentis assensu nihil excipit, nihil secernit. Eorum igitur qui Iesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam eius accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset: illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.

Maturo in caelum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eadem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare iubet doctrinam suam: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes..^ Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (1). Salvos fore, qui Apostolis paruissent, qui non paruissent, interituros: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* (2). Cumque illud sit providentiae Dei maxime congruens, ut muneri praesertim magno atque excellenti praeficiat neminem, quin pariter suppeditet unde liceat rite defungi, idcirco Iesus Christus missurum se ad discipulos suos Spiritum veritatis pollicitus est, eumque in ipsis perpetuo mansurum: -SÍ *autem abiero, mittam eum* (Paraclitum) *ad vos..... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (S). Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis....* (4). *Ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis* (5). Hinc doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit* (6). Quamobrem legati Apostoli a Iesu Christo sunt non secus ac ipse legatus a Patre : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (7): propterea quemadmodum dicto audientes Christo esse Apostolos ac discipulos oportuit, ita pariter fidem adhibere Apostolis debuerant, quoscumque ipsi ex mandato divino docuissent. Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinae praeceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina reiecisse quicquam. — Sane Apostolorum vox, illapso in eos Spiritu sancto, quam latissime insonuit. Quacum-

(1) Matth. XXVIII, 18-19-20.
(2) Mare. XVI, 16.
(3) Ioan. XVI, 7-13.
(4) Ioan. XIX, 16-17.
(5) Ioan. XV, 26-27.
(6) Luc. X, 16.
(7) Ioan. XX, 21.

que vestigium posuissent, perhibent se ab ipso Iesu legatos. *Per quem* (Iesum Christum) *accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius* (1) : divinamque eorum legationem passim Deus per prodigia in aperto ponit: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique. Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* (2). Quem vero sermonem ? eum utique, qui id omne comprehenderet, quod ipsi ex magistro didicissent: palam enim aperteque testantur, nihil se eorum posse, quae viderant quaeque audierant, non loqui.

Sed, quod alio loco diximus, non erat eiusmodi munus apostolicum, ut aut cum personis Apostolorum interire posset, aut cum tempore labi, quippe quod et publicum esset et saluti generis humani institutum. Apostolis enim mandavit Iesus Christus ut praedicarent *evangelium omni creaturae,* et *portarent nomen ipsius coram gentibus et regibus,* et *ut sibi testes essent usque ad ultimum terrae.* Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot vel annos vel aetates, sed in omne tempus, *usque ad consummationem saeculi.* Quam ad rem Hieronymus: *Qui usque ad consummationem saeculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse vieturos et se numquam a credentibus recessurum* ? (3) Quae quidem omnia in solis Apostolis, supremae necessitati ex humana conditione obnoxiis, qui vera esse potuissent? Erat igitur provisum divinitus ut magisterium a Iesu Christo institutum non iisdem finibus, quibus vita Apostolorum, terminaretur, sed esset perpetuo mansurum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum videmus. Nam consecravere episcopos Apostoli, quique sibi proxime succédèrent in *ministerio verbi,* singillatim designavere. — Neque hoc tantum: illud quoque sanxere in successoribus suis, ut et ipsi viros idoneos adlegerent, quos, eadem auctoritate auctos, eidem praeficerent docendi officio et muneri : *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu: et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (4). Qua de caussa sicut Christus a Deo, et Apostoli a Christo, sic episcopi et quotquot Apostolis successere, missi ab

(1) Rom. I, 5,
(2) Mare. XVI, 20.
(3) *In Matth.* lib. IV, cap. 28, v. 20.
(4) II. Tim. II, 1-2.

Apostolis sunt: *Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo, et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu eum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant... Constituerunt praedictos, et deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent* (1). Permanere igitur necesse est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quae Christus docuerat: ex altera constans atque immutabile officium accipiendi profltendique omnem illorum doctrinam. Quod praeclare Cyprianus iis verbis illustrat: *Neque enim Dominus noster Iesus Christus, cum in Evangelio suo testaretur inimicos suos esse eos, qui secum, non essent, aliquam speciem haereseos designavit : sed omnes omnino qui secum non essent et secum non colligentes, gregem suum spar gerent, adversarios esse ostendit, dicens: Qui non est mecum, adversus me est; et qui non mecum colligit, spargit* (2).

His Ecclesia praeceptis instituta, sui memor officii, nihil egit studio et contentione maiore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistae, Novatiani, Quartadecumani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non penitus omnem, sed partem aliquam deseruerant: haereticos tamen declaratus, eiectosque ex Ecclesiae sinu quis ignorat fuisse? Similique iudicio damnati quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt. *Nihil periculosius his haereticis esse potest, qui cum integre per omnia, decurrunt, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem Dominicae et exinde apostolicae traditionis inficiunt* (3). Idem semper Ecclesiae mos, idque sanctorum Patrum consentiente iudicio: qui scilicet communionis catholicae expertem et ab Ecclesia extorrem habere consueverunt, quicumque a doctrina, authentico magisterio proposita, vel minimum discessisset. Epiphanius, Augustinus, Theodoretus haereseon sui quisque temporis magnum

(1) S. Clemens Rom., Epist. I ad Corinth. capp. 42, 44.

(2) Epist. LXIX. ad Magnum, n. **i.**

(3) Auctor *Tractatus de Fide Orthodoxa contra Arianos.*

recensuere numerum. Alia Augustinus animadvertit posse genera invalescere, quorum vel uni si quis assentiatur, hoc ipso ab unitate catholica seiungitur : *Non omnis, qui ista* (numeratas videlicet haereses) *non credit, consequenter debet se christianum catholicum iam putare vel dicere. Possunt enim et haereses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholicus non erit* (1).

Istam tutandae unitati, de qua dicimus, institutam divinitus rationem urget beatus Paulus in epistola ad Ephesios; ubi primum monet; animorum concordiam magno studio conservandam : *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (2): cumque concordes animi caritate esse omni ex parte non possint, nisi mentes de fide consentiant, unam apud omnes vult esse fidem: *Unus Dominus, una fides:* ac tam perfecte quidem unam, ut errandi discrimen omne prohibeat: *Ut iam non simus parvuli fluctuantes, et eireumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Idque non ad tempus servari docet oportere, sed *donec occurramus omnes in unitatem fidei... in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Sed eiusmodi unitatis ubinam Iesus Christus posuit principium inchoandae, praesidium custodiendae? In eo videlicet, quod: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Quare vel inde ab ultima vetustate hanc ipsam regulam doctores Patresque et sequi consueverunt et uno ore defendere. Origenes: *Quoties autem* (haeretici) *canon/cas proferunt scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei tradiderunt nobis* (3). Irenaeus: *Agnitio vera est Apostolorum doctrina... secundum successiones episcoporum... quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima* (4). Tertullianus vero: *Constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ee-*

(1) *De Haeresibus,* n. 88.
(2) IV, 3 et seqq.
(3) *Vetus Interpretatio Commentariorum in Matth.,* n. 46.
(4) *Contra Haereses,* lib. IV, cap. 33, n. 8.

*clesüs apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit.... Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis* (1). Atque Hilarius: *Significat* (Christus e navi docens) *eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiae tgpum praefert, intra, quam verbum vitae positum et praedicatum hi qui extra sunt et arenae modo steriles atque inutiles adiacent, intelligere non possunt* (2). Rufinus Gregorium Nazianzenum laudat et Basilium, quod *solis divinae scripturae voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat* (3).

Quamobrem, id quod ex iis, quae dicta sunt, apparet, instituit Iesus Christus in Ecclesia *vivum, authenticum,* idemque *perenne magisterium,* quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit: eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur huius verbo magisterii edicitur, traditae divinitus doctrinae complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo credere, verum esse : si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat, erroris in homine ipsum esse auctorem Deum: *Domine si error est, a te decepti sumus* (4). Ita omni amota dubitandi caussa, ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso praecipitem in apertam haeresim ? quin, seiunctus ab Ecclesia, doctrinam christianam una complexione repudiet universam? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa reficere. Fidem enim Ecclesia profitetur esse *virtutem supernaturalem, qua, Dei adiuvante et aspirante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nee fallere potest* (5). Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen

(1) *De Praesorip.* cap. XXI.
(2) *Comment, in Matth.* XXXI, n. **i.**
(3) *Eist. Ecd.* lib. Il, cap. **9.**
(4) Richardus de S. Victore, *De Trin.* lib. I, cap. **2.**
(5) Conc. Vat. sess. III, cap. **3.**

creditur, nihil omnino fide divina creditur. Quod enim Iacobus Apostolus de delicto iudicat in genere morum, idem de opinionis errore in genere fidei iudicandum: *Quicumque... offendat... in uno, factus est omnium reus* (1): imo de opinionis errore, multo magis. Omnis enim violata lex minus proprie de eo dicitur qui unum peccavit, propterea quod maiestatem Dei legum latoris sprevisse, non nisi interpretanda voluntate, videri potest. Contra is, qui veritatibus divinitus acceptis vel uno in capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei,* recusat vereri: *In multis mecum, in paucis non mecum: sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum* (2). Ac sane merito: qui enim sumunt de doctrina christana, quod malunt, ii iudicio suo nituntur, non fide: iidemque minime *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (3), sibimetipsis verius obtempérant, quam Deo: *Qui in Evangelio quod vultis, creditis; quod vultis, non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis* (4).

Quocirca nihil Patres in Concilio Vaticano condidere novi, sed institutum divinum, veterem atque constantem Ecclesiae doctrinam, ipsamque fidei naturam sequuti sunt, cum illud decrevere: *Fide divino, et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur* (5). Itaque cum appareat, omnino in Ecclesia sua velle Deum unitatem fidei, compertumque sit cuiusmodi eam esse, et quo principio tuendam ipse iusserit, liceat Nobis, quotquot sunt qui non animum induxerint aures veritati claudere, iis Augustini verbis affari: *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis ob-*

(1) n, io.
(2) S. Augustinus, *in Psal. LIV,* n. 19.
(3) II. Corinth. X, 5.
(4) S. Augustinus, lib. XVII. *Contra Faustum Manichaeum,* cap. 3.
(5) Sess. III, cap. 3.

*tintati Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis eu, vel praecipiti^ arrogantiae.... Et si unaquaeque disciplina, quamquam ullis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare?* (1)

Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiae, christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia: imo ne finis quidem, cuius caussa est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut Iesus Christus pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quae docuisset quaeque praecepisset, omnia retulit, sic iussit Ecclesiam quaerere in veritate doctrinae, quo homines cum sanctos efficeret, tum salvos. — Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest: adhiberi necesse est cum Dei cultum iustum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam sanctitatem legum ac disciplinae. — Ista igitur omnia inesse in Ecclesia oportet, quippe quae Servatoris munia in aevum persequitur: religionem, quam in ea velut *incorporan* ille voluit, mortalium generi omni ex parte absolutam sola praestat: itemque ea, quae ex ordinario providentiae consilio sunt instrumenta salutis, sola suppeditat.

At vero quo modo doctrina caelestis nunquam fuit privatorum arbitrio ingeniove permissa, sed principio a Iesu tradita, deinceps ei separatim, de quo dictum est, commendata magisterio: sic etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, una cum regendi gubernandique potestate. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea pertinent a Iesu Christo dicta: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium... baptizantes eos..:. Hoc facite in meam commemorationem.... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similique ratione non nisi Apostolis, quique eis iure successissent, mandavit ut *pascerent,* hoc est cum potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens. Quae quidem

**(1)** *De utilitate Credendi,* cap. XVII, n. 35.

officia apostolici muneris omnia generatim Pauli sententia complectitur: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1).

Quapropter mortales Iesus Christus, quotquot essent, et quotquot essent futuri, universos advoca vit, ut ducem se eumdemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum* singuli, sed etiam consociati atque invicem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus existeret iure sociatus; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subiectus potestati. Quo ipse facto principia naturae, quae in hominibus societatem sponte gignunt, perfectionem naturae consentaneam adepturis, omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea, quotquot filii Dei esse adoptione volunt, perfectionem dignitati suae congruentem assequi et retinere ad salutem possent. Ecclesia igitur, id quod alias attigimus, dux hominibus est ad caelestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat, et rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte norunt aut inique criminantur qui eam insimulant, velle se in civitatum rationes inferre, aut in iura potentatus invadere. Imo Deus perfecit, ut Ecclesia esset omnium societatum longe praestantissima: nam quod petit ipsa tanquam finem, tanto nobilius est quam quod ceterae petunt societates, quanto natura gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt praestabilem bona. — Ergo Ecclesia societas est ortu *divina:* fine, rebusque fini proxime admoventibus, *supernaturalis* : quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est. Ideoque in sacris litteris passim videmus vocabulis societatis perfectae nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus Dei, Civitas supra montem posita,* quo convenire gentes omnes necesse est: sed etiam *Ovile,* cui praesit pastor unus, et quo recipere se oves Christi omnes debent: imo *Regnum quod suscitavit Deus,* quodque *stabit in aeternum:* denique *Corpus* Christi, *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum apteque compositum, multisque conflatum membris ; quae membra non eumdem actum habent : copulata vero inter se, gubernante ac moderante capite, continentur. Iamvero nulla hominum cogitari potest vera ac perfecta societas, quin potestate aliqua summa

(1) I. Corinth. IV, I.

regatur. Debet igitur Iesus Christus magistratum Ecclesiae maximum praefecisse, cui obediens ac subiecta omnis esset christianorum multitudo. Qua de caussa sicut ad unitatem Ecclesiae, quatenus est *coetus fidelium,* necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiritur iure divino *unitas regiminis,* quae *unitatem communionis* efficit et complectitur: *Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur: scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput* (1). — Ex quo intelligi licet, excidere homines ab Ecclesiae unitate non minus schismate, quam haeresi : *Inter haeresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod haeresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur* (2). Quibuscum illa Ioannis Chrysostomi in eamdem rem sententia concordat : *Dico et pr otes tor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in haeresim* (3). Quamobrem si nulla potest esse honesta haeresis, pari ratione schisma nullum est, quod possit iure factum videri: *Non est quicquam gravius sacrilegio schismatis.... praeeidendae unitatis nulla est iusta necessitas* (4).

Quae vero et cuiusmodi summa ista potestas sit, cui christianos parere oportet universos, non aliter nisi comperta cognitaque voluntate Christi statuendum. Certe in aeternum rex Christus est, itemque moderari in aeternum tuerique regnum suum e caelo non visus perseverat : sed quia conspicuum illud esse voluit, designare debuit qui gereret in terris vices suas, postea quam ipse ad caelestia rediisset: *Si quis autem dicat quod unum caput et imus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est •enim, quod ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est venis sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cuius virtute •corpus eius in altari quotidie consecratur ; et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensarci, ut supra (cap. 74) dictum est. Eadem igitur ratione, quia prae-*

(1) S. Thomas, 2ª 2ªᵉ, q. XXXIX, a. **i.**
(2) S. Hieronymus, *Commentar, in Epist, ad Titum,* cap. III, v. 10-11.
(3) Hom. XI. *in Epist, ad Ephes.,* n. 5.
(4) S. Augustinus, *Contra Epistolam Parmeniani,* lib. II, cap. 11, n. 25.

*sentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: Pasce oves meas* (1). Iesus Christus igitur summum rectorem Ecclesiae Petrum dedit, idemque sanxit ut eiusmodi magistratus saluti communi ad perennitatem institutus, ad successores hereditate transferretur, in quibus Petrus ipse esset auctoritate perpetua superstes. Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, praeterea nemini: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (2). — *Ad Petrum locutus est Dominus: ad unum, ideo ut unitatem fundaret ex uno* (3). — *Nulla siquidem oratione praemissa... tam patrem eius, quam ipsum nomine appellat* (beatus es Simon Bar Jona), *et Simonem eum non iam vocari patitur, eum sibi pro sua potestate iam tum ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta super quemfundaturus erat suam Ecclesiam* (4). Quo ex oraculo liquet, Dei voluntate iussuque Ecclesiam in beato Petro, velut aedes in fundamento consistere. Atqui fundamenti propria natura et vis est, ut cohaerentes efficiat aedes variorum coagmentatione membrorum, itemque ut operi sit necessarium vinculum incolumitatis ac fìrmitudinis: quo sublato, omnis aedificatio conabitur. Igitur Petri est sustinere Ecclesiam tuerique non solubili compage connexam ac firmam. Tantum vero explere muniis qui possit sine potestate iubendi, vetandi, iudicandi, quae vere proprieque *iurisdictio* dicitur? Profecto non nisi potestate iurisdictionis stant civitates resque publicae. Principatus honoris ac pertenuis illa consulendi monendique facultas, quam *directionem* vocant, nulli hominum societati admodum prodesse neque ad unitatem neque ad firmitudinem queunt. Atque hanc, de qua loquimur, potestatem illa declarant et confirmant: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. — Quam autem eami an enim petram supra quam Christus aedificat Ecclesiam? an Ecclesiam? Ambigua quippe locutio est: an quasi unam eamdem' que rem, petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo, nec enim adversus petram super quam Christus Ecclesiam ae-*

(1) S. Thomas, *Contra Gentiles*, lib. IV, cap. 76.
(2) Matth. XVI, 18.
(3) S. Pacianus, ad Semproniam, epist. III, n. 11.
(4) S. Cyrillus Alexandrinus, *in Evang. Ioan.* lib. IT, in cap. 1, v. 42.

*dífieat, nec adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt* (1). Cuius divinae sententiae ea vis est: quamcumque visi invisique hostes vim, quascumque artes adhibuerint, numquam fore ut fulta Petro Ecclesia succumbat, aut quoquo modo deficiat: *Ecclesia vero tamquam Christi aedificium, qui sapienter aedificavit « domum suam supra petram », portarum inferi capax non est, praevalentiam quidem adversus quemcumque hominem, qui extra petram et Ecclesiam fuerit, sed invalidarum adversus illam* (2). Ergo Ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut perpetuo incolumem tutor invictus conservaret. Eum igitur auxit potestate debita: quia societati hominum re et cum effectu tuendae, ius imperii in eo qui tuetur est necessarium. Illud praeterea Iesus adnexuit: *Et tibi dabo claves regni caelorum.* Plane loqui de Ecclesia pergit, quam paullo ante nuncuparat *suam,* quamque ipsam velle se in Petro dixit, tamquam in fundamento, statuere. Expressam non modo *aedificii,* sed etiam *regni* imaginem gerit Ecclesia: ceteroqui insigne usitatum imperii claves esse, nemo nescit. Quapropter *claves regni caelorum* cum Iesus dare Petro pollicetur, potestatem et ius in Ecclesiam pollicetur daturum. *Filius vero et Patris et sui ipsius cognitionem per totum orbem illi (Petro) disseminare commisit, ac mortali homini omnem in caelo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et caelis firmiorem monstravit -(3).* Concinunt cetera: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui iuris, quippe quae nullam habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quae sunt Ecclesiae commissa, universa complectitur.

Promissum exsolvitur, quo tempore Christus Dominus, post anastasim suam, cum ter a Petro, num se diligeret plus quam ceteri, quaesisset, praecipientis in modum ei, *Pasce,* ait, *agnos*

(1) Origenes, *Comment, in Matth.,* tom. XII, n. H.

(2) Ib.

(3) S. Ioannes Chrysostomus, Horn. LI V, *in Matth.,* n. 2.

*meos. . . . pasee oves meas* (1). Nimirum quotquot essent in ovili suo futuri, omnes illi velut pastori committit: *Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in caelum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat... Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus anteferetur.... perfeetiores ut perfectior gubernaret* (2). Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se praebere ducem, eumdemque sospitare salubrità te pabulorum, prohibendo pericula, ea vendo insidias, tutando a vi: brevi, regendo gubernando. Cum igitur Petrus est gregi christianorum pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines, quorum saluti Iesus Christus profuso sanguine prospexerat: *Cur sanguinem effudit? Ut has emeret oves, quas Petro et successoribus eius tradidit* (3).

Quoniamque immutabilis communione fidei christianos omnes oportet esse invicem coniunctos, idcirco suarum virtute precum Christus Dominus impetravit Petro, ut in gerenda potestate nunquam fide laberetur: *Ego autem rogavi pro-te, ut non deficiat fides tua* (4). Eidem praeterea mandavit ut, quoties tempora postularent, ipse impertiret fratribus suis lumen animi et robur: *Confirma fratres tuos* (5). Quem igitur fundamentum Ecclesiae designarat, eumdem esse vult columen fidei : *Cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat, quem eum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit?* (6). Hinc ipse Iesus certa quaedam nomina, magnarum indicia rerum, quae *sibi potestate sunt propria, voluit esse Petro secum participatione communia* (7), nimirum ut ex communione titulorum appareret communio potestatis. Ita ipse, qui *lapis est angularis, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino* (8), Petrum velut *lapidem* statuit, quo fulta esse Ecclesia deberet. *Cum audisset « petra es » praeconio nobilitatus est. Quamquam autem petra est, non ut Christus petra, sed ut Petrus petra. Christus enim essentialiter petra ineon-*

(1) Ioan. XXI, 16-17.
(2) S. Ambrosius, *Eccposit. in Evang. secundum Lucam,* lib. X, nn. 175-176.
(3) S. ioannes Chrysostomus, *De Sacerdotio,* lib. II.
(4) Luc. XXII, 32.
(5) Ib.
(6) S. Ambrosius, *De Fide,* lib. IV, n. S6.
(7) S. Leo M. serm. IV, cap. 2.
(8) Ephes. II, 21.

*cussa; Petrus vero per petram. Nam Iesus dignitates suas largitur , nee exhauritur. . . . Sacerdos est, facit sacerdotes. . . . petra est, petram facit* (1). Rex idem Ecclesiae, *qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit: claudit et nemo aperit* (2), traditis Petro *clavibus,* principem christianae reipublicae declaravit. Pariter pastor maximus, qui se ipse *pastorem bonum* nuncupat (3), *agnis atque ovibus suis* pastorem Petrum praeposuit: *Pasce agnos, pasce oves.* Quare Chrysostomus: *Eximius erat inter Apostolos, et os discipulorum et coetus illius caput... Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei praefecturam committit.... Dicit autem: Si amas me, fratribus praeesto* (4). Demum qui confirmât *in omni opere et sermone bono* (5), mandavit Petro ut *confirmaret fratres suos.* Iure igitur Leo magnus : *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus* (6). Itemque Gregorius magnus ad Imperatorem Mauritium Augustum: *Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi apostolo totius Ecclesiae cura commissa est... Ecce claves regni caelestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, et cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur* (7).

Eiusmodi autem principatum, quoniam constitutione ipsa temperationeque Ecclesiae, velut pars praecipua, continetur, videlicet ut principium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuae, nequaquam cum beato Petro interire, sed reddere in eius successores ex alio in alium oportuit : *Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit* (8). Quare Pontifices, qui Petro in episcopatu romano succedunt, supremam Ecclesiae potestatem obtinent iure divino. *Definimus,*

(1) Horn, *de Poenitentia,* n. i in appendice opp. S. Basila.
(2) Apoc. TU, 7.
(3) Ioann. X, 11.
(4) Horn. LXXXVIII, *in Ioan.* n. 1.
(5) II. Thessalon. II, 16.
(6) Serro. IV, cap. 2.
(7) *Epistolarum,* lib. V, epist. XX.
(8) S. Leo M. serm. III, cap. 3.

*sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur* (1). Similiter Concilium Lateranense IV: *Romana Ecclesia.... disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra.* Antecesserat consensus antiquitatis, quae episcopos romanos sine ulla dubitatione sic semper observavit et coluit ut beati Petri legitimos successores. Quem vero lateat quot in eamdem rem extent et quam luculenta sanctorum patrum testimonia ? Illud valde praeclarum Irenaei qui cum de Ecclesia romana dissereret, *ad hanc enim,* inquit, *Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam* (2). Ac Cyprianus itidem de Ecclesia romana affirmat, eam esse *Ecclesiae catholicae radicem et matricem* (3), *Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est* (4). *Cathedram* Petri appellat quippe quam insidet Petri successor: *Ecclesiam principalem* ob principatum Petro ipsi et legitimis successoribus collatum: *mide unitas exorta,* quia in christiana republica caussa efficiens unitatis est Ecclesia romana. Quare Hieronymus iis verbis Damasum affatur: *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor.... Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consoeior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio* (5). Sollemne illi est, catholicum hominem ex coniunctione cum romana Petri sede internoscere : *Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est* (6). Neque absimili ratione Augustinus, palam testatus, *in romana Ecclesia semper Apostolicae cathedrae viguisse principatum* (7), negat esse catholicum, quicumque a fide romana

(1) *Concilium Florentinum.*
(2) *Contra Haereses,* lib. III, cap. 3, n. 2.
(3) Epist. XLVIII, ad Cornelium, n. 5.
(4) Epist. LIX, ad eumd., n. 14.
(5) Epist. XV, ad Damasum, n. 2.
(6) Epist. XVI, ad Damasum, n. 2.
(7) Epist. XLIII, n. 7.

dissentiat: *Non crederis ner am fidem tenere catholicam, qui fidem non doces esse servandam romanam (i).* Item Cyprianus: Communicare cum Cornelio, *hoc est cum catholica Ecclesia communicare* (2). Similiter Maximus Abbas hanc verae fidei veraeque communionis notam esse docet, subesse Pontifici romano : *Itaque si vult haereticus non esse neque audire, non isti aut illi satisfaciat . . . Festinet pro omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacía, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimae romanorum Ecclesiae beatissimum Papam, id est Apostolicam Sedem.* Cuius rei caussam rationemque in eo affirmat residere, quod *ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus salietis synodis, secundum sacros canones et terminos, universarum quae in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi. Cum hoc enim ligat et solvit, etiam in caelo Verbum, quod caelestibus virtutibus prineipatur* (3). Quod igitur erat in fide christiana, quod non una gens, aut una aetas, sed aetates omnes, et Oriens pariter atque Occidens agnoscere atque observare consueverat, id meminit, nullo contradicente, ad Ephesinam Synodum Philippus presbyter, a Pontifice legatus: *Nulli dubium est, imo saeculis omnibus notum, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo,. salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata, potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet* » (4). Eademque de re in omnium cognitione versatur Concilii Chalcedonensis sententia: *Petrus per Leonem .... loquutus est* (5) : cui vox Concilii Constantinopolitani III resonat, tamquam imago: *Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps : illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem... charta et atramentum videbatur, et per Agathonem*

(1) Serai. CXX, n. 13.
(2) Epist. L V, n. 1.
(3) *Defloratio ex Epistola ad Petrum illustrem.*
(4) Actio III.
(5) Actio II.

*Petrus loquebatur* (1). In formula catholicae professionis ab Hormisda conceptis verbis, ineunte saeculo sexto, proposita, cui tum Iustinianus Imperator, tum Epiphanius, Ioannes, et Menna Patriarchae subscripserunt, illud est magna vi sententiarum declaratum : *Quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis:* Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... *haec, quae dieta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio* (2). Nolumus quidem persequi singula: libet tamen formulam fidei meminisse, quam Michael Palaeologus in Concilio Lugdunensi II professus est: *Ipsa quoque sancta romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum principe sive vertice, cuius romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tegetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri* (3).

Si Petri eiusque successorum plena ac summa potestas est, ea tamen esse ne putetur sola. Nam qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem *elegit duodecim... quos et apostolos nominavit* (4). Quo modo Petri auctoritatem in romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt; ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii, neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* romanorum pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur.

Verum quia successor Petri unus est, Apostolorum permulti, consentaneum est perspicere quae sint istorum cum illo, divina constitutione, necessitudines. — Ac primo quidem coniunctionis episcoporum cum eo qui Petro succedit non obscura est neque dubia necessitas: hoc enim soluto nexu, solvitur ac diffluit mul-

(1) Actio XVIII.

(2) Post Epistolam XXVI, ad omnes Episc. Hispan., n. 4.

(3) Actio IV.

(4) Luc. VI, 13.

filudo ipsa christianorum, ita plane ut nullo pacto queat unum corpus conflare unumque gregem: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia effieientur schismata, quot sacerdotes* (1). Idcirco ad id praestat advertere animum: nihil esse Apostolis seorsum a Petro collatum; plura seorsum ab Apostolis ac separatim Petro. Ioannes Chrysostomus in Christi edisserenda sententia (Ioan XXI, 15) cum percontatus esset, *Cur, aliis praetermissis, de his Christus Petrum alloquitur?* omnino respondet: *Eximius erat inter Apostolos, et os disci* pulorum, et coetus illius caput* (2). Hic enim unus designatus a Christo 'est fundamentum Ecclesiae : ipsi *ligandi* copia *sôlvendique* permissa, eidemque *pascendi* data potestas' uni. Contra quidquid auctoritatis ac muneris accepere Apostoli, coniuncte cum Petro accepere: *Divina dig natio si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit* (3). *Ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius, participatione transierit* (4). Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint. Nam a fundamento, quo totum debet aedificium niti, secessione divelluntur; itaque exclusi *aedificio* ipso sunt: ob eamdemque caussam ab *ovili* seiuncti, cui dux est pastor maximus, *regnoque* extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves.

Quibus rebus rursus noscimus in constituenda christiana republica caelestem descriptionem mentemque divinam. Videlicet cum Ecclesiam divinus auctor fide et regimine et communione unam esse decrevisset, Petrum eiusque successores delegit in quibus principium foret ac velut centrum unitatis. Quare Cyprianus : *Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum:* Ego tibi dico, *inquit,* Quia tu es Petrus.... *Super unum aedificat Ecclesiam. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: sicut misit me Pater...., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctori-*

(1) S. Hieronymus, Dialog. *Contra Luciferianos,* n. 9.
(2) Horn. LXXXVIII. *in Ioann.* n. 1.
(3) S. Leo M. serai. IV, cap. 2.
(4) Ib.

*tate disposuit* (1). Atque Optatus Milevitanus: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur : ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret* (2). Unde est illa ipsius Cypriani sententia, cum haeresim tum schisma ex eo ortum habere gignique, quod debita supremae potestati obedientia abiicitur : *Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur* (3). Nemo igitur, nisi cum Petro cohaereat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse. Quare Optatus Milevitanus reprehendebat hoc nomine Donatistas: *Contra quas portas* (inferi) *claves salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum, cui a Christo dictum est: tibi dabo elaves regni caelorum, et portae inferi non vincent eas. Unde est ergo, quod claves regni caelorum vobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri______militatisi* (4).

Sed Episcoporum ordo tunc rite, ut Christus iussit, colligagatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat : secus in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur. Fidei et communionis unitati rite conservandae, non gerere honoris caussa priores partes, non curam agere satis est; sed omnino auctoritate est opus vera eademque summa, cui obtemperet tota communitas. Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni caelorum *uni* pollicitus est Petro? Summum fastigium potestatis nomine *clavium* eo loco designari, *usus biblicus* et Patrum consentientes sententiae dubitari non sinunt. Neque secus interpretari fas est, quae vel Petro separatim tributa sunt, vel Apostolis coniunctim cum Petro. Si ligandi, solvendi, pascendique facultas hoc parit in episcopis, successoribus Apostolorum, ut populum quisque suum vera cum potestate regat, certe idem

(1) *De Unit. Eccl,* n. 4.
(2) *De Schism. Donat.,* lib. II.
(3) Epist. XII, ad Gornelium, n. 5.
(4) Lib. II, n. 4, 5.

parere eadem facultas in eo debet, cui pascendi *agnos et oves* assignatum est, Deo auctore, munus : *Non solum Pastorem (Petrum), sed pastorum pastorem (Christus) constituit: pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pa sed filios, pascit et matres: regit subditos, regit et praelatos quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est* (1). Hinc illae de beato Petro singulares veterum locutiones, quae in summo dignitatis potestatisque gradu locatum luculenter praedicant. Appellant passim *principem coetus discipulorum : sanctorum Apostolorum principem : chori illius coryphaeum : os Apostolorum omnium : caput illius familiae : orbis totius praepositum : inter Apostolos primum : Ecclesiae columen.* Quae omnia concludere Bernardus iis verbis videtur ad Eugenium Papam : *Quis es ? Sacerdos magnus, summus pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres Apostolorum.... Tu es, ad claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores ; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris. Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves ? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas ? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit : cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes ì Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* (2).

Illud vero abhorret a veritate, et aperte repugnat constitutioni divinae, iurisdictioni romanorum Pontificum episcopos subesse *singulos,* ius esse; *universos,* ius non esse. Haec enim omnis est caussa ratioque fundamenti, ut unitatem stabilitatemque toti potius aedificio, quam *partibus* eius *singtdis* tueatur. Quod est in caussa, de qua loquimur, multo verius, quia Christus Dominus fundamenti virtute confieri voluit, ut portae inferi non praevaleant adversus Ecclesiam. Quod promissum divinum constat inter omnes de Ecclesia universa intelligi oportere, non de singulis eius partibus, quippe quae utique vinci inferorum impetu possunt, nonnullisque earum, ut vincerentur,

(1) S. Brunonis Episcopi Signiensis *Comment, in Ioann.* part. III, cap. 21, n. 55.
(2) *De Consideratione,* lib. II, cap. 8.

singillatim evenit. Rursus, qui gregi praepositus est universo, eum non modo in oves dispersas, sed prorsus in multitudinem insimul congregatarum habere imperium necesse est. Num regat agatque pastorem suum universitas ovium ? Num successores Apostolorum, simul coniuncti, fundamentum sint, quo Petri successor, adipiscendi firmamenti caussa, innitatur? Profecto cuius in potestate sunt claves regni, ei ius atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul : et quo modo episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate praesunt, ita Pontifices romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes eius partes, etiam una collectas, subiectas atque obedientes habent potestati suae. Christus Dominus, quod iam dictum satis, Petro eiusque successoribus tribuit ut essent *vicarii* sui, atque eamdem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipsemet gesserat in vita mortali. Num Apostolorum collegium magistro suo praestitisse auctoritate dicatur?

Hanc vero, de qua dicimus, in ipsum episcoporum collegium potestatem, quam sacrae litterae tam aperte enuntiant, agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Illa sunt in hoc genere effata Conciliorum : *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus : de eo vero quemquam iudicasse, non legimus* (1). Cuius rei ea ratio redditur, quod *auctoritate Sedis Apostolicae maior non est* (2). Quare de Conciliorum decretis Gelasius : *Sicut id quod prima Sedes non probaverai, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit* (3). Sane Conciliorum consulta et decreta, rata habere vel infirmare semper romanorum Pontificum fuit. Conciliabuli Ephesini acta rescidit Leo magnus : Ariminensis, reiecit Damasus : Constantinopolitani, Hadrianus I ; canonem vero XXVIII Concilii Chalcedonensis, quod assensu et auctoritate caruit Sedis Apostolicae, velut incassum quiddam constat iacuisse. Recte igitur in Concilio Lateranensi V Leo X

(1) Hadrianus II, *in Allocutione III* ad Synodum Romanam an. 869. Cf. Actionem VII Concilii Constantinopolitani IV.

(2) Nicolaus in epist. LXXXVI, Ad Michael. Imperat. — *Patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.*

(3) Epist. XXVI ad Episcopos Dardaniae n. 5.

statuit : *Solum romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam Conciliorum indieendorum, transfer endor um, ae dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio dictisque Patrum ac aliorum romanorum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat.* Sane claves regni caelorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacrae litterae testantur : at vero summam potestatem *sine Petro* et *contra Petrum* unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a Iesu Christo nullo pacto accepere. — Quibus de caussis, Concilii Vaticani decreto, quod est de vi et ratione primatus Romani Pontificis, non opinio est invecta nova, sed vetus et constans omnium saeculorum asserta fides (1).

Neque vero potestati geminae eosdem subesse, confusionem habet administrationis. Tale quicquam suspicari, primum sapientia Dei prohibemur, cuius consilio est temperatio isthaec regiminis constituta. Illud praeterea animadvertendum, tum rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari, si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio. Sed romani pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui iuris : episcoporum vero certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris : *Inconveniens est, quod duo aequaliter super eumdem gregem constituantur. Sed quod duo, quorum unus alio principalior est, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens ; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et Sacerdos parochialis et Episcopus et Papa* (2). Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum : propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiâque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam ut sua Episcopis auctoritas salva sit. Imo quidquid Episcopis tribuitur honoris, quidquid obsequii, id omne sibimetipsis tributum députant. *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur* (3).

(1) Sess. IV, cap. 3.

(2) S. Thomas *in IV sent.* dist. XVII, a. 4, ad q. 4, ad 3.

(3) S. Gregorius M. *Epistolarum* lib. VIII, epist. XXX, ad Eulogium.

His quae dicta sunt, Ecclesiae quidem imaginem atque formam ex divina constitutione fideliter expressimus. Plura persecuti de unitate sumus; cuiusmodi hanc esse, et quo conservandam principio divinus auctor voluerit, satis explicavimus. Quotquot divino munere beneficioque contigit, ut in sinu Ecclesiae catholicae tamquam ex ea nati vivant, eos vocem Nostram apostolicam audituros, non est cur dubitamus : *Oves meae vocem meam audiunt* (1). Atque hinc facile sumpserint quo et erudiantur plenius, et voluntate propensiore cum pastoribus quisque suis et per eos cum pastore summo cohaereant, ut tutius queant intra ovile unicum permanere, fructuumque ex eo salutarium maiorem ubertatem capere. Verum aspicientibus Nobis *in auctorem fidei, et consummatorem Iesum* (2), cuius vicaria potestate, tametsi impares dignitati et muneri, fungimur, caritate eius inflammatur animus ; illudque de se a Christo dictum, de Nobismetipsis non sine caussa usurpemus : *Alias oves habeo , quae non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient* (3). Nos igitur audire et caritati Nostrae paternae obsequi ne recusent, quotquot sunt qui impietatem tam late fusam oderunt, et Iesum Christum Filium Dei eumdemque servatorem generis humani agnoscunt et fatentur, sed tamen vagantur ab eius Sponsa longius. Qui Christum sumunt, totum sumant necesse est: *Totus Christus caput et corpus est: caput unigenitus Filius Dei, corpus eius Ecclesia : sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite a Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitali Ecclesiae non communicant, non sunt in Ecclesia* (4). Ac pari studio ad eos provolat animus Noster, quos impietatis non funditus corrupit pestilens afflatus, quique hoc saltem expetunt, sibi patris esse loco Deum verum, terrae caelique opificem. Hi quidem apud se reputent ac plane intelligant, numerari se in filiis Dei nequaquam posse, nisi fratrem sibi Iesum Christum simulque Ecclesiam matrem adsciverint. Omnes igitur peramanter, sumpta ex Augustino ipso sententia, compel-

li) Ioan. X, 27.

(2) Hebr. XII, 2.

(3) 'oan. X, 16.

(4) S. Augustinus, *Contra Donatistas, Epistola, sive De Unit. Eccl.* cap. IV, n. 7.

lamus : *Amemas Dominum Deum nostrum, ctmemus Ecclesiam eius: illum sicut patrem, istam sicut matrem. Nemo dicat: ad idola quidem vado, arreptitios et sortílegos eonsulo, sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo : catholicus sum. Tenens matrem, offendisti patrem. Alius item dicit: absit a me, non eonsulo sortilegum, non quaero arreptitium, non quaero divinationes sacrilegas, non eo ad ador anda daemonia,, non servio lapidibus : sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus pater, qui offensam vindicat matrem? Quid prodest si Dominum confitens, Deum honoras, ipsum praedicas, Fdium eius agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confitens, et blasphemas Ecclesiam eius ?.... Si haberes aliquem patronum , cui quotidie obsequereris ; si unum crimen de eius coniuge diceres, num quid domum eius intrares ? Tenete ergo , carissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem et matrem Ecclesiam* (1).

Plurimum misericordi Deo confisi, qui maxime potest animos hominum permovere, et unde vult, et quo vult, impellere, benignitati eius universos, quos in oratione spectavimus, vehementer commendamus. Caelestium vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum 29 Iunii Ann. 1896, Pontificatus Nostri decimo nono.

LEO PP. XIII.

(1) *Enarratio in Psal. LXXXVIII,* sermo II, n. 14.

# EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORIO HABITO die 22 Iunii 1896.

SSmus Pater Leo XIII in Palatio Vaticano habuit Consistorium secretum, in quo pronuntiavit sequentem

## ALLOCUTIONEM

*Venerabiles Fratres*

Movente officio, ut ecclesiarum viduitati prospiciamus, amplissimumque suppleamus Collegium vestrum, nonnihil praeloqui libet de quodam suscepto Nobis consilio, quo rationibus rei christianae non parum videtur posse conducere. — Ecclesiae matris nullo quidem tempore defuere studia in iis revocandis invitandisque, quos vel animorum dissensio vel mentium error a sinu suo calamitose abstraxisset: hisce tamen proximis annis, per eas rerum opportunitates quas probe nostis, factum est ut eadem studia Ecclesiae impensius caluerinl. Iamque licuit fructuum expeditorum quodammodo percipi libamenta, quae spem alant et alacritatem intendant propositi; maxime quod passim in disiunctis gentibus iudicia non obscura increbrescunt,. quasi inclinantium ad ipsam cum benevolentia animos, et ad hanc Petri Cathedram non sine desiderio. coniunctionis veteris respicientium. Quae Nos magnopere coram Deo reputantes, si quidquam adhuc, apostolicae caritatis ductu, hac ipsa in causa moliti sumus atque effecimus, sane percupimus multo iam ampliora praesidia, docendo agendoque, iis afferre posse qui regnum Christi quaerant in veritate. Et quoniam christianae doctrinae gravissimum caput et velut fundamentum continetur germana Ecclesiae cognitione, idcirco induximus animum. Ecclesiae imaginem atque formam ex constitutione divina expressam, proferre in medium; eo praecipue spectantes, ut insigne admirabile unitatis, inditum ei divinitus, luculentius emergat. Profecto, qui Ecclesiam prope aspiciant et contemplentur, qualem sancti patres ac doctores per orientem constanter et occidentem conservaverunt, qualem ab ultima antiquitate monumenta omne genus illustrant, utrumque consequi, caelesti aspirante gratia, necesse est, ut qui dissident, incitamentum capiant et lumen ad unitatem requirendam, qui vero tanti beneficii sunt compotes, id ipsum et pluris faciant et colant studiosius. —

Institutum consilium perfecturi propediem sumus, litteris dandis encyclicis ad Epicopos universos : eaque documenta auspiciis committere placet beatissimorum Petri et Pauli, Apostolorum principium, quorum praeceptis, laboribus, sanguine, primordia Ecclesiae, unicae Christi Sponsae, sunt gloriosissime consecrata.

Hac vobiscum, Venerabiles Fratres, communicata re, adiicimus animum ad Collegium vestrum. Eiusmodi autem honore dignos censuimus viros aliquot, animi laudibus ingeniique egregios, qui Sedi Apostolicae sollertiam suam, fidem, devinctamque voluntatem probaverunt; in primis vero qui, variis gestis legationibus, de ea optime sunt meriti.

Hi sunt:

DOMINICUS MARIA IACOBINI, Archiepiscopus tit. Tyrius, Nuntius Apostolicus in Lusitania.

ANTONIUS AGLIARDI, Archiepiscopus tit. Caesariensis, Nuntius Apostolicus in Austria-Hungaria.

DOMINICUS FERRATA, Archiepiscopus tit. Thessalonicensi s, Nuntius Apostolicus in Gallia.

SERAPHINUS CRETONI, Archiepiscopus tit. Damascenus, Nuntius Apostolicus in Hispania.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

DOMINICUM MARIAM IACOBINI
ANTONIUM AGLIARDI
DOMINICUM FERRATA
SERAPHINUM CRETONI

Creamus praeterea duos alios S. R. E. Cardinales, quos in pectore reservamus, arbitrio Nostro quandocumque evulgandos.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine >£ Patris »$t et Filii et Spiritus >$s Sancti. Amen.

Qua Allocutione expleta, SSmus proposuit sequentes Ecclesias :

*Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sardicen.* vacati, per obitum bo. me. Bonaventurae Mariae Soldatich, ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Pauli de Sanctis, Episcopi Mandelensis.

*Metropolitanam Ecclesiam Utinen.* vacan, per obitum bo. me. Ioannis Mariae-Berengo, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Zamburlini Antistitis Concordiensis.

*Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sebastenam* vacan, per successionem R. P. D. Placidi Ludovici Chapelle ad Metropolitanam Sedem S. Fidei in America, favore R. P. D. Aemygdii Taliani, presbyteri dioecesis Asculan. in Piceno. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco vulgo *Montegallo* dioecesis Asculan. in Piceno progenitus et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia atque in utroque iure doctorali laurea donatus, Monachii ac Parisiis penes Apostolicas Legationes Auditoris munere perfunctus, Ablegatus Apostolicus atque intimus Sanctitatis Suae Cubicularii supra numerum renunciatus, deinde inter Antistites Pontificiae Domus atque Apostolicos Protonotarios cooptatus, sacrae Romanae Rotae Auditor ac Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Vicarius hucusque renunciatus est.

*Archiepiscopalem titularem Ecclesiam Aeliopolitan.* vacan, per assignationem tituli S Bartholomaei in Insula factam Emo ac Rmo Domino'Mario S.R.E. Cardinali Mocenni, nunc Episcopo Sabinen., favore R. P. D. Augustini Accoramboni, Presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus, ac septuagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, tum in sacra theologia tum in utroque iure doctorali laurea donatus, Professoris sacrae liturgiae ac sacrae archeologiae in Pontificio Collegio Urbano *de Propaganda Fide* munere perfunctus, inter Censores Academiae liturgicae et Apostolicos Caeremoniarios adnumeratus est. Deinde Protonotarius Apostolicus *ad instar participantium,* Signaturae Referendarius, Substitutus Secretariae a supplicibus libellis, ac Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Canonicus hucusque est renunciatus.

*Metropolitanam Ecclesiam Syracusan,* vacan, per obitum bo. me. Benedicti La Vecchia Guarneri, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Fiorenza, presbyteri Montis Regalis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Monte Regali progenitus et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, in seminario archiepiscopali Montis Regalis italicas graecasque litteras edocuit, Canonicus theologus patriae Ecclesiae Metropolitanae primum, ac deinde Canonicus Parochus hucusque renunciatus est. Praelatus etiam Ordinarius pro dioecesi nullius S. Luciae olim electus est, licet nullam assequutus fuerit administrationem.

*Archiepiscopalem Ecclesiam Lancianen.* cum perpetua administratione Cathedralis Ecclesiae Ortonensis, vacan, per obitum bo. me. Francisci Petrarca, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Angeli Delia Cioppa Presbyteri Capuanae archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato *Bellona,* archidioeceseos Capuanae progenitus et in quinquagesimo sexto aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia doctorali laurea dudum insignitus, Parochi ac deinde Rectoris seminarii archidioecesani muneribus perfunctus, Metropolitanae Ecclesiae Capuanae Canonicus Poenitentiarius ad praesens u^que renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Cortonen.* vacan, per obitum bo. nie. Ioannis Baptistae Laparelli Pitti, postremi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Guidonis Corbelli, hactenus Archiepiscopi titularis Pelusiani.

*Cathedralem Ecclesiam Piscien.* vacan, per obitum bo. me. Ioannis Antonii Benini, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iulii Matleoli Episcopi Soanen.-Pitilianen.

*Cathedralem Ecclesiam Pisauren.* vacan, per obitum bo. me. Clementis Fares,

ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Caroli Bonaiuti hactenus Episcopi Feretrano

*Cathedralem Ecclesiam Fanen.* vacan, per obitum bo. me. Camilli Buggeri, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Vincentii Franceschini, Episcopi Forosemproniensis.

*Cathedralem Ecclesiam Ugentin.* vacan per obitum bo me. Vincentii Brancia, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Aloisii Pugliese. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Ceriniolae progenitus et in sexto supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, Professoris in seminario ac Parochi ad S. Mariae de Monte Carmelo Ceriniolae muneribus perfunctus, Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Ecclesiae Ceriniolensis hucusque renunciatus est

*Coadiutoriam* cum futura successione Cathedralis Ecclesiae S. Agathae Gothorum, favore R. P. D. Ferdinandi Gieri, Episcopi titularis Canopitani.

*Cathedralem Ecclesiam Balneoregien.* vacan, per obitum bo. me. Herculis Boffi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Eutitii Parsi Presbyteri dioeceseos Yiterbiensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Centumcellis progenitus et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, doctorali laurea in sacra theologia donatus, Viterbii in seminario dioecesano Rectoris primum ac deinde Deputati atque etiam Professoris theologiae dogmaticae muneribus perfunctus est.

*Cathedralem Ecclesiam Assisien.* vacan, per obitum bo. me. Nicanoris Thomae Priori, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Aloisii De Persiis, Presbyteri Alatrini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Alalriae progenitus et sexagesimum primum aetatis suae anuum supergressus, Alumnis Pontificii seminarii Pii adiunctus in sacra theologia doctorali laurea dudum donatus, Philosophiae Professor in patrio seminario ac Basilicae Cathedralis Canonicus Theologus renunciatus; Examinatoris pro-Synodalis atque pro-Vicarii Generalis muneribus hucusque perfunctus est.

*Cathedralem Ecclesiam Forosempronien,* vacan, per translationem R. P. D. Vincentii Franceschini ad Cathedralem Sedem Fanensem, favore R. D. Dionysii Alessandri, Presbyteri Assisiensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Assisii progenitus, et in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus, Alumnis Pontificii Seminarii Pii adiunctus Romae, in philosophia, in sacra theologia et in utroque iure doctorali laurea ditatus, Professoris theologiae moralis, Rectoris seminarii seraphici atque Examinatoris pro-Synodalis muneribus perfunctus, prima Prioratus dignitate in Ecclesia Cathedrali cohonestatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Mandelen.* cum ei adnexo titulo Abbatialis Ecclesiae **S.** Salvatoris Maioris vacan, per promotionem R. P. D. Pauli De Sanctis ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sardicensem, favore R. D. Dominici Ambrosi Presbyteri dioeceseos Ferentini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Ceccani dioecesis Ferentini progenitus et quinquagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, in utroque iure dudum auctus doctorali laurea, Convisitatoris dioecesani muneie perfunctus, Canonicus primum ac deinde Archipresbyter Collegiatae S. Ioannis Baptistae renunciatus est.

*Cathedrales Ecclesias S. Marci ac Bisiniani,* sibi invicem perpetuo canonice unitas et vacan, per translationem ad Sedem S. Severi R. P. D. Stanislai de Luca, favore R. D. Caroli Vincentii Ricotta, Presbyteri Fodiani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Fodiae progenitus et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutus, primum Fodiae Rector Ecclesiae S. Augustini renunciatus, Directoris spiritualis Seminarii ac Convisitatoris dioecesani muneribus perfunctus, hucusque vero paroeciam S. Ioannis Baptistae adeptus est.

*Cathedralem Ecclesiam Concordien.* vacan, per promotionem R. P. D. Petri Zamburlini ad Metropolitanam Ecclesiam Utinensem, favore R. D. Francisci Isola, Presbyteri Utinensis archidioecesis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato *Montenars* Utinensis archidioeceseos progenitus et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutus, in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, in Ecclesia Metropolitana Utinensi Canonicatu donatus, eiusdem archidioeceseos Vicarius in spiritualibus generalis ac deinde sede vacante Vicarius Capitularis electus est.

*Cathedralem Ecclesiam Calatanisiaden,* vacan, per obitum bo, me. Ioannis Baptistae Gultadauro, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D Ignatii Zucearo, Presbyteri Panormitani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Panormi progenitus atque in quinquagesimo sexto aetatis suae anno constitutus, Deputati seminarii clericorum atque Examinatoris pro-Synodalis muneribus est perfunctus, Sanctitatis Suae intimus Cubicularii supra numerum. Metropolitanae Ecclesiae Panormitanae Canonicus Thesaurarius eiusdemque archidioeceseos pro-Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Nemausen.* vacan, per obitum bo. me. Ioannis Alfridi Gilly, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Felicis Augusti Béguinot, Presbyteri archidioeceseos Bituricensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, quem vulgo dicunt *Bannay,* Bituricensis archidioeceseos progenitus et in sexagesimo aetatis suae anno constitutus, Metropolitanae Ecclesiae Bituricensis Canonicus ornamenlarius, eiusdemque archidioecesis Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

De Consistorio habito die 25 Iunii 1896.

*Metropolitanam Ecclesiam Auxitan.* vacan, per obitum bp. me. Ioannis Leonis Gouzol, ultimi illius Archipraesul, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Matthaei Victoris Balain Antistitis Niciensis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure Gallicae Reipublicae Praesidis.

*Metropolitanam Ecclesiam Turonen.* vacan, per obitum clar. me. Renati S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Meignan, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Renati Francisci Renou, Antistitis Ambianensis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure Gallicae Reipublicae Praesidis.

*Metropolitanam Ecclesiam Tolosan.* vacan, per obitum clar. me. Iuliani Floriani S. R E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Desprez,, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Desiderati Mathieu Episcopi Andegavansis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure, Gallicae Reipublicae Praesidis.

*Metropolitanam Ecclesiam Avenionen.* vacan, per obitum bo. me. Aloisii Iosephi Mariae Angeli Vigne, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ludovici Francisci Sueur, Episcopi Ebroicensis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure, Gallicae Reipublicae Praesidis.

*Cathedralem Ecclesiam Terulen.* vacan, per obitum bo. me. Antonii Estalella et Sivillá, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Comes et Vidal Episcopi Minoricensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

*Cathedrales Ecclesias Tergestin. ac Iustinopolitan.* invicem perpetuo canonice unitas, vacan., per translationem R. P. D. Ioaunis Glavina ad titularem Ecclesiam Episcopalem Theodosiopolitanam, favore R. P. D. Andrea Sterk, Episcopi Veglensis ad nominationem Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

*Cathedralem Ecclesiam Seguritin.* vacan, per obitum bo. me. Antonii Ochoa et Arenas, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Mariae Caparros et Lopez, Presbyteri Carthaginensis dioeceseos, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. R. D. Ioseph Maria Caparros et Lopez ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato *Ceheguin,* Carthaginensis dioeceseos, progenitus et quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, variis in locis magna singulorum Antistitum satisfactione Parochi munere perfunctus, Matritensis Cathedralis Ecclesiae Archipresbyter hucusque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Ambianen.* vacan, per promotionem R. P. D. Renati Francisci Renou ad Sedem Metropolitanam Turonensem, favore R. D. Ioannis Mariae Leonis Dizien, Presbyteri archidioeceseos Senoniensis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure, Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Ioannes Maria Leo Dizien ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Cure,* Senonensis archidioeceseos progenitus, et in primo supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, Viceparochi Metropolitanae Ecclesiae muneribus perfunctus, ibidem postea Canonicus ornamentarius ac Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Ebroicen.* vacan, per promotionem ad Metropolitanam Sedem Avenionensem R. P. D. Ludovici Francisci Sueur, favore R. D. Mariae Simeonis Henrici Colomb, presbyteri dioeceseos Valentinensis, ad nominationem perillustris viri Felicis Faure, Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Maria Simeon Henricus Colomb ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Iuliae Valentiae progenitus et in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus, in valentinensi Cathedrali Ecclesia Canonicatu donatus, ipsius dioeceseos Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Carnuten.* vacan, per obitum bo. me. Francisci Lagrange, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Boni Gabrielis Arthuri Mollien, Presbyteri dioeceseos Ambianensis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure, Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D Bonus Gabriel Arthurus Mollien ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco vulgo nuncupato *Chaulnes* dioeceseos Ambianensis, et primum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, Canonicus ornamentarius in eadem Cathedrali Ecclesia Ambianensi ac Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Nanneten,* vacan, per obitum bo. me. Augusti Laroche, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Aemilii Bouard, Presbyteri dioeceseos Divionensis ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure, Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Petrus Aemilius Rouard ex legitimis catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Montigny-sur-Aube,* dioecesis Divionensis, progenitus et in quinquagesimo septimo aetatis suae anno constitutus, eiusdem Divionensis dioeceseos Vicarius in spiritualibus Generalis atque Cathedralis Ecclesiae Canonicus ornamentarius hucusque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Nicien.* vacan, per promotionem R. P. D. Matthaei Victoria Balain ad Metropolitanam Sedem Auxitanam, favore R. D. Henrici Ludovici Chapon, presbyteri Briocensis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Henricus Ludovicus Chapon ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Briocensi progenitus, et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, Cathedralis Ecclesiae Nannetensis Canonicus titularis et Vicarius generalis ad honorem hucusque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Vallis-Vidonis* vacan, per obitum bo. me. Iulii Cleret, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Iosephi

Geay, presbyteri archidioeceseos Lugdunensis, ad nominationem perillustris' Viri Felicis Faure, Reipublicae Gallicae Praesidis. R. D Petrus Ioseph Geay ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco dicto *Saint-Symphorien-sur-Coise,* Lugdunensis archidioeceseos progenitus, et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressus, Canonicus Parochus seu Archipresbyter Primatialis Ecclesiae Lugdunensis hucusque renunciatus est.

*Cathedralem Ecclesiam Andegaven.* vacan per promotionem R. P. D. Francisci Desiderali Mathieu ad Sedem Metropolitanam Tolosanam, favore R. D. Ludovici Iulii Baron, presbyteri dioeceseos Versaliensis ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure, Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Ludovicus Iulius Baron ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Vaugrigneuse* dioecesis Versaliensis Drogenitus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in sua dioecesi Parochus renuntiatus, postea, publico facto experimento, inter Capellanos S. Genovefae adlectus est Parisiis, ubi pluribus in locis animarum curam suscepit. Demum eadem in urbe ad Ecclesiam parochialem Nostrae Dominae a Campis promotus est.

*Episcopalem Ecclesiam titularem Parnassen.* sub Archiepiscopo Mocisseno certo modo vacantem, favore R. D. Ioannis Baptistae Schneider, Presbyteri archidioecesis Viennensis; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Antonii Iosephi Titulo S. Mariae Angelorum in Thermis **S.** R. E. Presbyteri Cardinalis Gruscha Viennensis Archiepiscopi R D. Ioannes Baptista Schneider ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Gaunersdorfii archidioeceseos Viennensis progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, doctorali laurea in sacra Theologia donatus professoris Theologiae dogmaticae in Universitate Caesareo-Regia Vindobonensi perfunctus, parochus deinde ad S. Augustini, ac demum Metropolitanae Ecclesiae Canonicus est renunciatus.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Arcen,* sub Archiepiscopo Meliten, vacan, per obitum bo. me. Claudii Mariae Dubois, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Alberti Leonis Mariae Le Nordez, Presbyteri dioecesis Constantiensis; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Petri Ioannis Pagis Episcopi Virdunensis. R. P. D. Albertus Leo Maria Le N ordez ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco vulgo *Montebourg* nuncupato, dioeceseos Constantiensis progenitus ac quinquagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, Viroduni Vicarius Generalis ad honorem et Canonicus titularis Ecclesiae Cathedralis hucusque renunciatus, inter Apostolicos Protonotarios supra numerum *ad instar participantium* cooptatus est.

*Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Tarsen,* vacan, per obitum bo. mem. Sigismundi Felicis Felinski, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Nicolai Averardi. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido S- Aegidii dioecesis Montis Alti progenitus et quinquagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, auditor sacrae Romanae Rotae, Iudex Commissionis appellationis pro dirimendis controversiis cum Palatii Apostolici administrationibus, ac Sacrae Poenitentiariae Regens hucusque renunciatus est.

*Ecclesiam Clavarensem,* favore R, P. D. Fortunali Vinelli, Episcopi titularis Epiphaniensis.

*Titularem Ecclesiam Episcopalem Europen.* sub Archiepiscopo Hierapolilano vacat, per translationem ad Sedem Cathedralem Oscensem R. P. D. Mariani Supervia et Lostale, favore R. D. Caietani Quattrocchi, presbyteri dioecesis Platiensis; qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R P. D. Antonini Mariae Saeli, Episcopi Mazarien. R. D. Caietanus Quattrocchi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Mazareni in dioecesi Platiensi genitus et quadragesimum sextum aetatis suae annum super•

gressus, a secretis primum Episcopi Platiensis electus, in illius civitatis seminario philosophicas ac theologicas disciplinas tradidit, rector, deinde administrator eiusdem seminarii ad praesens usque renunciatus est.

*Monasterium Beatae Mariae Einsidlen.* Ordine S. Benedicti, Nullius seu Curien, dioeceseos, vacat, per obitum bo. me. Basila Oberholzer, ultimi illius Abbatis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Columbam Brugger, Presbyteri Basileensis et Monachi eiusdem Ordinis S. Benedicti expresse professi a RR. Patribus et Fratribus Capitularibus eiusmet Monasterii in Abbatem de more electi.

Post haec SSmus Dnus Noster notum fecit se per suas in forma Brevis Litteras nuperrime sequentes renunciare Antistites:

Archiepiscopos :

*Tarsensem,* Nicolaum Averardi:
*Laodicensem,* Raphaelem De Martinis.
*Philippopolitanum,* Franciscum Lesné.
*Philippensem,* Bernardum de Iesu.
*Bukarestiensem,* Franciscum Xaverium Hornstein.

Episcopos :

*Hieropolitanum,* Franciscum Mora.
*G-adarensem,* Nicolaum Iosephum Camilli.
*Clavarensem,* Fortunatum Vinelli.
*Epiphaniensem,* Franciscum Bourne.
*Aungelaeum,* Patritium Foley.
*Alalium,* Michaelem Hohan.
*Pinarensem,* Ioannem Iosephum Glennon.
*Anchialensem,* Casimirum Pinera et Naredo.
*Polemoniensem,* Petrum Broyer.
*Cori/cium,* Ludovicum Perez Perez
*Oensem,* Ioannem Baptistam Grosgeorge.
*Cimaeum,* Horalium Mazzella.
*Europensem,* Caietanum Quattrocchi.
*Echinensem,* Alaphridum Curiis.
*Iustinianopolitanum,* Hugonem Mac Sherry.
*Thymbriensem,,* Camillum Van Bonslé.

Abbatem :

*Einsidlensem,* Columbanum Brugger.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

VICENTINA dubium quoad benedictionem dandam puerperae, cuius proles mortua sit sine baptismo.

In kalendario Dioeceseos Vicentinae anno 1894 edito proposita, et menstruis coetibus casuum conscientiae quaestio agitata fuit super benedictione puerperae, cuius proles sine baptismo

decesserit. Sententiis in contraria abeuntibus, Rmus Canonicus qui eisdem coetibus praeerat, de legum liturgicarum observantia sollicitus, sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi, de consensu Rmi Episcopi Vicentini, humillime proposuit; nimirum: Utrum, vi decreti ab ipsa Sacra Rituum Congregatione dati die 12. Septembris 1857 in *Moline n* ad XXum, liceat Benedictionem mulieris post partum, iuxta Rituale Romanum, impertiri puerperae, cuius proles mortua fuerit sine baptismo; an vero abstinendum sit ab ea Benedictione? Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris et alterius ex Sacrae ipsius Congregationis Consultoribus, enuntiato dubio ab Emo et Rmo Dno Cardinali Andrea Steinhuber, in ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, proposito, respondendum censuit: *Non esse negandam benedictionem.* Die 19 Maii 1896.

Hisce vero omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregrationis ratum habuit et confirmavit. Die 8 Iunii eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI S. *R. C Secretarius.*

DUBIUM; quaeritur an decretum generale diei 27 Augusti 1894 (1) vim habeat obligandi quaslibet religiosas Congregationes utriusque sexus.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: An Decretum Generale ab eadem S. Rituum Congregatione die 27 Augusti 1894 editum, quo ad ambiguitatem omnem tollendam et uniformitatem inducendam, methodus in professione et renovatione votorum intra Missam servanda statuitur, vi obligandi polleat penes quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, proposito Dubio respondendum censuit: *Affirmative, ubi vota nuncupantur vel renovantur intra Missam, coram celebrante Sacram Hostiam manu tenente.*

Atque ita rescripsit. Die 5 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

(1) Relatum fuit Vol. XXVII, 187.

DECRETUM. Fideles praeceptum Ecclesiae adimplent, audientes Episcoporum missam vel aliorum, ad Episcoporum commodum, permissam.

URBIS ET ORBIS

Plures Sacrorum Antistites Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII humillima s porrexerunt preces, ut in bonum fidelium atque in dignitatis Episcopalis decus, dispositionem Decreti, die 22 Augusti 1818 editi, (1) super satisfactione praecepti de audienda Missa in Episcopali Sacello, relaxare dignaretur. Sacra porro Rituum Congregatio, de mandato ipsius Sanctissimi Domini Nostri, eiusmodi negotium maturo examine perpendens, audito voto Commissionis Liturgicae, ad quaestionem per infrascriptum Cardinalem, eidem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, propositam, respondendum censuit: « Postulandum a Sanctissimo, ut deinceps Episcopi omnes, sive dioecesani, sive titulares, eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur Patres Cardinales; scilicet, ut, non solum Ipsi in propriae habitationis Oratorio, aut super ara portatili, ubicumque degant, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant; sed etiam Fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant : contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maii 1896. » Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, enunciatum Patrum Cardinalium privilegium ad quoscumque Episcopos cum Apostolica Sede communionem habentes extendere dignata est, die 8 Iunii, eodem anno.

CAL CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, S. R. C. *Secretarius.*

BRUNEN. Dubium quoad ritum benedicendi praelatum saeculare.

In relatione status Ecclesiae Brunensis exhibita Sacrae Congregationi Concilii die 26 Februarii 1894 declaratum fuit Praelatos saeculares, Decanum et Archidiaconum Capituli Ecclesiae Cathedralis, nec non praepositum Capitulo Ecclesiae Collegiatae Nicolsburgensis, ex Apostolico Privilegio, ad instar Abbatum infulatorum, benedictione Abbatiali muniri. Quum vero Abbatialis benedictio, prouti legitur in Pontificali Romano, nonnullis in partibus existimetur minus congrua praelatis saecularibus , qui non habent populum sibi subditum, nec regulam

(1) Recole Vol. XXVI, 391.

nec alia huiusmodi servanda, ideo Rmus Dnus Franciscus Bauer, Episcopus Brunensis, quum suis, tum ahorum Episcoporum votis satisfacturus ab Apostolica Sede humillime postulavit: et utrum et quomodo in supradicta benedictione Praelatis saecularibus impertienda iuxta ritum Pontificalis Romani, aliquae variationes fieri possint? Porro exquisito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et alterius ex Sacrae Rituum Congregationis Consultoribus, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis Andreas Steinhuber in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, enunciatum Dubium, super ritu benedicendi praelatum saecularem discutiendum proposuerit. Ipsa Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis rescribendum censuit: *Nihil innovetur in Pontificali, sed eadem Sacrorum Rituum Congregatio in singulis casibus respondeat, formulam accommodando casibus ipsis, demptis quae praelatis saecularibus minime convenire noscuntur.* Die 19 Mai 1896. Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 8 Iunii eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. % S.

ALOISIUS TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

# EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

MONTIS POLITIAM. De Indulgentia Plenaria adnexa Benedictioni Papali, lucranda ab Episcopo eam elargiente.

Episcopus Montis Politiani huic S. Congregationi Indulgent, sequens dubium solvendum proposuit: Num Plenariam Indulgentiam lucrandam a Christifidelibus Benedictionem nomine Summi Pontificis recipientibus a respectivis Episcopis, lucrari valeat et ipse Episcopus, qui eam impertit?

Et Emi Patres in Congregatione Generali ad Vaticanas Aedes habita die 5 Martii 1896 responderunt:

Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Et SSmus Dnus N. Leo Pp. XIII in Audientia habita ab infrascripto S. C. Cardinali Praefecto die 20 Maii 1896, responsionem Emorum Patrum benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 20 Maii 1896.

ANDREAS CARD. STEINHUBER *Praefectus.*

L. * S.

A. ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

ORDINIS PRAEDICATORUM. De erectione et aggregatone Confraternitatum.

Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum sequentia dubia huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, humiliter dirimenda proposuit:

I. An conditio Clementinae Constitutionis « Quaecumque » de consensu Ordinarii loci et de litteris testimonialibus, servanda in erectionibus et aggregationibus Confraternitatum, accipienda sit ita, ut duo requirantur actus distincti, consensus nempe et litterae testimoniales : vel potius sufficiat consensus implicite expressus in litteris testimonialibus ?

II. An Summarium Indulgentiarum quod una cum diplomate datur in erectione Confraternitatum, iam recognitum et approbatum a S. Cong. Indulgent., nova etiam indigeat recognitione Ordinarii loci?

III. An distincta Communitas, quam Decretum S. C. Indulg. in una Laudensi diei 31 Ianuarii 1893 pro erectione Confraternitatum eiusdem nominis et instituti requirit, constituatur etiam a quolibet eiusdem municipii oppido, situ et nomine ab aliis disiuncto, adeo ut in uno eodemque municipio plures eiusdem nominis et instituti confraternitates erigi possint?

IV. An in magnis Civitatibus, quae unam tantum constituunt Communitatem, plures nihilominus erigi possint eiusdem nominis et instituti Confraternitates ?

V. An erectio Confraternitatum SS. Rosarii facta per litteras Mag. Gen. Ord. Praed. facultativas, executioni mandatas a Sacerdote, sive regulari, sive saeculari ab eodem Mag. Gen. deputato, valida sit, si Ordinarius consensum quidem suum ante executionem exprimat, nullas vero litteras testimoniales concedat?

VI. An ipsae litterae facultativae validae sint si subscriptione et sigillo eiusdem Mag. Gen. munitae aut certum Sacerdotem ad executionem non deputent, aut locum Confraternitatis erigendae non exprimant ?

Deinde sequentia postulata exhibuit:

I. *a)* Quoad praeteritum: Ut omnes SSmi Rosarii Confraternitates, quae sive in propriis Ordinis, sive in aliis Orbis Ecclesiis erectae inveniuntur irregularitate, vel vitio nullitatis affectae, ob quemcumque loci distantiae, litterarum testimonialium, diplomatum concessionis, sive alterius cuiusque generis defectum, in radice sanentur, et, quatenus opus sit, immediate Apostolica Auctoritate de novo erigantur, Armis remanentibus privilegiis a RR. PP. Ordini Praedic, elargitis.

*b)* Quoad futurum : Ad maius incrementum sodalium SSmi Rosarii postulat facultatem pro Mag. Gen. Ord. Praedic, eiusque Vicario, ut penes Provinciales et Episcopos etiam in Europa, non tamen in Italia, possit eo modo, quo, de consensu a S. S. habito, agere solent aliorum Ordinum Superiores, et

ipse agit extra Europam, diplomata in deposito habere, servatis tamen iisdem ordinationibus et conditionibus ab ipsis RR. PP. datis.

II. Ut in magnis Civitatibus, ubi habitantium numerus centum excedit millia, tres vel quatuor etiam Confraternitates Sanctissimi Rosarii de speciali S. S. mandato, erigi possint et valeant.

III. Ut duo postrema postulata extendantur etiam ad alias duas Confraternitates SSmi Nominis Dei, nec non Militiae Angelicae S. Thomae Aquinatis.

Et Emi ac Rmi PP. Cardinales in generalibus Comitiis, ad Vaticanas Aedes habitis die 5 Martii 1896, rescripserunt :

Ad Dubium I. Sufficere Ordinarii litteras, quibus consensum in erectionem vel aggregationem Confraternitatum significet et Instituti pietatem ac religionem commendet.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative, dummodo in unoquoque oppido habeatur etiam propria Paroecia.

Ad IV. Negative: sed supplicandum SSmo, ut derogando in hac parte Constitut, s. m. Clementis VIII quae incipit «Quaecumque », Ordinariis benigne tribuere dignetur facultatem providendi pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, servata tamen in huiusmodi erectionibus convenienti, eorum iudicio, distantia.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad postulata vero.

Quoad I. *a)* Affirmative.

*b)* Non expedire.

Quoad II. Iam satis provisum in responsione ad dubium IV.

Quoad III. Iam provisum in responsione ad duo postulata priora.

Factaque de omnibus SSmo Domino Nostro Leoni Pp. XIII relatione in audientia habita die 20 Maii 1896 ab infrascripto Cardinali S. C. Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum PP. ratas habuit et confirmavit, simulque derogando Constitutioni Clementis VIII, facultatem in IV dubio postulatam benigne Ordinariis concedere dignata est.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C die 20 Maii 1896.

ANDREAS CARD. STEINHUBER *Praefectus.*

L. © S.

A. ARCHIEP. NICOPOL. *Secretarius.*

- o s o -

# SUMMA ACTORUM

## QfJAE IN HOC VOLUMINE XXVIII CONTINENTUR

### LITTERAE ET ACTA B. PONTIFICIS



### EX S. C. CONCILII

EX S. CONG. RITUUM

EX S. CONG. INDULGENTIARUM



EX S. POENITENTIARIA APOST.



EX SECRETARIA BREVIUM

## EX S. G. EP. ET REG.

EX S. DATARIA APOST.



EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE



EX S. C. INDICIS

# INDEX GENERALIS

## CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR

**Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:**



### Beneficium quoad possessionem.

**Corporalis immissio in beneficii possessionem fieri non potest propria auctoritate : at quando intervenit licentia vel consensus legitimi Superioris, potest quis sui beneficii possessionem capere, nullo alio in ipsam eum introducente.** *pag.* **425.**

**Regula Cancellariae Apostolicae de triennali possessione sanat quemcumque defectum , interventum in corporali immissione ad beneficium, quatenus ex hoc lapsu temporis ea praesumitur regularis fuisse,** *ibid.*

**Quamvis praemissa invocari queant, quando agitur de beneficiis in genere tamen exceptionem patiuntur in beneficiis resignatis: in his enim possessio capi debet modo praescripto a citata Bulla Gregoriana, idque sub poena nullitatis, neque alii admittuntur modi aequipollentes. Proinde cum in themate sacerdos Fazio praescriptioni Bullae Gregorianae non paruerit, merito S. Congregatio sententiam Curiae Novariensis confirmavit, et motiva appellationis reiecit,** *ibid.*

### Canonici honorarii.

**Canonici honorarii uti quidem possunt privilegiis et insignibus canonicorum titularium, sed tantummodo in Ecclesia, ad quam pertinent, honoris causa, et in qua functiones capitulares fiunt, seclusis aliis ecclesiis, etiam eiusdem Dioecesis, vel aliarum,** *pag.* 118.

**Hinc haud licet canonicis honorariis alicuius Capituli induere huius insignia, ut singulatim et seorsim a capitulo, in qualibet Ecclesia, sacra peragant,** *ibid.*

### Canonici quoad nominationem.

**Nominationes, etiam Canonici titularis, fieri non possunt inconsulto Ordinario loci, quo reperitur Cathedralis aut Collegiata Ecclesia.** *pag.* **153.**

**Patronis sola competit nominatio ad beneficium, minime vero institutio in eodem aut insignium traditio ; cum id Episcopo competat,** *ib.*

**Ab eodem Ordinario loci petenda est acceptatio nominationis, sive a nominando, sive a nominato,** *ibid.*

Domicilium.

**Censendum est, quempiam oriundum ex illa Dioecesi aut loco, in quo, dum natus est, pater eius domicilium constitutum habuit** *pag.* **233.**

**Non obstat huic maximae, aliquem alibi nasci dum parentes locum alium petierint officii, legationis, aut negotii gerendi causa, firmo manente domicilio ; nam fictione iuris, censetur natus in loco domicilii,** *ibid.*

**Filius sequitur patris originem, quoties** *ex accidente natus* **fuerit in loco ubi pater temporalem habuit moram.** *ibid.*

**In themate evictum videri, antecessores Sacerdotis Antonini numquam deseruisse domicilium proprium in civitate Castrimaris, cum animo alibi perpetuo manendi,** *ib.*

Episcopus quoad Religiosos.

**Semel concessa ab Episcopo facultate excipiendi confessiones vel praedicandi, haec pro lubitu revocari non potest, quia haec privatio cum sit poena, proportionatam exigit causam. Iam vero in casu pro revocanda dicta facultate a canonicis Regularibus Lateranensibus nulla alia ratio suppetebat, quam factum expoliationis violentae a paroecia de Mattineuria, quae haud erat legitima,** *pag.* **682.**

**Quamvis Episcopus ex iusta causa possit non concedere facultatem audiendi confessiones vel concessam auferre religiosis in individuo, iuxta Conc. Trid.** *sess. 23 de Reform, cap. 15.,* **tamen quando agitur de omnibus religiosis conglobatim, vel unius conventus, id peragere nequit, inconsulta S. Sede, ob periculum scandali, uti etiam praeter supra allegata eruitur ex seq. decreto S. Cong. Epis, et Regul. sub die 20 Nov. 1615. «Quamvis pluries et saepius inhaerendo apostolicis constitutionibus decreverit et declaraverit, ordinarios locorum non posse, nec debere facultatem audiendi sacramentales confessiones omnibus simul unius conventus regularibus adimere, ipsa Sac. Cong. inconsulta et ademptam restituere iusserit... S. Cong. Patres rati vix fieri posse, ut haec sine scandalo magnaque animarum pernicie contingant, re mature perpensa, ad omnem scandali materiam submovendam... statuunt ac decernunt, Archiepiscopos, Episcopos... confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessariis, eadem S. Cong. inconsulta, nullo pacto adimere posse ».** *ibid.*

Litterae testimoniales.

**Iam militiae addicti adducere debent, ut ad Sacros Ordines promoveri valeant, litteras testimoniales Ordinarii cuiuslibet, in cuius Dioecesi per trimestre commorati fuerint,** *pag.* **50.**

**Quoties ex adiunctis, litterae Ordinarii plenam non constituant probationem, Episcopus ante ordinum**

cuti Moniales votorum subduntur rigori ss. canonum, ita pro Institutis votorum simplicium hoc rigore remisso, *novum ius* est introductum : Administratores bonorum Monialium tenentur rationem reddere singulis annis Episcopis localibus cum interventu Praelati Regularis, ex adverso respectiva Sororum Instituta exhibent rationem administrationis non Episcopis localibus, sed Superiorissae Generali, quae postea eam submittit pro approbatione Ordinario Domus Matricis, transmittendam de triennio ad triennium ad S. Sedem : et hoc descendit ex potestate dominativa, una ex functionibus potioribus horum Institutorum , reservata ob generalium regimen praefatae Superiorissae, et sorores quamvis obnoxiae sint locorum Ordinariis quoad iurisdictionem, tamen sunt exemptae quoad bonorum administrationem, domorum gubernium, et internam directionem, *ibid.*

Parochus.

Ex Tridentino praecipitur, ut, populo distincto in proprias paroecias, suum unaquaque habeat parochum pro tutiori animarum salute. *pag.* 543. t

Parochus proprius ex iure est minister baptismi, solemniter et ex pastorali officio celebrandi, *ib.*

Peregrini quoad sepulturam.

In iure certum est, parochos habere fundatam intentionem peragendi iusta funebria propriis paroecialis, *pag.* 239.

Ob matricitatem et praeeminentiam super alias Ecclesias, quasi per exceptionem recognitum fuit Cathedrali Ecclesiae ius funerandi eos, qui in mero transitu per civitatem, aliqua detenti infirmitate, diem obeunt supremum, *ibid.*

Aequum est enim, ut huiusmodi peregrinantes, qui ad nullam pertinent paroeciam subiiciantur Ecclesiae cathedrali, pro sacramentis et funeribus, ne careant ministro in articulo mortis, *ibid.*

Praecedentia.

Ex Tridentino *Sess. 25 cap. 13 de regularibus,* ad Episcopum, amola omni appellatione, spectat ius componendi controversias inter personas ecclesiasticas, tam saeculares, quam regulares, ex quibus scandala saepe gignuntur, *pag.* 246.

Hinc congruum videtur, ut Episcopi definiant quaestiones de iure et de praecedentia in processionibus inter sodalitia propriae Dioecesis, antequam iurgia et scandala efferbuerint. *ibid.*

Privativum Episcoporum ius est, quaslibet indicendi processiones, ac etiam, cum causa, easdem prohibendi ; exceptis iis,, quae publice fieri debent iuxta ritum et ordinem in missali et rituali praescriptum. *ibid.*

Quum duae processiones eadem die et eodem foco a duobus sodalitiis fieri incongruum sit, Episco-

Restitutio in integrum.



IMPRIMATUR

Fr. Raphaël Pierotti O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesg.